

# MONUMENTA ECCLESIAE STRIGONIENSIS.

JUSSU ET SUMPTU

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

**JOANNIS CARDINALIS SIMOR**

PRINCIPIS PRIMATIS, ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS  
CET. CET.

ORDINE CHRON. DISPOSUIT,  
DISSERTATIONIBUS ET NOTIS ILLUSTRAVIT

**FERDINANDUS KNAUZ**

ECCL. METROP. STRIGON. CANONICUS ET BIBLIOTHECARIUS, ACADEMIAE  
SCIENTIARUM HUNGARICAE SOCIUS ORDINARIUS.

**TOMUS PRIMUS**

AB A. 979. AD A. 1273.

NRI. 1—792.

(CUM 6 TABULIS LITHOGRAPHICIS ET 16 SIGILLIS LIGNO INCISIS.)

---

**STRIGONII, 1874.**

TYPIS DESCRIPSIT AEGYDIUS HORÁK.



Qui inde iam fere ab ipsis Christianae Religionis in Hungaria primordiis, caput, secundum Regiam Maiestatem, in Regno omnium Ecclesiarum fuit, ex quo Religionis, cultusque divini in toto Regno vel tuendi, vel augendi praecipua semper ratio dependit.

*Sic de Archiepiscopatu Strigon. Art. 18. Comitiorum a. 1550.*

EMINENTISSIMO

AC

REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO

JOANNI CARDINALI SIMOR

METR. ECCLESIAE STRIGON. ARCHI-EPISCOPO

S. SEDIS APOST. LEGATO NATO,

INCLYTI REGNI HUNGARIAE PRINCIPI PRIMATI,

SUMMO ET SECRETARIO CANCELLARIO,

S. CAES. ET REG. APOST. MAIESTATIS ACTUALI INTIMO CONSILIARIO,

INS. ORD. S. STEPHANI REGIS APOST. PRAELATO, EIUSDEM,

ORDINIS ITEM R. SICIL. S. JANUarii MAGNAE CRUCIS EQUITI,

ECCL. COMMISSIONIS PRAESIDI,

INCL. COMITATUS STRIGON. PERPETUO COMITI,

ACADEMIAE SCIENT. HUNG. DIRIGENTI SOCIO,

ACADEMIAE ITEM RELIGIONIS CATH. COMMEMBRO,

NOBILI CIVI ROMANO, SS. THEOL. DOCTORI COLLEGIATO.

CET. CET.

REI LITERARIAE FAUTORI

PATRONO PIUSSIMO GRATIOSISSIMO.

Esztergom- Budapesti Főegyházmegye  
Esztergomi Érseki Levéltár

## Eminentissime Princeps!



**Nullum unquam tempore Historia rectius ac magis accomode magistram vitae agere potuit, quam moderno, tam diversis et abnormibus passim molitionibus concitato aevo, ubi ex immoderato**

**innovandi pruritu non raro et talia instituta, quae provida antecessorum cura invexit, et longus seculorum usus probavit, brevi manu convelluntur; ubi dissitorum per immensa maria a nobis populorum mores et leges, non considerato genio et indigentia populi nostri et ac si historia nostra heri aut nudius tertius inchoaret, tamquam antidota universalia importantur; sicque e coeco externos imitandi studio vestigia patrum incauti derelinquimus, in avia devia serius ocyus prolapsuri. . .**

Nunc ergo Historia quam maxime nobis opus est, quae doceat nos, qua moderatione, qua temperantia instituta nostra reformemus; quae ostendat nobis rectam, qua procedere debeamus, viam, ne cursu intempestivo aberrantes, in extrema discrimina praecipites agamur. . .

Omniū iccirco proborum animos Eminentissime Princeps Tibi devincis, dum Monumenta haec istis in rerum adiunctis prelo subiicis. Ecclesia enim Strigoniensis a primis initiis mater erat et magistra omnium totius Regni ecclesiarum et Antistites eius primi inter ecclesiasticos et seculares principes, qui Regibus consilio et auxilio in omnibus arduis et secretis Regni negotiis debebant assistere, quorumque illi praesentia vix in brevi carere poterant. \*) Monumenta igitur haec etiam praecipua Acta historiae nostrae, modernis novatoribus numquam satis commendanda, comprehendunt.

---

\*) Verba sunt Belae IV. Regis. Vide pag. 407.

Dignum itaque omnino opus hoc est magnis, quibus undique excellis, virtutibus, nec immerito, magnis licet pressus oneribus, magnas infundis, devotus in decessos et providus in futuros, in opus hoc opes. Mira enim hac liberalitate Tua fontem aperis integerrimum, spissa seculorum caligine obrutum, quo, velut e somno excitati, longo ante Te ordine Antistites in medium prodeunt, grati pio Successori, qui eorum alios ab oblivione vindicavit, omnium autem probe ac fortiter gesta divulgando, gloria illos et honore coronavit.

Sed liberalitate hac et Tibi ipsi monumentum erigis aere perennius, quod a temporum iniuria illibatum, posteritati omnium seculorum Te insignem literarum et cultorem et fautorem indefesse commendabit.

Multa quidem et alia praestas, quae perennem Tibi apud posteros vindicabunt, fortuna secunda, memoriam.

Sic magnis, imo maximis sumptibus Basilicam ab interitu vindicatam, ad apicem etiam perduxisti et ad ma-

ioris splendoris exigentiam grandia sane Propylaea addidisti.

Sic prodiga largitate immanem impendis pecuniae vim, ut Bibliothecam, quam habes ditissimam, rarissimis et optimis operibus efficias refertissimam.

Sed proh dolor, haec et similia tempore iam erectionis semen in se recondunt desolationis. . .

Nam et praedecessores Tui, Jobus, Telegdinus et Dionysius, principem Hungariae Ecclesiam, primam et arte et splendore effecerunt: sed ecce aedes illae celeberrimae, unde tanto tempore fumus aromatum pro salute Regis et incolumitate patriae in conspectum Dei et Magnae Hungarorum Dominae ascendebat, temporum iniquitate et hominum corruerunt et lapis non remansit super lapidem! . .

Porro et praedecessor Tuus, Joannes Vitéz, omni scientiarum genere eruditissimus, pretiosam sane et optimis graecis ac latinis codicibus locupletissimam comparavit Biblio-



thecam: sed ecce bellorum faces et hominum barbaries ad ultimum usque codicem deleverunt, si unicum demas, quem pulcherrimis ornatum picturis, nuper acquisivisti! . .

Ast nec temporum iniquitas, neque bellorum faces, aut hominum barbaries delere potuerunt opera, quae eiusdem praedecessoris Tui munificentia exarata, prelo subin procussa sunt. Basilica corruit, Bibliotheca interiit; sed opera haec magni huius Antistitis memoriam ad ultima usque tempora celebrabunt.

Avertant Superi, ne Basilicae, quam consummasti, ruinam, Bibliothecae, quam congregasti, casum, sera lugere debeat posteritas; sed quaecumque his fata maneant: Monumenta haec, quae Te iubente conscripta, Tua nunc liberalitate ad lucem prodeunt publicam, temporum, aut hominum iniquitas vix umquam delere poterit.

Loquuntur ergo saxa alios? Te etiam Monumenta haec loquentur, levi quidem chartae dumtaxat impressa, quae ta-

men non ut saxa ruinam parant, sed mentes et corda per  
secula erudiant. . .

Deus O. M. tribuat Tibi sano et vegeto longitudinem  
dierum, ut quam diutissime veneremur Te Patrem aman-  
tissimum, sequamur Pastorem fidelissimum et si imitando  
non sumus, saltem admirando videamus opera Tua bona  
et glorificetur Deus in omnibus nobis.

Mihi autem paternam benedictionem impertiri digneris,  
ut oceptum fausto omine opus, divina adiuvente gratia, ad  
finem felix et indefessus perducere valeam.

**Eminentiae Tuae .**

Strigonii die Resurrectionis Domini. MDCCCLXXIV.

devotissimus filius

**Ferdinandus Knauz.**

# PRAEFATIO.



Eum nobis in concinnando opere hoc praefiximus scopum, ut diplomata et data quaeque, historiam Ecclesiae Strigoniensis concernentia, ordine chronologico exhiberemus.

Nomine autem Ecclesiae Strigon. non tantum Primatiam, Archi-Episcopatum et Capitulum Strigoniense intelligimus, sed etiam Capitulum Collegiatae Ecclesiae Posoniensis, utpote quod solum, e tribus, quae olim intra ambitum Archidioecesis Strigon. continebantur, Capitulis remansit. Budense enim extinctum est, Scepusiense autem Cathedrale evasit.

His etiam limites operis designavimus.

Fontes, e quibus plenis manibus impigre hausimus, erant: Archivum Pri-  
matiale Ecclesiasticum, et aliud Seculare, in quo acta iurium possessionariorum  
conduntur, tum Archivum Capituli Strigon. privatum, in quo etiam instrumenta  
litteralia Abbatiae Sancti Benedicti de iuxta Gron, a. 1538. Capitulo Strigon.  
collatae, asservantur.

Jam quod mireris, Archiva haec, licet per Venceslaum Bohemum expilata, licet grassantibus in visceribus Regni Turcis, capitalibus inimicis nostris, ad ar-

cem Drégely, tum Posonium, inde Tirnaviam, ac tandem sub intestinis Regni motibus huc illucque translocata fuerint, provida, ac nunquam satis laudanda Capitularium cura tam integre conservata sunt, ut, si primas et certe paucas sec. XI. litteras excipias, vix aliqua venerandae antiquitatis monumenta, quod penitus interiissent, deploranda habeamus; ac ideo Archiva haec primis et praecipuis Regni merito adnumeraveris.

Alter nobis fons erat, Archivum Capituli Ecclesiae Poson. privatum, quod ab Ottocaro Bohemo pariter expilatum, litteris, a. 1277. antiquioribus, destituitur quidem, multis tamen et hucdum, quia penitus ignotum erat, absconditis thesauris abundat.

Jam quo modo in assequendo scopo nostro versati simus, videamus.

Eo ante omnia totis viribus contendimus, ut diplomata, quae collectionem nostram subeunt, correctissime et Originalibus praeter interpunctionem per omnia conformiter lucem videant. Quod ut assequeremur, unica nobis via patuit, illa nempe solummodo diplomata colligendi, quorum originalia nobis usurpare licuit.

Non tamen, ni hiatibus scatens opus dare voluissemus, hic nobis subsistere licuit; multorum enim diplomatum, ad rem nostram facientium, originalia in praelaudatis Archivis non amplius supersunt. Ne ergo dum Charybdim evitare intendimus, in Scyllam incidamus, ita rem instituimus, ut diplomata, ex originalibus desumpta, per extensum, reliqua autem, ex editis iam operibus collecta, nisi per extractum collectioni nostrae assignaverimus.

Systemati huic conformiter e praedictis Archivis etiam illa Originalia, quae in aliis operibus iam publici iuris facta sunt, a nobis denuo per extensum communicanda erant. Neque nos in reimprimendis his operam perdidisse, abunde patebit cuilibet, conferenti textum nostrum cum textu Codicis Georgii Fejér, qui diplomata, adusque sparsim edita, collegit, inedita autem e recentioribus passim copiis desumpsit quarum innumeris mendis inepti descriptors alia innumera addiderunt. Nemo ergo nobis id vitio vertat; nos certe non ultimum labo-



rum nostrorum meritum in eo recte reponimus, quod diplomatibus, erronee ac depravate editis, et ideo dum lucem affundere deberent, tenebras spargentibus, originalem textum ad amussim restituerimus.

Sed contra, etiam illa diplomata, quae in praedictis Archivis aut in simplici, aut authentico transsumpto, sed seculum XVI. excedente — illucque enim authentica transsumpta originalibus aequiparamus — supersunt, per extractum duntaxat suscipienda erant; cavere enim pro textus illorum puritate ex eo non potuimus, quia tristi experientia didicimus, peritiam correcte legendi diplomata a seculo XVI. ad recentissima usque tempora intercidissee.

Si discrimen fecimus in transsumptis; nulli fuimus difficiles in exhibendis originalibus, adeo, ut illa etiam, quae obiectum nostrum stricte non concernunt, ex Archivis praedictis ediderimus; probe persuasi, rem gratam nos Eruditis praestituros, si hac ratione Archiva haec historicis usibus penitus reseramus.

Fontes attamen hi, licet uberrimi, nobis non suffecerunt, sed obtenta licentia et litteris commendatitiis ab Excel. D. Josepho B. Eötvös, quondam Cultus et publici Instituti R. Hung. Ministro, qui conamina nostra singulari prosequutus est favore, Archivum Aerarii Regii Budense, antea Camerale dictum, magnificum sane ac ditissimum, tum locorum, ut vocamus, credibilium, Capitulorum nempe et Conventuum, per Regnum Hungariae, Croatiae et Slavoniae dispersorum, Archiva publica, in quantum usui nostro deservire poterant, signanter Archiva publica Capitulorum Strigoniensis et Posoniensis, ac Conventus S. Benedicti de Gron, vel in persona, vel per amicos perlustravimus, qua opportunitate Archiva etiam privata Capitulorum et Conventuum, credibilitatis iure gaudentium, investigavimus.

Nec his contenti, Archivum Caes. Aul. Viennense, ac collectionem diplom. Musaei Nat. et Academiae Hung., item Manuscripta Bibliothecae Palat. Vindobonensis, necnon eiusdem Musaei Hung. et Bibliothecarum Strigoniensis et Posoniensis Capitulorum in usum nostrum convertimus.

Tandem omnes omnino pervolvimus libros, in quibus data quaepiam invenire sperabamus, ut adeo nihil intentatum reliquerimus, quominus scopum praefixum assequeremur; quin tamen ideo rem penitus exhaustam esse praetendamus, probe scientes, vires hoc unius hominis, etsi solertissimi, superare; praestitimus tamen, quae optima voluntate et solertia indefessa praestare potuimus.

Quod denique internam operis coordinationem attinet, diplomata et data, ordine, ut iam monuimus, chronologico exhibita, numero currenti distinguuntur, qui numeri unacum anno datorum diplomatum in fronte cuiuslibet paginae exponuntur, scopo eo, ut provocata per numeros hos currentes diplomata commodius inveniantur. Singuli insuper Tomi in tot capita dividuntur, quot Archiepiscopi, aut Vacantiae in iisdem pertractati fuerint. Initio cuiuslibet capitis respectivi Archiepiscopi anteacta, aut Vacantiae brevis historia exhibetur. In his dissertatiunculis Chronologiae praecipua ratio habita est.

Porro pluribus diplomatibus breves, aut pro re nata longiores notas, prout nempe contextus requirebat, sparsim adiecimus.

Tandem pro commoditate Lectorum praemittimus Argumenta, serie chronologica disposita et adiungimus operi Indicem alphabeticum, improbo sane labore ab amico quam exactissime confectum.

Jam Lector optime vale et fave !

---

## ARGUMENTA.

### I. ASTRICUS, RECTIUS ANASTASIUS DE GENERE JILIC.

999. — circa 1036. 12. Nov. pag. 1.

- Ante 979. Gyejesa Dux arcem Strigon. et Ecclesiam s. Steph P. M. exstruit. Nr. 1. p. 30.  
 979. S. Stephanus Rex Strigonii in lucem editur. Nr. 2. p. 31.  
 994. S. Stephanus Rex Strigonii per s. Adalbertum, comite Deodato patrem lustricum agente, baptisatur. Nr. 3. p. 32.  
 992—995. S. Adalbertus idolum quoddam Hungarorum Strigonii incendit. Nr. 4. p. 33.  
 Ca. 998. S. Stephanus in arce Strigon. ecclesiam cathedralem erigit. Nr. 5. p. 33.  
 998. S. Stephanus corpus devicti ducis Koppány quadrifariam dividi et partem Strigon. Civitatis portae affigi curat. Nr. 6. p. 34.  
 Ca. 999. S. Stephanus AEpiscopatum et Capitulum Strigon. fundat, liberaliter dotat, Ecclesiamque Strigon. Caput et Magistrum omnium totius Regni Ecclesiarum constituit. Nr. 7. p. 34.  
 999. exeunte. S. Stephanus Astricum designatum AEpiscopum Strigon. pro confirmatione novellae Ecclesiae Hung. et obtinenda corona, Romam oratorem mittit. Nr. 8. p. 35.  
 1000. 15. Aug. Astricus legatione prospero cum successu defunctus, corona secum allata Stephanum Strigonii felici omine cingit. Nr. 9. p. 36.  
 1000. exeunte. Astricus AEpiscopus Strigon. a s. Stephano in Poloniam missus, cum duce Poloniae Strigonium revertitur, ibique in ecclesia cathedrali post sacra ab Astrico peracta Stephanus cum duce eodem pacem et amicitiam pangit. Nr. 10. p. 38.  
 1007. 1. Nov. Astricus AEpiscopus Strigon. synodo Francofordiensi interest, et erectum ab Henrico II. Imp. Episcopatum Bambergensem adprobat et confirmat. Nr. 11. p. 39.  
 1012. Astricus AEpiscopus Strigon. occasione solennis inaugurationis Ecclesiae Cathedr. Bambergensis altare ante cryptam consecrat. Nr. 12. p. 39.  
 1015. S. Stephanus decernit, ut Abbas monasterii Pécsvárad. generali tantum synodo AEpiscopi Strigon. interesse teneatur. Nr. 13. p. 40.  
 1019. S. Stephanus Abbatiam de Szala fundat ac dotat Nr. 14. p. 40.  
 Ca. 1028—1030. Arnoldus monachus Ratispon. Strigonium ad Astricum AEpiscopum venit. Nr. 15. p. 42.  
 1035. S. Stephanus leges in Comitibus latas Strigonii promulgat. Nr. 16. p. 42.  
 Ca. 1036. 12. Nov. Astricus AEpiscopus Strigon. in fama sanctitatis obiit. Nr. 17. p. 42.

### II. DOMINICUS.

1037. pag. 44.

1037. S. Stephanus statuit, ut Abbas monasterii s. Mauricii Strigoniensis tantummodo AEpiscopi generali synodo assistere teneatur. Nr. 18. p. 45.  
 . . . . S. Stephanus R. hospitale Cruciferorum s. Lazari Strigonii fundat. Nr. 19. p. 45.



## III. BENEDICTUS I. ALIAS BENETA.

1046. Sept. — 1055. p. 46.

1047. 15. Dec. Benedictus AEpiscopus Strigon. Andream Albae coronat. Nr. 20. p. 48.

1051. ineunte autumno. Bretislaus dux Bohemiae Hungariam Strigonium usque depopulatur. Nr. 21. p. 48.

Ca. 1050—1052. András Josa non procul Strigonio occubuit. Nr. 22. p. 48.

## IV. DESIDERIUS VULGO DERSY.

Ca. 1067. usq. circ. 1075. p. 49.

1073. Salamon R. cum duce Gyejesa in Insula Strigon. pacis negotia tractat. Nr. 23. p. 50.

1074. 25. Dec. Desiderius AEpiscopus Gyejesam Regem, ut Salamoni Regi reconcilietur regnumque ei restituat, gravissima exhortatione persuadet. Nr. 24. p. 50.

## V. NEAEMIAS.

1075—1077. p. 52.

1075. Gyejesa I. R. Abbatiam s. Benedicti de iuxta Grón fundat et dotat. Nr. 25. p. 53.

1077. 9. Junii. Gregorius PP. VII. Nehemiae Strigoniensi AEpiscopo nuncium Roma missum commendat. Nr. 26. p. 60.

1086. Seraphinus Cancellarius s. Ladislai R. Nr. 27. p. 60.

Ca. 1087. Gutlen serviens s. Ladislai R. res suas in Palaznak Capitulo Veszprim. legat. Nr. 28. p. 61.

1089. 26. Jun. Gebhardus, Pragens. Episcopus, Strigonii moritur. Nr. 29. p. 61.

1091. 20. Dec. S. Ladislaus R. iura Abbatiae de Szala, confirmat. Nr. 30. p. 62.

## VI. STEPHANUS I.

1093. p. 64.

1093. 17. Apr. S. Ladislaus R. et omnes optimates fines orientales dioecesis Quinque-Eccles. reformant. Nr. 31. p. 65.

## VII. ACHA.

1094. p. 66.

## VIII. SERAPHINUS.

1095—1104. p. 68.

1097. Mai. Seraphinus AEpiscopus Colomannum R. cum Busilla, Rogerii Siciliae Comitis filia, matrimonio iungit. Nr. 32. p. 69.

1099. 11. Jun. Seraphinus AEpiscopus Strigon. Hermannum elect. Episcopum Pragensem et Cosmam Pragensem, annalistam Bohemorum Strigonii presbyteros ordinat. Nr. 33. p. 69.

1100. Colomannus R. iudicium ferri et aquae nisi in sede Episcopi et maioribus Praepositis celebrari permittit. Nr. 34. p. 69.

1100. Idem collectos per Regnum denarios Strigonium mitti decernit. Nr. 35. p. 70.

1100. Albricus, iubente Seraphino AEpiscopo Strigon., decretorum Colomanni R. libros conscribit, eique dedicat. Nr. 36. p. 70.

1103. 8. Dec. Paschalis PP. II. monasterio s. Martini in Monte Pannon. ecclesiam s. Mariae in Vaga confirmat. Nr. 37. p. 71.

1103. Seraphinus AEpiscopus Strigon. amice componit similtates inter Matthaëum Episcopum Veszpr. et Petrum Abbatem Montis Pannon. Nr. 39. p. 71.  
 Ca. 1103—1104. Forco hospes Seraphino AEpiscopo servivit. Nr. 39. p. 71.  
 Ca. 1104. Seraphinus AEpiscopus Strigonii moritur. Nr. 40. p. 71.

## IX. LAURENTIUS.

1105—1116. p. 72.

- Ca. 1105. Laurentius AEpisc. Strigon. per legatum interest synodo Jadrensi. Nr. 41. p. 73.  
 1107. Laurentius AEpiscopus Strigon. ecclesiam Dömösiensem praesente Colomanno R. consecrat, eumque a capiando Almo duce dehortatur. Nr. 42. p. 73.  
 1108. 25. Maii. Colomannus R. privilegia Traguriensium iureiurando firmat. Nr. 43. p. 74.  
 1109. Colomannus R. statuit, ut moniales de valle Veszpr. in consecratione olei ad Ecclesiam Strigon. pertineant. Nr. 44. p. 74.  
 1111. Colomannus R. iura Arbensis in Dalmatia Ecclesiae confirmat. Nr. 45. p. 74.  
 Ca. 1111. Laurentius AEpiscopus Strigon. libertatem, Dalmatiae Regno a Colomanno R. concessam, cum eodem Rege ante Jadram constitutus, iuramento firmat. Nr. 46. p. 74.  
 1111. Colomanno regnante, praesidente Laurentio AEpiscopo Strig. discussio fit de donariis, quibus s. Stephanus R. monasterium de monte Zobor dotaverat. Nr. 47. p. 75.  
 1112. Monasterii s. Hypoliti de monte Zobor praediorum metis rectificatis, privilegium desuper editum, confirmatum est. Nr. 48. p. 75.  
 Ca. 1112. Laurentius AEpiscopus Strigon. cum decem suffraganeis Episcopis synodum celebrat. Nr. 49. p. 75.  
 1113. Colomannus R. Álmos ducem obcoecat, et in monast. Dömös. recludit. Nr. 50. p. 76.  
 1113. Colomanni R. de villa Kér litterarum fragmentum. Nr. 51. p. 77.  
 1103—1113. Vestigium asservatorum Strigonii ordaliorum. Nr. 52. p. 78.  
 1116. 13. Maii. Stephanus II. R. et Laurentius AEpiscopus Strigon. e pugna, cum Wladislao Bohemorum duce inita, vix fuga salvantur Nr. 53. p. 78.

## X. MARCELLUS.

1124. p. 80.

1124. Stephanus II. R. litem inter Henricum Abbatem s. Benedicti et Othmarum Comitem Bars. super sylvis et aquis exortam Marcello AEpiscopo Strigon. discutiendam committit, ac Nr. 25. transcribit et corroborat. Nr. 54. p. 81.  
 1124. Stephanus II. R. concessas a patre suo Colomanno Tragurinis et Spalatinis libertates confirmat. Nr. 55. p. 82.

## XI. FELICIANUS.

1127—1139. p. 83.

1127. post Febr. Stephanus II. R. interveniente Feliciano AEpiscopo Strigon. pacem Conrado Salisburg. AEpiscopo concedit. Nr. 56. p. 84.  
 Ca. 1130. Felicianus AEpiscopus Strigon. sylvam quamdam Episcopo Zagrab. adiudicat. Nr. 57. p. 84.  
 1131. Fila, haerede carens, praedium Őrs Ecclesiae Veszprim. donat. Nr. 58. p. 85.  
 1134. Idem Felicianus sylvam de Dumbroa Ecclesiae Zagrab. adiudicat. Nr. 59. p. 85.  
 1135. Lampertus comes cum uxore sua Sophia et filio suo Nicolao coenobium Bozokense construxerunt. Nr. 60. p. 86.

## XVIII

1136. In conventu Aradiensis, agente Helena Regina, de Belae II. coecitatis auctoribus cruenta vindicta sumitur, et occisorum bona ecclesiis dividuntur. Nr. 61. p. 87.  
Ca. 1136. Bela II. R. Martino comiti de rebus suis disponendi facultatem concedit. Nr. 62. p. 87.  
1137. Felicianus AEpisc. Strig. ecclesiam b. Mart. s. Montis Pannon. consecrat. Nr. 63. p. 87.  
1138. 24. Maii. Innocentius PP. II. Gaudium Spalatens. AEpiscopum increpat ob susceptam ab AEpiscopo Strigon. consecrationem. Nr. 64. p. 88.  
1138. 3. Sept. Bela II. R. Praeposituram de Dömös, a patre suo Álmos duce inchoatam, consummat, donationesque a patre suo factas confirmat et auget. Nr. 65. p. 88.  
1138. Bela II. R. orationis gratia monasterium Montis Pannon. adiens, eidem terram Sala per iobagiones Castrorum Poson. et Nitrien. iniuste occupatam, restituit. Nr. 66. p. 97.  
1139. 27. Jul. Crispinus Bozókensis Abbas homines quosdam ecclesiae suae transfugos coram AEpiscopo Feliciano cum iuramento recipit. Nr. 67. p. 100.

## XII. MACARIUS.

1142—1146. p. 101.

1142. Gyejsa II. R. tertiam partem de usonibus, qui caperentur in Geurin, Abbatiae Montis Pannon. restituit. Nr. 68. p. 103.  
1142. Gyejsa II. R. privilegia Spalatensium confirmat. Nr. 69. p. 103.  
1145. Gyejsa II. R. in litteris donationalibus, monasterio de Madocsa concessis, recenset testes donationis huius. Nr. 70. p. 103.  
1146. Macharius AEpiscopus Strigon. Nr. 71. p. 103. et Nr. 72. p. 104.  
Ca. 1146. 25. Jan. Macharius AEpiscopus Strigoniensis obiit. Nr. 73. p. 104.  
1147. mense Junio. Conradus Caesar cum Crucesignatis per Hungariam iter faciens, Ecclesias indebitis exactionibus gravat. Nr. 74. p. 104.

## XIII. MARTIRIUS.

Ca. 1150—1158. post 13. Febr. p. 105.

1152. Margareta mulier testamentum condit, consentientibus Martirio AEpiscopo et aliis de Nobilibus Regni. Nr. 75. p. 107.  
1156. Martirius AEpiscopus Strigon. ad constructum per se in ecclesia sua Cathedr. altare B. M. V. Matutinum et Vesperas fundat, Canonicisque titulo hoc decimas septuaginta villarum confert. Nr. 76. p. 107.  
1156. Gyejsa II. R. Nrum. praecedentem confirmat. Nr. 77. p. 108.  
1156. Euzidinus ecclesiam in villa Bratka constructam occasione consecrationis necessariis providet, Martirius autem AEpisc. Strig. parochialem constituit. Nr. 78. p. 109.  
1156. Litterae Ladislai R. super quibusdam possessionibus ac iuribus s. Benedicti de Gron, confirmatae per Martinum quondam Eppum. Nr. 79. p. 110.  
1157. mense Mart. Gyejsa II. R. Ecclesiae Strigon. sales tributarios de Nána et Kakath (hodie Párkány) confert. Nr. 80. p. 110.  
1157. Gyejsa II. Abbatiam de Gissing, alias Német-Ujvár, a Wolfero comite fundatam, confirmat. Nr. 81. p. 111.  
Post 1157. Adalbertus quidam, iussu Gyejsae II. R., Siciliae Regi verba legationis laturus, ante discessum de rebus suis disponit. Nr. 82. p. 112.  
1158. Gyejsa II. R. Ecclesiae Nitriensi libertates et donationes confert. Nr. 83. p. 112.  
1158. Idem privilegia Abbatiae de Pécsvárad, igne consumpta, renovat. Nr. 84. p. 112.  
1158. post 13. Febr. Martirius AEpiscopus Strigon. diem ultimum claudit. Nr. 85. p. 112.



## XIV. LUCAS BÁNFFY DE GENERE GUTHKELED.

1158—1174. p. 114.

1158. Gyejesa II. R. Ecclesiae Spalatensis possessiones confirmat et auget. Nr. 86. p. 115.  
 1158. Gyejesa II. R. monasterium de s. Dextra s. Stephani consecrari facit. Nr. 87. p. 115.  
 1158. Lucas Bánffy AEpiscopus Strigon. ad auctoritatem Alexandri III. Papae contra Octavianum in Hungaria vindicandam a s. Eberhardo, Salisburg. AEpiscopo provocatus, eidem respondet. Nr. 88. p. 115.  
 Ca. 1158. Stephanus, filius Adriani, haeredum carens solatio, Regis indultu possessiones Bratka et Szántó Abbatiae s. Benedicti confert. Nr. 89. p. 116.  
 1162. Stephanus III. R. Farkasii bellica servitia remuneratur. Nr. 90. p. 117.  
 1162. Lucas Bánffy AEpiscopus Strigon. Stephanum IV. R. ob usurpatam coronam excommunicat. Nr. 91. p. 117.  
 1163. ante 14. Jan. Stephanus IV. R. privilegium pro parte Ecclesiae Zagrab. super terra et sylva Dumbro edit. Nr. 92. p. 117.  
 1165. Stephanus III. R. castrenses Poson. de familia Nyék nobilitat. Nr. 93. p. 117.  
 1165. Stephanus III. R. monasterio s. Margarethae de Meszes tributum salis per portam Meszes devecti donat. Nr. 94. p. 118.  
 Ca. 1165. Farkas, filius Páznán haerede carens, praedia Szelepcsény et Ebedecz monasterio s. Benedicti confert, quam donationem Stephanus III. R. confirmat. Nr. 95. p. 118.  
 1169. Stephanus III. R. constitutionem Gyejesae R. patris sui, super depositione et transmutatione Episcoporum et praelatorum non facienda confirmat. Nr. 96. p. 119.  
 1169. Lucas Bánffy AEpiscopus Strigon. synodum Strigonii celebrat. Nr. 97. p. 120.  
 Ca. 1169. Lucas Bánffy AEpiscopus Strigon. excommunicat Jeronimum et Cornelium, qui Abbatem de monasterio sz. Jog expulerunt. Nr. 98. p. 120.  
 1171. Tuta et Peregrinus fratres bona quaedam Abbatiae de Bakonybél conferunt. Nr. 99. p. 121.  
 1171. Benedictus Episc. Veszprim. praedium Iregh ecclesiae Veszprim. donat. Nr. 100. p. 121.  
 1172. Conradus iobagio Stephani III. R. facultates suas Ecclesiae Montis Pannon. legat. Nr. 101. p. 121.  
 1173. 4. Mart. Stephanus III. R. eadem nocte, qua Henricus Leo, Saxoniae dux, in Palaestinam iturus, Strigonium appulit, ibidem morte repentina extinguitur, ac per Lucam Bánffy AEpiscopum Strigon. sepelitur. Nr. 102. p. 121.  
 1174. Stephanus III. R. dispositionem Stephani, Comititis Myske filii, de bonis suis factam, confirmat. Nr. 103. p. 122.  
 1174. 13. Jan. Lucas Bánffy AEpisc. Strig. Belam III. coronare renuit. Nr. 104. p. 122.  
 1174. 13. Jan. Bela III. R. ius AEpiscoporum Strigon. coronandi Reges solenniter agnoscit. Nr. 105. p. 123.  
 Ca. 1174. Idem duas partes tributi de foro Strig. Capitulo Strig. confert. Nr. 106. p. 123.  
 1173—1175. Scubanus Comes Strigoniensis. Nr. 107. p. 124.  
 1178. 21. Sept. Alexander PP. III. Praesules Hung. ad Conc. Lateran. III. evocat. Nr. 108. p. 124.

## XV. NICOLAUS I.

1181—1183. p. 125.

1181. Fulmarus comes Ecclesiae de Bakonybél praedia Palan et Meretha cum servis et ancillis confert. Nr. 109. p. 128.  
 1183. Bela III. R. donationem monasteriis s. Trinitatis prope Quinque-Ecclesias, et Omnium Sanctorum de Okur factam, ratihabet. Nr. 110. p. 128.

1183. Nicolaus AEpiscopus Strigon. venditionem terrae in villa Kéménd, a Canonicis suis Comiti Farkasio factam, ratihabet. Nr. 111. p. 128.  
 1184. Status Ecclesiarum Provinciae Strigon. Nr. 112. p. 129.  
 1184. Udvarnici Regis Seraphin et Pancrati, eo quod quosdam de villa Urkuta, servos Ecclesiae s. Aniani de Tihany, ab eiusdem ecclesiae servitio subtrahere conati sint, in tonsura capitis mulentur. Nr. 113. p. 129.

## XV. JOBUS.

1185 — 1203. p. 130.

1186. Bela III. R. Marcum et Petrum, quos Job AEpiscopus Strigon. iobagiones ecclesiae suae asseruit, cum se Nobiles esse docuerint, in libertate confirmat, eisque tertiam terrae Vajka partem assignat. Nr. 114. p. 131.  
 1187. 23. Jun. Urbanus PP. III. domum hospitalis Strigon., cum reliquis per Hungariam constitutis, sub protectionem Sedis Apost. specialem suscipit, liberasque ab omni iurisdictione alia declarat, in cuius indicium easdem ad persolvendam singulo anno unciam auri stringit. Nr. 115. p. 132.  
 1188. 5. Apr. Clemens PP. III. Ecclesiam Strigon. sub protectione b. Petri suscipit, eiusque bona, necnon omnia privilegia et immunitates confirmat. Nr. 116. p. 135.  
 1188. 6. Maii. Bela III. R. Stephani III. privilegium, coenobio ss. Cosmae et Damiani concessum, adprobat. Nr. 117. p. 137.  
 1188. Bela III. R. duabus partibus tributi de foro Strigon., Canonicis Ecclesiae Strigon. antea iam collatis, etiam tertiam addit. Nr. 118. p. 137.  
 1189. Bela III. R. Fridericum I. Imperatorem cum cruce signatis Strigonii hospitaliter excipit. Nr. 119. p. 138.  
 1189. Casimirus Rex Poloniae pacem cum Bela III. R. init. Nr. 120. p. 139.  
 1190. Bela III. R. statuit, ut qui in bonis Ecclesiae Quinque-Ecclesiens. descensum facere praesumerit, ab eo multa decem marcarum auri coram AEpiscopo Strigon. desumi valeat. Nr. 121. p. 139.  
 1191. 8. Jan. Clemens PP. III. Praeposito Albensi et Abbati Montis Pannon. iniungit, ut Jobo AEpisc. Strig. consuetam obedientiam et reverentiam exhibeant. Nr. 122. p. 139.  
 1191. 11. Dec. Coelestinus PP. III. omnes concessionem, in praedictum AEpiscopi vel Ecclesiae Strigon. impetratas, irritat. Nr. 123. p. 140.  
 1191. 13. Dec. Coelestinus PP. III. omnia Ecclesiae Strigon. privilegia generaliter confirmat. Nr. 124. p. 140.  
 1191. 20. Dec. Coelestinus PP. III. ius coronandi, tum iurisdictionem spirituales in domus regiae Officialium praepositos AEpiscopo Strigon. confirmat, et Praeposituram exemptam Teutonicorum in Transylvania ratihabet. Nr. 125. p. 141.  
 1192. Hospitale s. Stephani Strigon. censum unius unciae auri pendit. Nr. 126. p. 142.  
 1193. Bela III. R. possessiones Cruciferorum Albens. confirmat. Nr. 127. p. 142.  
 1194. Salatice, filius Jeremiae terram suam in villa Telky hospitali domus d. Regis Stephani Strigoniensi confert. Nr. 128. p. 146.  
 Ante 1196. Jobus AEpiscopus Strigon. Ecclesiam Metropolit. flammis absumentam reparat, augustioremque efficit. Nr. 129. p. 147.  
 Ca. 1196. Boleslaus Episc. Vac. synodum annue celebrandam statuit. Nr. 130. p. 152.  
 Sine dato. Bela III. R. iobagiones Cruciferorum Strigon. in sz. Király, alias Obon, a solutione tributorum quorumlibet eximit. Nr. 131. p. 152.  
 Ca. 1197. Emericus R. Strigonii nuptias celebrat. Nr. 132. p. 152.



1198. initio Jan. Innocentius PP. III. Jobo AEpiscopo Strigon. indulget, ut votum peregrinationis sacrae alio opportuniori tempore impleat. Nr. 133. p. 153.
1198. 8. Febr. Innocentius PP. III. Capitulum Strigon. in possessione decimarum vini Strigon. confirmat. Nr. 134. p. 153.
1198. 16. Maii. Innocentius PP. III. sub excommunicationis poena inhihet Andreae duci, ne in Regem aut Regnum arma movere praesumat. Nr. 135. p. 154.
1198. 4. Jun. Idem omnia iura et privilegia Ecclesiae Strigon. confirmat. Nr. 136. p. 154.
1198. 21. Oct. Innocentius PP. III. Archi- et Episcopos ad revindicandum Ecclesiae Hungariae asyli ius excitat. Nr. 137. p. 155.
1198. 21. Oct. Innocentius PP. III. clerico AEpiscopi Strigon., de periurio consultus, rescribit. Nr. 138. p. 155.
1198. Emericus R. decimas de proventibus regalibus, a s. Stephano et Ladislao Regibus AEpiscopo Strigon. concessas, confirmat, et palatium in Castro Strigon. eidem AEpiscopo donat. Nr. 139. p. 156.
1198. Emericus R. donationem telonii Strigon., a patre suo Ecclesiae Strigon. factam, confirmat. Nr. 140. p. 156.
1198. Emericus R. Marco de Zypsio privilegia super castris Gumur et sz. Mihályur, casu amissa, innovat et confirmat. Nr. 141. p. 157.
1198. Innocentius PP. III. AEpiscopo Strigon. reformationem Abbatiae de Telki committit. Nr. 142. p. 158.
- Ca. 1198. Boleslaus Episcopus Vaciens. loca quaedam ab Episcopo Varad. Eluimo, fratre suo, comparat. Nr. 143. p. 158.
1199. 30. Jan. Innocentius PP. III. inquisitionem ordinat contra Praepositum Strigon., Robertum item Anglicum, et Asonem presbyterum, ob mutilationem registri pontificii. Nr. 144. p. 158.
1199. 1. Febr. Innocentius PP. III. causam Capituli Varad., Episcopum suum de periurio et simonia accusantis, AEpiscopo Strigon. discutiendam committit. Nr. 145. p. 159.
1199. 10. Mart. Innocentius PP. III. Capitulum Strigon. in possessione tributi fori Strigon. confirmat. Nr. 146. p. 159.
1199. 14. Dec. Innocentius PP. III. iuribus Episcopi Transylvani contra AEpiscopum. Strigon. et presbyteros Flandrenses cavet. Nr. 147. p. 160.
1199. Emericus R. patronatum Praepositurae s. Spiritus iuxta Makra a filiis Beche, ob dilapidationem substantiae aufert et filiis Comitum Onch confert. Nr. 148. p. 160.
- Saec. circ. XII. Abbatia s. Benedicti prope Strigonium incertae originis. Nr. 149. p. 161.
1201. Emericus R. donationem Belae III. Nr. 118. comprehensam rati habens, Capitulo Strigon. locum fori Strigon. confert. Nr. 150. p. 162.
1202. Emericus R. terram Udvarnicorum regionum, Strigonii circa ecclesiam s. Laurentii sitam, ad preces Job AEpiscopi, Capitulo Strigon. confert. Nr. 151. p. 163.
1203. 28. Febr. Innocentius PP. III. curaturum se promittit, ne inter AEpiscopos Strigon. et Colocens., absente Rege lites erumpant. Nr. 152. p. 164.
1203. 5. Maii. Innocentius PP. III. AEpiscopum Colocens. a violatione iurium AEpiscopi Strigon. prohibet, admissaque corrigere iubet. Nr. 153. p. 165.
1203. 5. Maii. Innocentius PP. III. litteris suis, circa Praeposituras regales editis, nullum AEpiscopo Strigon. praeiudicium inferre semet voluisse significat. Nr. 154. p. 166.
1203. 5. Maii. Idem iura et privilegia Ecclesiae Strigon. confirmat. Nr. 155. p. 166.
1203. Emericus R. ab Innocentio PP. III. officium legationis papalis Jobo AEpiscopo Strigon. denegari petit. Nr. 156. p. 167.

1203. Emericus R. Andream fratrem suum, de invasione Regni suspectum captivat, et in palatio Strigon. custodiae mancipat. Nr. 157. p. 168.

## XVII. UGRINUS DE GENERE CHÁK.

1204. p. 169.

1204. 24. April. Innocentius PP. III. AEpiscopo Strigon. Praeposituram Poson. de arce in urbem transferendi potestatem concedit. Nr. 158. p. 170.  
 1204. 24. Apr. Innocentius PP. III. Regis Emerici filium, Ladislaum infantem, per AEpiscopum Strigon. coronandum iubet. Nr. 159. p. 170.  
 1204. Emericus R. terram Michaelis Ugrino AEpiscopo Strigon. ad personam confert. Nr. 160. p. 171.  
 1204. Innocentius PP. III. constitutionem suam de Praepositis regalibus, Nr. 154. exhibitam, interpretatur, ac ad Regis notitiam deducit. Nr. 161. p. 171.  
 1204. Ugrinus AEpisc. Strig. plura praedia fratri suo, Comiti Nicolao confert. Nr. 162. p. 172.  
 1204. ante 20. Aug. Ugrinus AEpisc. Strig. praemature fato exstinguitur. Nr. 163. p. 173.

## XVIII. CALANUS ELECTUS.

1204. post 20. Aug. — 1205. 1. Aug. p. 174.

1204. 22. Nov. Innocentius PP. III. AEpiscopum Spalat, in Abbatiam s. Aegidii de Simigio violentum, canonice puniendum decernit. Nr. 164. p. 175.  
 1204. 22. Nov. Innocentius PP. III. in causa postulationis Joannis AEpiscopi Colocens. ad Metropolim Strigon. Capitulum Strigon. et suffraganeos Episcopos, postulationi huic adversantes, Romam evocat. Nr. 165. p. 175.  
 1205. 24. Jun. Innocentius PP. III. postulationem Calani Episcopi Quinqueeccles. ad Sedem Strigon. reiicit. Nr. 166. p. 177.

## XIX. JOANNES I.

1205. 6. Oct. — 1223. circ. Nov. p. 178.

1205. 6. Oct. Innocentius PP. III. Joannem AEpiscopum Colocens. ad Metropolim Strigon. transferendo, diuturnae controversiae finem imponit. Nr. 167. p. 180.  
 1205. 14. Oct. Idem significat Capitulo Coloc., per translationem AEpiscopi Coloc. ad Metropolim Strig. ecclesiae ipsorum nullum praeiudicium fieri. Nr. 168. p. 181.  
 1206. 13. Febr. Innocentius PP. III. Conventum de Kedhel per AEpiscopum Strigon. et socios contra Annum ac eius filios defendi iubet. Nr. 169. p. 182.  
 1206. 13. Febr. Innocentius PP. III. conventum de Kedhel protectioni AEpiscopi Strigon. et sociorum contra violentiam quorundam de Koronczó commendat. Nr. 170. p. 182.  
 1206. 7. Jun. Idem Episcopis et Proceribus Hungariae committit, ut proli, quae Regi nascetur, iuramentum fidelitatis, ad mandatum patris ipsius praestent. Nr. 171. p. 183.  
 1206. 13. Jun. Idem AEpiscopo Strigon. et Episcopo Agriensi mandat, ut Palatino Regni in secundo affinitatis gradu dispensationem impendant. Nr. 172. p. 183.  
 1206. 11. Jul. Idem Praepositum et Cap. Albense, quod ad provinc. synodum AEpiscopi Strigon. accedere recusarent, in sui praesentiam citari iubet. Nr. 173. p. 183.  
 1206. Andreas II. R. AEpiscopo Strigon. villam Gerle confert. Nr. 174. p. 184.  
 1206. Andreas II. R. in suae coronationis memoriam Capitulo Strigon. annuas centum marcas ex aerario regio donat. Nr. 175. p. 185.  
 Ca. 1206. Petrus Abbas de Bakonybél homines castri Veszprim., qui quamdam eius terram occupaverunt, in iudicium vocat. Nr. 176. p. 186.

1207. 2. Mart. Innocentius PP. III. AEpiscopo Strigon. et suffraganeis iura Abbatiae de Borsmonostra contra omnes impetitores defendenda committit. Nr. 177. p. 186.
1208. Joannes AEpiscopus Strigon. ecclesiam villae Búcs cum capella villae Mocš Capitulo Strigon. donat. Nr. 178. p. 186.
1209. 20. Apr. Innocentius PP. III. Nrum. 175. confirmat. Nr. 179. p. 187.
1209. 9. Maii Innocentius PP. III. Nrum 155. confirmat. Nr. 180. p. 187.
1209. 15. Maii. Innocentius PP. III. Joanni AEpiscopo Strigon. et suis successoribus ius coronandi Reges Hungariae confirmat. Nr. 181. p. 187.
1209. 15. Mai. Innocentius PP. III. Abbatiam s. Benedicti de Gron sub suam, et Sedis Apost. protectionem suscipit, ac bona eius confirmat. Nr. 182. p. 190.
1209. Andreas II. R. super obtenta a Legato s. Sedis facultate pontificalibus utendi, Abbatii s. Benedicti privilegium confert. Nr. 183. p. 192.
1209. Joannes AEpiscopus Strigon. emtos a Catapano Episcopo Agriensi undecim libertinos de Szolnok buchariorum, seu pincernarum officio addicit. Nr. 184. p. 193.
1209. Joannes AEpiscopus Strigon. colonos, per Emericum R. Ecclesiae Strigon. donatos, pincernis suis de villa Csém adgregat. Nr. 185. p. 194.
1210. 30. Jun. Innocentius PP. III. oblatum ab Herde, comite de Similione, fundum per AEpiscopum Strigon. in ius et proprietatem Sedis Apost. recipi iubet. Nr. 186. p. 195.
1210. Joannes AEpiscopus Strigon. Capitulo suo ecclesiam de Szemere cum duabus capellis confert. Nr. 187. p. 195.
1210. Dissidia, inter Uriam Montis Pannon. et Gilbertum de Simigio Abbates super decimis exorta, Joannes AEpiscopus Strig. et Comes Tiburtius componunt. Nr. 188. p. 196.
1211. 10. Febr. Innocentius PP. III. Capitulo Strigon. possessiones Bulcsu et Szemere, ab AEpiscopo donatas, confirmat. Nr. 189. p. 196.
1211. a. 11. Febr. Joannes AEpiscopus Strigon. Capitulo suo, eius paupertati compatiens, redditus Ecclesiae Tirnav. donat. Nr. 190. p. 197.
1211. 11. Febr. Innocentius PP. III. Capitulum Strigon. in possessione decimarum Tirnav. confirmat. Nr. 191. p. 197.
1211. a. 12. Febr. Strigon. et Coloc. AEpiscopi conventionem super coronatione Regis et iurisdictione ineunt. Nr. 192. p. 198.
1211. 12. Febr. Innocentius PP. III. conventionem super coronatione Regis, inter AEpiscopos Strigon. et Coloc. initam, non adprobat. Nr. 193. p. 198.
1211. 12. Febr. Innocentius PP. III. petitionem Andreae R. super creando Cibinii novo Episcopatu non exaudit. Nr. 194. p. 200.
1211. 15. Jul. Innocentius PP. III. dissensiones inter AEpiscopos Strigon. et Coloc. amabiliter componere suadet. Nr. 195. p. 200.
1212. 3. Febr. Innocentius PP. III. gratulatur de revectoria inter AEpiscopos Strigon. et Coloc. concordia. Nr. 196. p. 201.
1212. 14. Maii. Innocentius PP. III. causam Abbatis Montis Pannon. contra AEpiscopum Strigon. super certis vineis, terminandam decernit. Nr. 197. p. 201.
1212. Andreas II. R. ius. patronatus monasterii Kapornak ad Michaellem et Henricum spectare decernit. Nr. 198. p. 201.
1212. S. Elisabetha confirmat litteras Stephani II. R. super iuribus et possessionibus Abbatiae de Gron. Nr. 199. p. 202.
1213. 19. Apr. Innocentius PP. III. Joannem AEpiscopum Strigon. ad Concilium Lateran. IV. evocat. Nr. 200. p. 203.



1213. 26. Maii. Innocentius PP. III. causam inter Capitulum Strigon. et Episcopum Veszprim. terminari, aut sibi remitti mandat. Nr. 201. p. 203.
1214. 6. Jan. Innocentius PP. III. quosdam hungaros, in AEpiscopum Coloc., ipsius clericos, necnon monachos violentos, excommunicari iubet. Nr. 202. p. 203.
1214. Apr. Joanni AEpiscopo Strigon. ambiguum de nece Gertrudis Reginae responsum supponitur. Nr. 203. p. 204.
1214. initio Maii. Innocentius PP. III. causam Abbatis Montis Pannon. contra AEpiscopum Strigon. super decimis in Sala (Deáki) sibi submitti iubet. Nr. 204. p. 204.
1214. Andreas II. R. Innocentium PP. III. orat, ne coronationem filii sui Colomanni ad Legati Apost. adventum differat, sed eum per Joannem AEpiscopum Strigon. inungi iubeat. Porro eundem AEpiscopum ab onere accedendi Concilium dispensari, et litteras de iure coronationis, ad Ecclesiam Strigon. pertinenti, per subreptionem amissas, e registro rescribi petit. Nr. 205. p. 205.
1215. 6. Febr. Innocentius PP. III. ecclesiam s. Georgii de Castelluz fratribus hospitalis Hierosolymitani de Hungaria, confirmat. Nr. 206. p. 206.
1215. 6. Maii. Idem causam Abbatis Montis Pannon. contra AEpiscopum Strigon. super decimis vinearum in Sala terminari, aut remitti iubet. Nr. 207. p. 206.
1215. Andreas II. R. tributum regale de portu villae Kakath, nunc Párkány, Capitulo Strigon. donat. Nr. 208. p. 207.
1215. Andreas II. R. quosdam castrenses Posen. ad preces Joannis AEpiscopi Strigon. inter iobagiones Ecclesiae Strigon. plena libertate donatos transfert, eisdemque, ut villam ipsorum Karcha perpetuo possideant, indulget. Nr. 209. p. 208.
1215. Innocentius PP. III. admonet Andream II. R., ut AEpiscopo Strigon. decimas cum integritate persolvat. Nr. 210. p. 209.
1215. Innocentius PP. III. recipi iubet testes super causa, quae inter AEpiscopos Strigon. et Coloc. vertitur. Nr. 211. p. 209.
1215. Innocentius PP. III. mandat Strigon. et Coloc. AEpiscopis et suffraganeis, ut moneant Crucesignatos ire simul in subsidium terrae sanctae. Nr. 212. p. 209.
1216. 1. Febr. Joannes AEpisc. Strig. et Robertus Episcopus Veszprim. litem quoad coronationem Reginae et alia iura, per arbitros Romae componunt. Nr. 213. p. 209.
1216. 20. Apr. Innocentius PP. III. Hospitalarios ad restituendas Abbatibus Montis Pannon. decimas compelli iubet. Nr. 214. p. 210.
1216. 21. Nov. Honorius PP. III. AEpiscopo Strigon. committit, ut vicesimam ecclesiasticorum proventuum, in subsidium terrae sanctae deputatam, magistris hospitaliorum Provinciae Strigon. exhiberi procuret. Nr. 215. p. 211.
1217. 28. Febr. Honorius PP. III. modum distributionis colligendae vicesimae AEpiscopo Strigon. perscribit. Nr. 216. p. 211.
1217. 13. Jun. Andreas II. R. incolis terrae monasterii s. Benedicti libertates hospitum de Pest, Alba, vel Buda concedit. Nr. 217. p. 212.
1217. 27. Aug. Honorius PP. III. ADiaconum Nitriens. et Scholasticum Albens. in causa Nr. 214. procedere iubet. Nr. 218. p. 213.
1217. Andreas II. R. Nr. 54. transscribit et confirmat. Nr. 219. p. 213.
1217. Andreas II. R. Comiti Paulino et Jacobo pro villa Tardos, quam AEpiscopo Strigon. restituit, villam Burin confert. Nr. 220. p. 214.
1218. 27. Oct. Jacobus ADiaconus Nitriens. Canonicus Strigon. testatur, quod Paulus et Thomas, Petrus item de Leustachfalva, Comites Comitatus Nitriens. terram quamdam in Thelekfeld ecclesiae in villa Elefant donaverint. Nr. 221. p. 215.

1218. 23. Nov. Honorius PP. III. causam Abbatis Montis Pannon. contra Bissenos de Nogholn, super decimis vinearum, Praeposito Strigon. committit. Nr. 222. p. 216.
1218. Andreas II. R. villam Tardos, Ecclesiae Strigon. ab Emerico R. pro eruendis marmoribus donatam, et ex ira ademptam, Joanni AEpiscopo restituit. Nr. 223. p. 216.
1218. Idem vineas in Pográny Joanni AEpiscopo Strigon. confert. Nr. 224. p. 217.
1218. Idem AEpiscopo Strig. terras Gamas, Kopol, Egres et Lulha confert. Nr. 225. p. 218.
1218. Comes Samuel a iobagionibus castri Comarom, de villa Örs terram trium aratrorum emit, coram Capitulo Strigon. Nr. 226. p. 219.
1219. 17. Jan. Honorius PP. III. provocat AEpiscopum Strigon., ut vicesimam, subsidio terrae sanctae deputatam, diligenter colligat, collectamque Acontio Capellano papali resignet. Nr. 227. p. 220.
1219. 11. Jun. Honorius PP. III. AEpiscopo Strigon. usum insignium AEpiscopalium per dioecesim Coloc. inhibet. Nr. 228. p. 220.
1219. Andreas II. R. Hervinum in possessione terrae Szebeléb confirmat. Nr. 229. p. 221.
1219. Idem Joannis AEpiscopi Strig. sub sua in terram s. peregrinatione per turbulentos Nobiles e regno expulsi, ac Capituli Strig. plurima damna perpessi, intemeratam fidem, donata eidem Capitulo terra Vincz remuneratur. Nr. 230. p. 221.
1220. 25. Aug. Honorius PP. III. AEpiscopum Strigon., quod Episcopum Quinqueecclesiensem, defectu aetatis ac scientiae laborantem, confirmaverit, a beneficio suspendit Nr. 231. p. 224.
1220. 5. Dec. Honorius PP. III. Andream II. R. ad restituendas Constantiae, Emerici R. viduae res ablatas stringit. Nr. 232. p. 224.
1220. 18. Dec. Honorius PP. III. Nr. 213. confirmat. Nr. 233. p. 224.
1220. Andreas II. R. Joannem AEpiscopum Strigon. terram suam Surány cum terra Narhid Ernei Bani cambiasse testatur. Nr. 234. p. 225.
1220. Guncellus Rector hospitalis s. Regis Stephani Ord. Crucifer., AEpiscopus Spalat. eligitur. Nr. 235. p. 225.
- Ca. 1220. Nicolaus Palatinus editas in causa Abbatis Montis Pannon. contra incolas de terra Wicha litteras apud Cruciferos Strigon. reponi iubet. Nr. 236. p. 226.
1221. 2. Jan. Honorius PP. III. causam inter abbatem Montis Pannon. ac Episc. et Cap. Zagrab. super quibusdam decimis, terminari, aut sibi submitti iubet. Nr. 237. p. 226.
1221. 11. Mart. Honorius PP. III. causam inter Conventum de Grón et AEpiscopum Strigon. terminari, aut sibi submitti mandat. Nr. 238. p. 227.
1221. 19. Apr. Honorius PP. III. poenam ob confirmatum Episcopum Quinqueeccles AEpiscopo Strigon. remittit; non item poenam ob consecrationem Episcopi Jaurin. contractam, ipsumque contra piratas animat. Nr. 239. p. 228.
1221. 20. Apr. Honorius PP. III. ad querelam Andreae R. disponit, ut in Abbatia de Visegrad, quae graecos habet monachos, latini instituantur. Nr. 240. p. 228.
1221. 20. Apr. Honorius PP. III. decimam monetae contra Episcopum Csanad. AEpiscopo Strigon. confirmat. Nr. 241. p. 228.
1221. 20. Apr. Honorius PP. III. AEpiscopo Strigon. perscribit, ut delinquentes in solutione vicesimae absolvat. Nr. 242. p. 229.
1221. 20. Apr. Honorius PP. III. ecclesiam e munitione castri Poson. in oppidum transferri indulget. Nr. 243. p. 229.
1221. 23. Apr. Idem dioecesanos Strigon. et Veszprim. inhibet, ne parochianos Praepositi Poson. interdictos vel excommunicatos ad divina recipiant. Nr. 244. p. 230.
1221. 23. Apr. Idem AEpiscopum Strig. plene restitutum nunciat. Nr. 245. p. 230.



1221. 5. Dec. Honorius PP. III. AEpiscopum Strigon. et suffraganeos contra haereticos in partibus Bosniae animat. Nr. 246. p. 230.
1221. Idem AEpiscopum Strigon. provocat, ut sibi aliquot viros religiosos, Cistercienses imprimis, transmittat, ad sollicitudinem diversarum gentium destinandos. Nr. 247. p. 230.
1221. Abbas Montis Pannon. et filii Beus super terra Barsun conveniunt. Nr. 248. p. 231.
1221. Nicolaus Palatinus terram quamdam, ab Udornicis Strigon. impetitam, Capitulo Strig. iuxta privilegium Emerici R. adiudicat. Nr. 249. p. 231.
1222. 21. Jan. Honorius PP. III. AEpiscopo Strigon. et Episcopo Veszprim. committit, ut Praeposito Orodienzi, omnibus spoliato, restitutionem procurent. Nr. 250. p. 232.
1222. ante 7. Maii. Andreas II. R. libertates Regni, a s. Stephano concessas, adprobat, ac bulla aurea confirmat. Nr. 251. p. 232.
1222. 15. Dec. Honorius PP. III. contra simoniacum inquiri iubet. Nr. 252. p. 236.
1222. Andreas II. R. terram Szebeléb dono acceptam, et eam, Capitulo Strigon. confirmat, ac incolas a telonio per totum Comitatum Hont. immunes reddit. Nr. 253. p. 236.
1222. Detricus Comes de Zólyom et Herduinus terram Szebeléb Capitulo Strig. vendunt centum marcis argenti, e quibus viginti pro sacris relinquunt. Nr. 254. p. 238.
1223. 31. Jan. Honorius PP. III. Gregorium ob illata ecclesiae Orodienzi damna excommunicatum, ad certam conventionem servandam admoneri iubet. Nr. 255. p. 238.
1223. 11. Apr. Honorius PP. III. moneri iubet Regem, ad dandam Praeposito Arad. contra Comites Othes et Nicolaum, satisfactionem. Nr. 256. p. 239.
1223. 7. Oct. Honorius PP. III. AEpiscopo Strigon. indulget, ut praebendas Ecclesiae suae capellis annectendis augmentare valeat. Nr. 257. p. 239.
1223. circ. Nov. Joannes AEpiscopus Strigon. finem vitae sortitur. Nr. 258. p. 239.
1223. 13. Dec. Honorius PP. III. AEpiscopo Strigon. committit, ut latas per Episcopum Transylv. contra incolas terrae Borzae sententias annihilaret. Nr. 259. p. 240.
1223. Conventus Crucifer. Strigon. terram suam in Hetény Hogel ADiacono Comarom. vendit. Nr. 260. p. 240.
1223. Homines de villa Dorog pro terra quinque aratorum, metis separanda, Capitulo Strigon. terram campestram ad totidem aratra, et de terra arabili viginti quinque iugera absque metis, cedunt. Nr. 261. p. 241.

## XX. THOMAS I.

1224. p. 243.

1224. 3. Febr. Honorius PP. III. in causis Abbatis Montis Pannon. finaliter procedi iubet. Nr. 262. p. 245.
1224. 22. Febr. Idem moneri iubet Andream R., ut is in primogenitum suum Belam malitiosum non se exhibeat, eique certos redditus assignet. Nr. 263. p. 245.
1224. 13. Mart. Idem AEpiscopo Strigon. mandat, ut partes suas ad fovendam inter Andream R. et filium eius Belam pacem, efficaciter interponat. Nr. 264. p. 245.
1224. 2. Apr. Honorius PP. III. AEpiscopo Strigon. Conventum de Egres a perversorum molestiis defendendum commendat. Nr. 265. p. 245.
1224. 11. Jul. Idem causam, Abbatis Pannon. contra Capitulum Veszprim. super Ecclesia de Tord, et quibusdam decimis Simeg. terminari decernit. Nr. 266. p. 246.
1224. 4. Dec. Honorius PP. III. contra Praepositum Strigon., qui Andream R. iniuriis laceravit, inquisitionem mandat. Nr. 267. p. 246.
1224. Iula Palatinus piscinam Csehtó Capituli Budensis novis metis providet. Nr. 268. p. 247.

## XXI. VACAT SEDES.

1224—1226. 13. Mart. p. 248.

1225. 13. Febr. Honorius PP. III. Benedictinos in Hungaria ad Capitula annue celebranda, et visitationes coenobiorum instituendas stringit. Nr. 269. p. 249.
1263. 27. Apr. Omodaeus Episcopus Jaurin. testatur, AEpiscopum Strigon. contra iniustas procuratorum Episcopi Quinqueecl. praetensiones in Synodo Budensi protestatum fuisse. Nr. 626. p. 484.
1263. 3. Maii. Stephanus iunior Rex conditiones initae cum patre suo anno praeterito pacis confirmat et novis auget. Nr. 627. p. 485.
1263. 11. Maii. Philippus AEpiscopus Strigon., ad petitionem Belae R. hospitibus villae Lipse, facultatem ecclesiam parochialem construendi tribuit. Nr. 628. p. 487.



1263. 23. Jul. Urbanus PP. IV. admonet Belam IV. R., ne sarracenos et iudaeos, nisi Christiano adiuneto, colligendis proventibus regalibus praeficiat. Nr. 629. p. 487.
1263. 3. Aug. Bela IV. R. concordiam se inter et filium suum Stephanum opera AEpiscoporum Strigon. et Coloc. intervenisse, Urbano PP. IV. significat. Nr. 630. p. 488.
1263. 19. Sept. Urbanus PP. IV. ad relationem AEpiscopi Strigon. in enormia Episcopi Quinqueeccles. crimina inquiri iubet. Nr. 631. p. 488.
1263. 24. Sept. Episcopus Praenest., cui Papa provisionem commisit, Timotheum Canonicum Veszprim. contra Praepositum Poson., in episcopum Zagrab. praeficit. Nr. 632. p. 488.
1263. 1. Oct. Urbanus PP. IV. AEpiscopum Strigon., cui negotium terrae s. in Regno Hung. specialiter commisit, honore condigno suscipi mandat. Nr. 633. p. 489.
1263. 3. Oct. Idem eidem negotium terrae s. in Hungaria committit. Nr. 634. p. 489.
1263. 4. Oct. Idem AEpisc. Strig. verbum crucis praedicare mandat. Nr. 635. p. 490.
1263. ante 14. Oct. Bela IV. R. magistro Ladislao, ADiacono Hont. terram in villa Gyerk confert. Nr. 636. p. 491.
1263. ante 14. Oct. Idem Comiti Andreae, sylvam quamdam confert. Nr. 637. p. 492.
1263. 23. Oct. Urbanus PP. IV. cruce signatis in Hungaria per bullam indulget, ut ipsi extra dioeceses suas respectivas in causam trahi non possint. Nr. 638. p. 493.
1263. 23. Oct. Idem Episcopis Hung. iniungit, ut AEpiscopo Strigon., cui praedicationem crucis pro subsidio terrae s. detulit, assistere studeant. Nr. 639. p. 494.
1263. 11. Nov. Idem magistro Mathiae Bissenno, nepotum Episcopi Praenest. informatori, per AEpiscopum Strigon. de beneficio 15 marcarum provideri cupit. Nr. 640. p. 494.
1263. 17. Nov. Idem AEpiscopo Strigon. iniungit, ut Episcopo Aquinati fugato pensionem colligi et assignari faciat. Nr. 641. p. 494.
1263. Bela IV. R. ius patronatus monasterii s. Pantaleonis de Insula, a magistro Gabriele de Sudan, quia contra promissum illud haud restauravit, aufert, et Philippo AEpiscopo Strigon. ac successoribus etiam quoad temporalia confert. Nr. 642. p. 495.
1263. Idem decimas districtus Tornensis ob continuam in villa Görgö residentiam, in sustentationem curiae suae ab AEpiscopo Strigon. parato aere redimit. Nr. 643. p. 496.
1263. AEpiscopus Strigon. monialibus de Insula Leporum vineam quamdam in promontorio Csolnok confert. Nr. 644. p. 497.
1263. Capitulum Strigon. de venditione terrae Isterwecz litteras edit. Nr. 645. p. 498.
1263. Benedictus Praepositus Orod. fidelitatem iurat AEpiscopo Strig. Nr. 646. p. 498.
1263. Moniales de Insula Strig. acceptam ab AEpiscopo Strig. vineam in Csolnok, a Rege autem sororibus de Insula Budensi collatam, eisdem relinquunt. Nr. 647. p. 498.
1264. 13. Febr. Urbanus PP. IV. Ladislao Clerico Belae R. indulget, ut praeter ADiaconatum s. Leustachii, possit aliud beneficium curatum recipere. Nr. 648. p. 498.
1264. 31. Mart. Idem Roberto ADiacono Valkoensi, Canonicatum Strigon. Gerardi olim de Parma cum aliis redditibus, quos idem Gerardus habuerat, confert. Nr. 649. p. 499.
1264. 12. Apr. Idem Orbatio Praeposito de Posega, nepoti Episcopi Praenest, ecclesias s. Crucis de Susol et s. Margarethae confert. Nr. 650. p. 499.
1264. 30. Apr. Urbanus PP. IV. Praeposito Strig. mandat, ut Andream clericum, filium Andreae de Meniis, in Ecclesia Albensi recipi faciat in Canonicum. Nr. 651. p. 499.
1264. 6. Maii. Philippus AEpiscopus Strigon. Decano et plebanis de Cibinio indulget, ut eos nullus citare, aut appellare contra illos valeat, nisi prius Decano eorum secundum iuris ordinem requisito. Nr. 652. p. 500.
1264. 6. Maii. Idem eisdem ob longam viae distantiam indulget, ut omnia sacramenta episcopalia a quocunque catholico Episcopo recipere valeant. Nr. 653. p. 500.

1264. 10. Maii. Bela IV. R. merita Sixti, Lectoris Strigon., in diuturna legatione Romana comparata, donatione terrae Hetény remuneratur. Nr. 654. p. 500.
1264. 25. Maii. Zozymas Episcopus Varad. Capitulo Ecclesiae Strigon., in qua sepulturam elegit, possessionem Berey confert. Nr. 655. p. 502.
1264. 25. Maii. Idem Capitulo Strig. in recompensationem beneficiorum terram Berey, Comitatus Sümeg. cum duobus servis, ac patre eorum fugitivo, confert. Nr. 656. p. 503.
1264. 28. Maii. Iudices Regii piscinam Csehtë Capit. Budensi readiudicant. Nr. 657. p. 504.
1264. 16. Jun. Sol Praepositus Dömös. cum fratre suo Ochuz, Dionysio Comiti debitum fratris eorundem Thomae, AEpiscopi Coloc., persolvunt. Nr. 658. p. 505.
1264. 20. Jun. Urbanus PP. IV. Giroldum de Owad clericum Jaurin. dioecesis per AEpiscopum Strig. in possessionem quarundam capellarum, eidem per Episcopum Praenest. collatarum, introduci iubet. Nr. 659. p. 505.
1264. 14. Jul. Urbanus PP. IV. per AEpiscopos Strigon. et Coloc. moneri iubet Cumanos, ut baptizati ex eis fidem cathol. observent, reliqui vero infra certum terminum fidem suscipere non omittant. Nr. 660. p. 505.
1264. 15. Jul. Urbanus PP. IV. rati habet dispositionem Belae R., qua is castrum Visegrad Reginae ea intentione donavit, ut illud filiae suae Margarethae et aliis virginibus securitatem tempore necessitatis praebeat. Nr. 661. p. 506.
1264. 15. Jul. Urbanus PP. IV. Belam Slavoniae Ducem, in donatis eidem per Belam R. castris opera AEpiscopi Strig. conservari iubet. Nr. 662. p. 506.
1264. 15. Jul. Urbanus PP. IV. Episcopo Nitriensi committit, ut Sixtum Capellanum papalem scholasticum Strigon., clericum et nuncium Belae R. in Zagrab. vel alia Ecclesia in Canonicum recipi procuret. Nr. 663. p. 507.
1264. 16. Jul. Urbanus PP. IV. Stephanum iuniorem Regem ad restituendas matri suae certas possessiones per AEpiscopum Strigon. stringi iubet. Nr. 664. p. 507.
1264. 21. Aug. Urbanus PP. IV. ad denunciationem AEpiscopi Strigon. inquisitionem contra Job Episcopum Quinqueeccles. ordinat. Nr. 665. p. 507.
1264. 23. Aug. Idem Praeposito s. Georgii Strigon. committit, ut Aegidium presbyterum Jaurin. dioecesis in Canonicum Budensem recipi faciat. Nr. 666. p. 508.
1264. 23. Aug. Idem Valentino diacono Strigon. indulget, ut defectu natalium non obstante, presbyteratum et beneficium ecclesiasticum obtinere valeat. Nr. 667. p. 508.
1264. 2. Sept. Urbanus PP. IV. AEpiscopo Strig. rescribit, ne in provisione Episcopi Aquinatis ultro procedat. Nr. 668. p. 508.
1264. ante 14. Oct. Bela IV. R. monasterium s. Leustachii de Csuth, a se fundatum, pluribus possessionibus dotat. Nr. 669. p. 509.
1264. ante 14. Oct. Bela IV. R. villam Nyárhid a Cumanis ob excessus eorum auferendo, monasterio s. Leustachii de insula Csuth confert. Nr. 670. p. 514.
1264. 11. Nov. Maria Regina Magistro Sixto, lectori Strig., ob legationem suam ad Curiam Romanam terram reginalem Hetény in perpetuum confert. Nr. 671. p. 517.
1264. Dionysius nobilis de Chermel viva voce declarat, quod portionem suam terrae cuiuspiam Capitulo Nitriensi legasset. Nr. 672. p. 518.
1264. Sibridus, teutonicus Medlicensis tributum de Udvard Philippo AEpiscopo Strig. coram Capitulo Jaurin. vendit. Nr. 673. p. 518.
1264. Comes Sebridus de Medlek terras Örs et Vérth Philippo AEpiscopo Strigon. coram Capitulo Jaurin. vendit. Nr. 674. p. 519.
1264. Litterae metales possessionis Kiszleu-Pecheny vocatae, ad Abbatiam s. Benedict de Gran pertinentis. Nr. 675. p. 520.

1265. 14. Jan. Bela IV. R. iura praedialium liberorum, jobagionum castri de Ryuche sententialiter ordinat. Nr. 676. p. 520.
1265. 28. Mart. Bela IV. R. ad salutandum neoelectum Papam Clementem IV. clericum suum Magistrum Ladislaum dirigit, compositionem se ipsum inter et filium suum Stephanum factam confirmari petendo. Nr. 677. p. 520.
1265. 1. Apr. Bela IV. R. Waltero, Comiti Camerae, quia castrum Comarom. magnis sumtibus restauravit, etiam civitatem Comarom. confert. Nr. 678. p. 520.
1265. 11. Apr. Idem possessionem Joannis, filii Szöch, Telky vocatam, propter illata Cruciferis Strigon. damna, iisdem Cruciferis adiudicat. Nr. 679. p. 522.
1265. 25. Jun. Clemens PP. IV. contra Tartaros, sociosque illis paganos verbum crucis praedicandum disponit. Nr. 680. p. 522.
1265. 5. Jul. Magister Brictius, sublector Nitriensis terram Szölen monasterio de iuxta Grón legat coram Capitulo Nitriensi. Nr. 681. p. 522.
1265. 21. Jul. Bela IV. R. hospitibus de Hybe in Comitatu Liptov. facultatem plebanum libere eligendi concedit. Nr. 682. p. 523.
1265. 29. Jul. Idem litem Nobilium de Zellö contra AEpisc. Strig. super villis Szalatna, Verébuna et Zellö, ac eccl. s. Nic. per partes compositam fuisse testatur. Nr. 683. p. 523.
1265. Jul. Magistratus Strigon. Syrliz civem domum suam filiae suae Catharinae vendidisse testatur. Nr. 684. p. 525.
1265. 9. Sept. Bela IV. R. Martinum Banum portionem suam in insula Tobold fundato a se monasterio de Ság contulisse testatur. Nr. 685. p. 526.
1265. 12. Oct. Zozimas Episcopus Varad., beneficia accepta repensurus, Capitulo Strigon. terram Berei, usu vinearum reservato, donat et statuit. Nr. 686. p. 526.
1265. 13. Oct. Bela IV. R. Magistrum Demetrium, confessarium suum, ADiaconum Bars. in suis, et regni sui negotiis ad Clementem PP. IV. mittit. Nr. 687. p. 527.
1265. 17. Oct. Bela IV. R. Num. 686. transmittit et confirmat. Nr. 688. p. 528.
1265. 12. Nov. Bela IV. R. super compositione, inter Capitulum Strigon. et Andream comitem de Bana, ratione tenutorum in villa Aha facta, testatur. Nr. 689. p. 528.
1265. 30. Nov. Idem causam filiorum Ryhen, ordinat. Nr. 690. p. 529.
1265. Maria Regina Benedicto Comiti, fratri Pauli Episcopi Veszprim, pro revocata per Regem possessione Pel, terram suam propriam Wyceps confert. Nr. 691. p. 530.
1265. Sebridus, teutonicus Medlicensis tributum de Udvard cum terris Örs et Vérth Philippo AEpiscopo Strigon. coram Cruciferis Strigon. vendit. Nr. 692. p. 531.
1266. 13. Jan. Bela IV. R. ad terminandam causam Episcopi Veszprim. contra Comitem Martinum cum delegatis Iudicibus in villa Kosuk convenit. Nr. 693. p. 532.
1266. 21. Jan. Clemens PP. IV. Belae Regi, ut Timotheum Episcopum Zagrab., licet ignobili loco natum, recipere velit. Nr. 694. p. 532.
1266. 23. Mart. Bela IV. et filius eius Stephanus in pactum inviolabiliter servandae conventionis iam nunc se subiiciunt excommunicationi, per AEpiscopum Strigon., voto ipsorum confirmiter formulatae. Nr. 695. p. 533.
1266. 27. Apr. Idem Demetrium ADiaconum ad Papam denuo mittit. Nr. 696. p. 534.
1266. 9. Maii. Idem Magistro Sixto, ADiacono Comarom., terram Hetény confert, et collationem reginalis terrae, similiter Hetény, eidem factam, ratihabet. Nr. 697. p. 534.
1266. ante 20. Junii. Stephanus iunior Rex donationes a patre suo matri suae factas confirmat. Nr. 698. p. 536.
1266. 23. Jun. Idem iunior Rex terram Kemencze Comiti Andreae confert. Nr. 699. p. 536.



1266. 4. Jul. Clemens PP. IV. Farcasium, elect. Praepositum Albensem confirmari iubet. Nr. 700. p. 537.
1266. 8. Jul. Idem Demetrium ADiaconum, Capellanis suis adgregat. Nr. 701. p. 537.
1266. 13. Jul. Stephanus Vanchai Episcopus Praenest. Ordinem s. Guilielmi cum ordine s. Augustini unit. Nr. 702. p. 537.
1266. 24. Sept. Clemens PP. IV. fratrem Enecum, ord. minorum, Poenitentiarium suum, in excessus Episcopi Quinqueecclesiensis personaliter inquirere iubet. Nr. 703. p. 538.
1266. 26. Oct. Capitulum Strigon. Nobiles de Balan possessiones suas inter se divisisse testatur. Nr. 704. p. 538.
1266. 11. Dec. Clemens PP. IV. Stephanum Praepositum Poson., in AEpiscopum Coloc. electum confirmat. Nr. 705. p. 538.
2266. Bela IV. R. super tributo pontis, in fluvio Ipoly, prope Monasterium de Sagh constructi, litteras edit. Nr. 706. p. 539.
1266. Philippus AEpiscopus Strigon. particulam terrae Zeuleus emit. Nr. 707. p. 540.
1266. Capitulum Strigon. ad reambulandas terrarum Comitum Hunt-Paznan metas, Wycke Decanum exmittit. Nr. 708. p. 540.
1267. 11. Febr. Clemens PP. IV. Stephanum Praepositum Poson., Demetrii ADiaconi Strigon. electione reiecta, in AEpiscopum Coloc. denuo confirmat. Nr. 709. p. 540.
1267. Febr. Conventus monasterii Varadiensis testatur, Conventum Sexardiensem terram Peturd Comiti Bodur vendidisse. Nr. 710. p. 541.
1267. 20. Jul. Bela IV. R. merita Comitum Joachimi, de genere Churla, ac filiorum Thomae, et inprimis Philippi AEpiscopi Strigon. laudat et remuneratur. Nr. 711. p. 541.
1267. 26. Nov. Idem Magistro Sixto, Scholastico Strigon. et per cum suis e sorore nepotibus terram Rodovan confert. Nr. 712. p. 542.
1267. 9. Dec. Laurentius Palatinus, iussu Regis jobagiones equites monasterii Tihany, duodecim exceptis, in conditionarios populos redigit. Nr. 713. p. 543.
1267. Bela IV. et Stephanus iunior Rex libertates, a s. Stephano nobilibus regni concessas confirmant. Nr. 714. p. 544.
1267. Stephanus iunior Rex servitia militaria Joannis filii Chabanka, collatione terrae Halász remuneratur. Nr. 715. p. 544.
1267. Philippus AEpiscopus Strigon. et delegati cum eo Iudices super portione terrae Nykh, Ponyth filio Arnoldi silentium imponunt. Nr. 716. p. 545.
1268. 24. Febr. Clemens PP. IV. Praeposituram de Titel confirmat, exemptamque AEpiscopo Strigon. subiicit. Nr. 717. p. 545.
1268. 24. Sept. Clemens PP. IV. statutum regnicolarum circa decimas reprobatur, Regesque a praestito eatenus iuramento dispensat. Nr. 718. p. 547.
1268. post. 24. Sept. Archi- et Episcopi Hungariae litteras Clementis PP. IV. Nro. 718. exhibitas se recepisse testantur. Nr. 719. p. 547.
1268. ante 14. Oct. Bela IV. R. villam Udvard et tributum, ibidem exigi consuetum, AEpiscopo Strigon., qui villam hanc a Regina centum marcis comparavit, in perpetuum confirmat. Nr. 720. p. 548.
1268. ante 14. Oct. Bela IV. R. venditionem castri Comarom., Valtero Comiti factam, rati habet et pertinentias castri metis distinguit, eidemque Comiti una Civitatem etiam Comaromiensem donat. Nr. 721. p. 550.
1268. Capitulum Strigon. Mortunus et Georgium, interpretes Kelduchini Cumani, in terra Nyir, excepta portione Petri, Civis Strigon. statutos fuisse testatur. Nr. 722. p. 560.



1268. Cruciferi Strigon. Martinum Abbatem de Grón ecclesiae suae terram de Párkány Simeoni jobagioni castri Strigon. donasse testantur. Nr. 723. p. 561.
1269. 13. Mart. Bela dux Slavon. patrisuo Belae R. terram Orosz confert. Nr. 724. p. 562.
1269. 14. Maii. Comes Dionysius terram suam Barbata monasterio s. Benedicti de iuxta Grón donat, coram Capitulo Strigon. Nr. 725. p. 563.
1269. 29. Jun. Capitulum Albense requirit Capitulum Nitriense, ut litteras suas super venditione terrae Baroch, Nr. 727. exhibitas, privilegialiter expediat. Nr. 726. p. 563.
1269. 30. Jun. Dominicus, comes de Baranya terram suam Baroch vendit Philippo AEpiscopo Strigon. coram Capitulo Albensi. Nr. 727. p. 564.
1269. 8. Jul. Bela IV. R. committit Capitulo Strigon., ut decem marcas, quas Stephanus, filius Amadei, Urka clavigero regali solvere debet, procuratori eius admanuari procuret. Nr. 728. p. 565.
1269. 13. Jul. Urka de Kural, tavernicus regalis, terram Vezekény cedit Stephano, filio Amadei, pro decem marcis, coram Capitulo Strigon. receptis. Nr. 729. p. 565.
1269. 22. Jul. Philippus AEpiscopus Strigon. vineam in monte Bala Rectori altaris s. Luciae, contra Jacobum, eam indebite reclamantem adiudicat. Nr. 730. p. 566.
1269. 1. Aug. Capitulum Nitriense ad requisitionem Capituli Albensis Nr. 727. privilegialiter expedit. Nr. 731. p. 568.
1269. 3. Oct. Bela IV. R. decimas de Durguche, una cum plebania Segusdiensi ecclesiae Veszprim. restituit. Nr. 732. p. 568.
1269. ante 14. Oct. Bela VI. R. terram Kér castri Nitriensis Philippo AEpiscopo Strigon. confert. Nr. 733. p. 569.
1269. 19. Oct. Soldan de Kék terram iniuste occupatam monasterio de Tihany remittit, coram Capitulo Veszprimiensi. Nr. 734. p. 569.
1269. Maria Regina merita Pauli Episcopi Veszprim. remuneratura, fratri ipsius, Comiti Benedicto, terras Monyoród et Munkád confert. Nr. 735. p. 570.
1269. Magistratus Strigon. testatur, Margaretham, relictam Bartholomaei, terram mariti sui in Csolnok existentem Balduino et Geles vendidisse. Nr. 736. p. 571.
1269. Abbacia B. Mariae V. de Campo Strigon., Ord. Cisterc. fundatur. Nr. 737. p. 571.
1270. 5. Mart. Stephanus iunior Rex causam inter Dominicum Comitem de Sáros, et Philippum AEpiscopum Strigon., super quadam insula in fluvio Sajó certamine duelli dirimendam, pugilibus iam diutius dimicantibus, amice compositam esse testatur. Nr. 738. p. 572.
1270. post. 5. Mart. Capitulum Vaciense Philippum AEpisc. Strig. eidem Dominico vi Nr. 738. quinque marcas exsolvisse testatur. Nr. 739. p. 572.
- Sine dato. Bela IV. R. omnes Abbatiae Montis Pannoniae terras per Albeum ADiaconum reambulari facit. Nr. 740. p. 573.
1270. 3. Maii. Bela IV. R. moritur et Strigonii sepelitur. Nr. 741. p. 574.
1270. 13. Maii. Stephanus V. R. partem tributi Strigon., quae hucum Comitem Strigon. contingebat, Capitulo Strigon. confert. Nr. 742. p. 575.
1270. 18. Maii. Moyses Palatinus Philippum AEpisc. Strig. in munus Comitis Strig., Capit. autem in possessionem tributi hucum ad Comit. pertinentis introducit. Nr. 743. p. 576.
1270. 6. Jul. Capitulum Strigon. socium suum Mathaeum Custodem, cum tribus parochis Strigon. circa praestandas candelas transegisse testatur. Nr. 744. p. 576.
1270. 26. Jul. Stephanus V. R. conditionariis de Epel, quos una cum villa Capitulo Strig. contulit, recedendi facultatem denegat. Nr. 745. p. 577.

1270. 30. Jul. Stephanus V. R. in memoriam coronationis suae Capitulo Strigon. villam Epel confert. Nr. 746. p. 578.
1270. 8. Sept. Stephanus V. R. in favorem Dionysii, Cancellarii Pincernarum regalium, et fratrum suorum, Nrum. 711. confirmat. Nr. 747. p. 579.
1270. 24. Sept. Capitulum Strigon. et Nobiles de Ságh super terris Ságh inter se conveniunt, coram Capitulo Vaciensi. Nr. 748. p. 580.
1270. 22. Oct. Capitulum Strigon. pro terra emittit in Epel ius suum quoad Udvarnok, Andreae eiusque fratribus et cognatis cedit. Nr. 749. p. 581.
1270. 22. Oct. Andreas cum filiis et cognatis Capitulo Strigon. pro iure eius possess. in Udvarnok, terras in Epel cedunt, coram Cruciferis Strigon. Nr. 750. p. 582.
1270. Stephanus V. R. fratribus Ord. Eremitarum s. Augustini in Mezösomlyó molendinum confert. Nr. 751. p. 582.
1270. Herch civis de Bars molendinum suum vendit Abbatae de Grón. Nr. 752. p. 583.
1270. Nobiles quidam de Ságh terras suas Aegidio, filio Rugas, vendunt, coram Conventu Cruciferorum Strigon. Nr. 753. p. 584.
1271. 20. Jan. Philippus AEpiscopus Strigon. beatam Margaretham, Belae IV. R. filiam, sanctimoniam Ord. Praed. solenniter sepelit, exequiasque peragit. Nr. 754. p. 585.
1271. 23. Mart. Conventus Cruciferorum Strigon., Demetrium vineas suas, in Epel habitas, Capitulo Strigon. vendidisse testatur. Nr. 755. p. 586.
1271. 28. Jun. Capitulum Strigon. de divisione terrarum, inter Comitem Michaellem, Magistrum Farkasium et Zoloch, filios Comitis Folcus paracta testatur. Nr. 756. p. 587.
1271. 14. Jul. Puncta pacis inter Ottocarum Boh. et Steph. Hung. reges. Nr. 757. p. 587.
1271. 3. Sept. Puturke vineam suam in Epel Capitulo Strigon. vendit. Nr. 758. p. 588.
1271. 12. Sept. Stephanus V. R. Nrum 556. transcribit et confirmat. Nr. 759. p. 588.
1271. Capitulum Strigon. Levas comitem de Sarov terram suam Kér Comiti Budov perpetuo vendidisse testatur. Nr. 760. p. 589.
- Post a. 1271. Plures Strig. per invocationem b. Margaritae V. sanantur. Nr. 761. p. 590.
1272. 21. Jan. Magister Sixtus Lector Strigon. iudex regius super terris udvornicorum per totum Regnum, destrui curat novas metas, quas udvornici de Keercha in praeiudicium monasterii de Apacha Somlyo erexerunt. Nr. 762. p. 591.
1272. 2. Febr. Magister Sixtus Lector Strigon., iudex super terris Udvornicorum, terras Nobilium de Thoty in Comit. Zaladiensi a terris Udvornic. separat. Nr. 763. p. 591.
1272. 17. Febr. Magister Sixtus Lector Strigon., Iudex super terris Udvornicorum, causam inter udvornicos de villa Berin et villa Bech decedit. Nr. 764. p. 591.
1272. 17. Febr. Stephanus V. R. patentes litteras Magistri Sixti Lectoris Strigon., Nro. 762. comprehensas, confirmat. Nr. 765. p. 592.
1272. 21. Mart. Idem foundationem monasterii de Chut, a patre suo Bela IV. factam, ratihabet et possessiones eidem donatas limitibus circumscribit. Nr. 766. p. 592.
1272. ante 29. Mart. Idem decernit, decimas etiam e collectis lucri Camerae ultra Dravam AEpiscopo Strigon. competere, et Lorando bano silentium imponit. Nr. 767. p. 595.
1272. 29. Mart. Lorandus banus decimam lucri Camerae de ultra Dravam a Philippo AEpiscopo Strigon. mutuo petit. Nr. 768. p. 596.
1272. 1. Maii. Stephanus V. R. Antonio ADiacono de Sasvár, et per eum fratribus ipsius Beled et Jacinto insulam quamdam iuxta Rabam confert. Nr. 769. p. 597.
1272. 5. Maii. Gregorius PP. X. Nrum. 757. observari praecipit. Nr. 770. p. 597.
1272. 20. Maii. Peturke terram suam in Epel Capitulo Strigon. donat. Nr. 771. p. 598.

## XLVIII

1272. 12. Jun. Sixtus Lector Strigon., iudex super terris udvornicorum terram de villa Tukurch Alexandro et Chepano de genere Jak, adiudicat. Nr. 772. p. 598.
1272. 28. Jun. AEpiscopus, Capitulum et Cruciferi Strigon. litem super metis villarum sz. Pál, Dorogh, sz. István, sz. István király et terrae Bille, coram Iudice Curiae Regiae suscitata, per arbitros componunt. Nr. 773. p. 599.
1272. 11. Jul. Capitulum. Strigon. super venditione partis terrae Jolok litteras edit. Nr. 774. p. 601.
1272. 13. Jul. Stephanus V. R. Nrum. 752. transcribit et confirmat. Nr. 775. p. 601.
- (1270 – 1272.) 13. Jul. Stephanus V. R. Dionysio Comiti Barsiensi iniungit, ut fundum Curiae in Bars cum molendino Monasterio s. Ben. restituat. Nr. 776. p. 602.
1272. ante 1. Aug. Stephanus V. R. Nobiles et conditionarios Ecclesiae Strigon., nobilibus Regni semet aggregare volentes, ad consueta servitia redire iubet, refractarios autem Palatinus Ecclesiae capere et condemnare possit, ita exigentibus Ecclesiae Strigon. privilegiis, quae etiam enumerat. Nr. 777. p. 603.
1272. ante 1. Aug. Idem Nrum. 637. transcribit et confirmat. Nr. 778. p. 604.
1272. ante 1. Aug. Idem Abbati s. Ben. de Grón villam Henevez confirmat. Nr. 779. p. 605.
1272. ante 1. Aug. Stephanus V. R. transmittit metales inter Civitatem Strig. et villas Táth ac Tokod. Nr. 780. p. 605.
- 1270 – 1272. Ad sepulchrum b. Margaritae Virg. hominis cuiusdam manus arida sanitati restituitur. Nr. 781. p. 605.
1272. 19. Sept. Ladislaus IV. R. moniales de insula Budensi in possessionem quarundam vinearum Strigon. introduci facit. Nr. 782. p. 606.
1272. 28. Sept. Magistratus Strigon. vineam in Csolnok Gean mercatori ratione debiti viginti septem marcarum adiudicat. Nr. 783. p. 606.
1272. 20. Nov. Magister Sixtus Lector Strigon. possessionem suam Hetény AEpiscopo, Valentinus Cantor autem possessionem suam Kiskeszi Altariae s. Margarethae conferunt, ea conditione, ut possessiones hae, si Capitulum s. Stephani Protomart. erectum fuerit, illi cedant, quam ordinationem Ladislaus IV. R. confirmat. Nr. 784. p. 606.
1272. 28. Nov. Capitulum Strigon. Nrum. 783. transcribit. Nr. 785. p. 609.
1272. 7. Dec. Philippus AEpisc. Strig. Nrum. 783. transcribit et confirmat. Nr. 786. p. 609.
1272. Philippus AEpiscopus Strigon. iussu Gregorii PP. X. in miracula b. Margaritae, Beatae IV. R. filiae, inquit. Nr. 787. p. 610.
1272. Sixtus, Lector Ecclesiae Strigon. privilegium Mariae Reginae per Capitulum Albense transcribi petit. Nr. 788. p. 611.
1272. Capitulum Albense ad preces Sixti Lectoris Strigon. Nrum. 671. transcribit. Nr. 789. p. 612.
- (1268 – 1272.) Martinus Abbas s. Benedicti Philippum AEpiscopum Strigon. ab occupatione et detentione plurium possessionum inhibet, coram Conventu de Ság et Zoboriensi. Nr. 790. p. 612. et Nr. 791. p. 613.
1272. post. 18. Dec. Philippus AEpisc. Strigon. diem supremum claudit. Nr. 792. p. 614.

## XXIX. VACAT SEDES.

1272. post 18. Dec. – 1273. circ. Febr.



**MONUMENTA**  
**ECCLESIAE STRIGONIENSIS.**

**Esztergom- Budapesti Főegyházmegye**  
**Esztergomi Érseki Levéltár**

## I.

# ASTRICUS RECTIUS ANASTASIUS.

DE GENERE JILIC.

999 — circ. 1036. 12. Nov.

Quis primam hanc in Hungaria Infulam primus gesserit, scriptores tam domestici quam extranei, eosdem licet passim fontes secuti, in diversas sententias abeunt. Primus omnium, qui Tirnaviae a. 1573. anonyme typis datus est, Catalogus, nullo fonte indicato, Anastasium; alter, qui Corpori Juris Hung. adnexus est, Catalogus, S. Adalbertum et post hunc eundem Anastasium infula hac ornant. Subsequentibus autem scriptores Legendae s. Stephani, ab Hartvico compilatae, iusto plus tribuentes et sensum Diplomatis s. Stephani, Abbatiae montis Pannoniae a. 1001. dati, nimium extendentes, expuncto penitus Anastasio, alii Sebastianum, alii Dominicum illi substituerunt.

Quaestio haec ad stabiliendum rectum successionis ordinem tam magni est momenti, ut officii nostri esse duxerimus, eandem omni ex parte investigare, per-lustrare, ac tandem, quantum licet, veritati conformiter enodare.

Hartvicus, ab antiquioribus scriptoribus Chartuitius dictus, qui teste Ma-billonio <sup>1)</sup> sec. XIII. <sup>2)</sup>, secundum alios autem a. 1106—1114 <sup>3)</sup> legendam su-am de s. Stephano rege compilavit, haec in rem nostram habet:

„Eo tempore in monasterio sancti martini erat monachus quidam, seba-stianus nomine, cuius probabilis uita et deuota in dei seruicio religio habe-batur. Hunc rex uenerabilis miro cepit amore diligere, quia quanto quis reli-giosior, tanto erat ei acceptior. Illum ergo ob uite merita pontificali honore dignum iudicans, regendo strigoniensi archiepiscopatu eum pre-fecit. At quoniam flagellat deus omnem filium, quem recipit, predictum seba-stianum ad probandam ipsius patientiam corporalium oculorum lumine ad tem-pus priuauit. Sed ne nouellus in fide grex absque pastoris regimine a recti-tramitis proposito deuiaret, per consensum romani pontificis sepe dictum ascri-

1) Acta sanctor. Ord. Benedicti Seculum VI. Pars I. Venetiis apud Seb. Coleti pag. 67.

2) Florianus Mátyás recentissime hoc idem se propugnaturum promittit. Vide Astrik—Anastas első esztergomi érsek. Buda 1869. pag. 6.

3) Pertz Mon. Germ. SS. IV. 607. sub nota 33.



cum colocensem episcopum in locum illius substituit. Evolutis dein trium annorum circulis, sebastianus ex dei misericordia recepto lumine, rursum per apostolici consilium sue sedi restitutus est, et ascribus ad suam ecclesiam, uidelicet colocensem, cum pallio rediit. " 1)

Huic narrationi conformiter Sebastianum primum Archiepiscopum fuisse asserunt Bonfinius <sup>2)</sup>; Anonymus Hungarus a. 1527 <sup>3)</sup>; Melchior Inchoffer <sup>4)</sup>; Martinus Szentiványi <sup>5)</sup>; Thomassinus <sup>6)</sup>; Ludovicus Du Mesnil <sup>7)</sup>; Stephanus Tarnóczy <sup>8)</sup>; Carolus Fr. Palma <sup>9)</sup>; Damianus Fuxhoffer, <sup>10)</sup> Maurus Czinár <sup>11)</sup> et B. Dudik. <sup>12)</sup>

Interea diploma s. Stephani Regis, Abbatiae Montis Pannoniae a. 1001. datum, per extensum innotuit. Litteras has primus quodsciam edidit Joannes Sambucus, ast ipso in nomine Archiepiscopi depravavit <sup>13)</sup>, ac epilogum reticuit. Sambucum sequitur Inchofferus. <sup>14)</sup> Correctius ediderunt Bonaventura Piter, <sup>15)</sup> Odoricus Raynaldus <sup>16)</sup>. Epilogum tamen et hic omisit. Hunc sequitur Joannes Stillingus <sup>17)</sup>. Adamus Fr. Kollár <sup>18)</sup> autem et Josephus Jnn. Desericius <sup>19)</sup> nec non Stephanus Katona <sup>20)</sup> et inter hos correctissime Chrysostomus Novák <sup>21)</sup> ex ipso autographo easdem publici iuris fecerunt. Stephanus tandem Horvát diplo-

1) Ex editione omnium correctissima Joannis Érdy Pest. 1854. p. 16.

2) Rer. Ungar. Decades Francofurti 1581. Dec. 11. libr. I. pag. 177.

3) His verbis: olwastatyk, hogy zent Martonból az apathw zerzetből yztragomy ersekkee valazta eegy zent eeletw fraterf, kynek Sebestyen vala newe. " E codice Érdyano Érdy l. c. pag. 46. et Toldy Magyar Szentek Legendái Pest 1859. pag. 16.

4) Annales Eccl. Regni Hung. Romae 1644. „Sebastianus ergo seriem Strigon. Archipresulum initiat.“ pag. 264.

5) „Qui fuit primus Archi-Episcopus Strigon. nominatus a s. Rege Stephano a. 1002. Dissertatio Paralipomenonica Rer. Memorab. Hung. Ex parte I. Decadis III. Tirnaviae 1699. pag. 62.

6) Vetus et nova Eccl. Disciplina. Venetiis 1730. I. 143.

7) Doctrina et Disciplina Eccl. Coloniae 1730. IV. 37. „Metropolis esset Strigonia et primum Archiepiscopum consecrari fecit Sebastianum magnae pietatis monachum.“

8) Ungaricae Sanctitatis Indicia Edit. sec. Tirnaviae 1737. pag. 49. Liber hic anonymus prodiit et a Steph. Katona (Hist. Crit. R. Hung. tom. 38. pag. 865.) ac Nicolao Schmitth (AEppi Strig. I. 21.) Gabrieli Hevennessi tribuitur.

9) Notitia Rer. Hung. Edit. III. Pest. 1785. I. 211.

10) Monasteriologia R. Hung. Veszprimii 1803. I. 68.

11) Qui Fuxhofferi opus auxit Pest 1858 I. 61.

12) Mährens allg. Gesch. Brünn 1863. II. 93.

13) Loco „domno quoque dominico archiepiscopo,“ legit: Dominoque meo Archiepiscopo. V. Decretorum aliquot Regum Vng. ad contextum Bonfinii illustrandum Liber. Francofurti 1581. pag. 11. Liber hic Bonfinii Decadibus, eodem anno editis, est adnexus.

14) In Annalibus cit. pag. 269.

15) Thes. abscond. in agro seu monasterio Brzewnoviensi. Brunae 1762. pag. 158.

16) Ad a. 1232. num. 24. prout insertae erant Litteris Gregorii PP. IX., qui privilegium abbatiae confirmavit.

17) Vita s. Stephani Regis Hung. Jaurini 1747. tum Cassoviae 1767. pag. 123. Nos alteram editionem ad manus habemus.

18) Hist. Dipl. Juris Patronatus Hung. Regum Vindobonae 1762. pag. 70.

19) De initiis ac maioribus Hungarorum. Pest 1760. Tom. V. pag. 31. et 100.

20) Hist. Crit. Reg. Hung. Pest. 1779. I. pag. 93.

21) Vindiciae Diplomatis, quo s. Stephanus Monast. s. Mart. de s. Monte Pann. fundaverat. Budae 1780; quamvis hic quoque loco: „domno quoque“ erronee ponitur: dono quoque. Pag. 8.

matris huius fidelissimum ectypon, ab Archiabbate Archiduci Josepho, Regni Palatino a. 1835. submissum, lithographice multiplicatum vulgavit. <sup>1)</sup>

In diplomate hoc sequentia leguntur:

„Astantibus ducibus videlicet Poznano, Cuntio, Orchio, domno quoque Dominico Archiepiscopo votum vovi.“

Ad latus sinistrum monogrammati Stephani Regis legitur:

„Dominicus Archiepiscopus vicecancerarius fecit.“

In fine autem post Datum litterarum additur:

„Hae sunt nominatae uillae in dedicatione aeccliesiae ab archiepiscopo Sebastiano, et a comite Ceba.“

His ergo verbis insistentes, Dominicum Sebastiano praeponunt Samuel Timon <sup>2)</sup> et Alexander Szöreny <sup>3)</sup>. Hos sequuntur: Andreas Spangar <sup>4)</sup> Ladislaus Turóczy <sup>5)</sup> Michael Bonbardi <sup>6)</sup> Nicolaus Schmitth; <sup>7)</sup> Michael Ambrosovszky; <sup>8)</sup> Franciscus Babai; <sup>9)</sup> Georgius Pray; <sup>10)</sup> Stephanus Katona; <sup>11)</sup> Georgius Papanek; <sup>12)</sup> Andreas Lehotzky; <sup>13)</sup> Ignatius Fessler; <sup>14)</sup> Georgius Fejér; <sup>15)</sup> Gustavus et Emericus Bartay; <sup>16)</sup> Emericus Palugyay; <sup>17)</sup> Michael Kemp; <sup>18)</sup> Joannes Török; <sup>19)</sup> Josephus Podhradczky; <sup>20)</sup> Maurus Czinár; <sup>21)</sup> et recentissime Pius Bon.

1) In opere periodico Tudományos Gyűjtemény a. 1836. fasc. 1.

2) Synopsis novae Chronologiae Tirnaviae 1714–1719. 4. partes, quas a Rudolpho Rege Thomas Rost auxit et edidit hoc titulo: Epitome Chronologica rerum Hung. Cassoviae 1736. (v. Katona Hist. Crit. tom. 38. pag. 893.) Nos editionem Claudiopolitanam a. 1764. adhibemus, ubi ad a. 1002. legitur: „s. Sebastianus ex monacho coenobii s. Martini post Dominicum Archiepiscopus Strigon.“

3) Nova series A. Epporum. Strigon. Tirnaviae 1717. pag. 1.

4) Magyar Krónika. Kassa 1738. I. pag. 133. et IV. pag. 129.

5) Ungaria suis cum Regibus Tirnaviae 1729. Hanc a Nicolao Schmitth auctam et a regibus Austriacis suo studio continuatam Stephanus Katona recudit ibidem 1768. (Vide Hist. Crit. tom. 38. pag. 897.) Nos posteriori hac editione utimur. Pag. 84.

6) Topographia magni Regni Hung. Viennae 1750. pag. 166.

7) Archi-Episcopi Strigonienses. Prima editio anonyma Tirnaviae a. 1752. in fol., altera ibidem 1758. in 4-o Pag. 1–8.

8) Compendiosa Chronologia Hung. Agriae 1758. pag. 39. Liber hic appendicem constituit operis, cui titulus: Mausoleum potentiss. R. Hung. Regum (auctore eodem) Agriae 1758.

9) Archi-Episcopi Strigon. compendio metrico deducti Tirnaviae 1776. pag. 17.

10) Specimen Hierarchiae Hung. I. Tirnaviae 1776. pag. 152. et 159.

11) Hist. Crit. Regum Hung. I. Pest. 1779. I. pag. 67.

12) De Regno Regibusque Slavorum. (Hist. gentis Slavae) Quinque-Ecclesiis 1780. pag. 251.

13) Stemmographia Nobilium Familiarum R. Hung. I. Posonii 1796. pag. 41.

14) Gesch. der Ungern I. Leipzig 1815. pag. 664.

15) Religionis et Ecclesiae Christ. apud. Hung. initia Budae 1846. pag. 109. et Index Cod. dipl. Budae 1830. I. pag. 34, ac Cod. dipl. VII. II. 264.

16) Magyarország Primásai Buda 1847. pag. 1.

17) Magyarország legújabb leírása II. Pest. 1853. pag. 52.

18) Memoria Basilicae Strigon. a. 1856. consecratae (anonyme) Pest. 1856. pag. 45. Concinnando huic operi adlaborarunt Joannes Zalka et Carolus Lányi.

19) Magyarország Primása Pest 1859. pag. 7.

20) A Pannonhalmi apátság alapító levelét nem készítették az ottani Szerzetes férfiak. Buda 1868. 25. 46.

21) In Catalogo Archiepisc. Strigon. Vide Indicem Codicis Fejériani. Pest. 1866. pag. 518.

Gams; <sup>1)</sup> duo hi ultimi tamen de Dominico dubitant, quod adiecto interrogationis signo ostendunt, cet.

Jam asserta horum expendamus.

De s. Adalberto brevibus absolvemus. Illum Archiepiscopum Strigon. fuisse nunquam, cum martyr in Prussia occubuerit a. 997, tribus circiter ante erectionem Archiepiscopatus annis, iam Szentiványi docet; quare ergo illum Catalogo Archiepiscoporum inseruit? „Ponitur ergo — sic respondet — primus in Catalogo Archiepiscoporum Strigon. vel tamquam Patronus ecclesiae Strigon., vel quia fuit inter primos viros Apostolicos, qui ad conversionem Hungariae collaborarunt“ <sup>2)</sup>. Sed enim si haec argumentandi ratio valet; etiam reliquos, qui ad eandem conversionem collaborarunt, Catalogo Archiepiscoporum Strigon. imponere deberemus! Szöreny ergo, ut illos, qui opinionem hanc mordicus tuentur, quietos reddat, ita rem expedit, ut statuatur a s. Stephano „rogatum esse Adalbertum, ut in Regno constanter maneret suo, eique Archiepiscopatum Strigon., nondum quidem perfecte, ac certe animi consiliiue designatione, inchoate iam ab se fundatum obtulisse. — — Quare — concludit — hand incongrue locuturum existimo, qui dixerit, s. Adalbertum fuisse Archiepiscopum Strigon. designatum“ <sup>3)</sup>. Sed quam infundate haec adstruat, Pray his verbis docet: s. Adalbertum „aliqui si non reipsa, certe designatum ab Divo Stephano Archiepiscopum Strigon. fuisse suspicantur, quod quam ob causam dicant, prorsus non assequor. Nam Adalbertum quidem prius mortem oppetiisse, quam Stephanus Episcopatum rationem definitam haberet, exploratum est; designari autem Archiepiscopum potuisse etiam si patiar, designatum re ipsa esse, nemo docet, imo per Stephanum ne potuisse quidem designari, vel ex hoc capite nullo negotio confit, quod id temporis, cum rursus in Hungariam Adalbertus venit, Geysa, non Stephanus, rerum potiretur“ <sup>4)</sup>. S. Stephanus ergo nec occasionem, sed nec causam offerendi illi Archiepiscopatum habuit. Et generatim scriptores merita illius circa conversionem gentis nostrae nimium exaggerant. Gyejesam quidem et filium eius Stephanum baptisavit, sed Legendae sat clare innuunt, hos non

1) Series Episcoporum Ecclesiae Cath. quotquot innotuerunt. Ratisbonae 1873. pag. 379. — Auctor hic fontes citat Nicolaum Schmitth, Georgium Pray, Memoriam Basilicae Strigon. et Joannem Török, nunc a nobis memoratos; quibus addit Augustinum Theiner, necnon Constitutiones syn. Ecclesiae Strigon. a. 1450., a Jos. Dankó a. 1865. recusas, magni secus momenti, sed in texendo Archiepiscoporum catalogo nullius usus. Novit praeterea, ut pag. 378 apparet, catalogum Mauri Czinár, ignorat, autem Catalogum Georgii Fejér (Cod. dipl. VII. II. 264.) et reliquos a nobis productos. E fontibus, sic ipsi notis, novum pro lubitu, ab omnibus aliis divergentem, contexuit catalogum; novum quidem, ast antiquis nullatenus meliorem, ac in defigendis primorum praecipue Archiepiscoporum regiminis annis a veritate adeo aberrantem, ut superfluum duxerimus ad catalogum hunc per decursum operis nostri amplius reflectere.

2) Diss. Paralip. Continuatio 65.

3) Nova Series post Praefat.

4) Hierarch. I. 151.



ab illo etiam conversos fuisse. Aliud autem, quod in Hungaria ad promovendam fidem effecerit, frustra investigabis. Hungaris enim — ut biographus illius Bruno testatur — „ab errore suo parum mutatis, — nonnisi — umbram christianitatis impressit“<sup>1)</sup>. Gentis nostrae veri nominis Apostolum sanctum veneramur Stephanum Regem et venerabantur semper maiores nostri; „Dicunt Hungari — ait Albericus sec. XIII. — quod s. Adalbertus Pragensis Episcopus regem Stephanum ad fidem convertit et baptisavit et ipse rex sua praedicatione Hungaros convertit“. Idem pronunciat nomine quasi totius nationis Stephanus Verböczy, dum in Corpore Juris Hung. — parte 1. tit. 11. §. 2. — sequentia scribit: „Hungari non per praedicationem Apostolicam, vel Apostolorum, quorum Principis vicem et personam in terris Papa gerit, sed per institutionem proprii Regis eorum, sanctissimi videlicet Stephani Regis, — — conversi sunt ad Catholicam fidem“. Non ergo s. Adalbertus neque quod designatus fuisset, neque ob comparata in conversione merita, nomine Archiepiscopi Strigon. censeri potest. Unde opinio haec invaluerit, Gelasius Dobner his ostendit: „Accepta ad gentes ethnicas transeundi licentia, vix dubium est, quin pro recepto more Ecclesiae s. Adalbertus auctoritatem et iurisdictionem archiepiscopalem, quae passim gentium praedicatoribus dari solita, a summo pontifice obtinuerit. — — Atque inde — traditio profluxit, quod s. Adalbertus non modo pro Prussensis, sed etiam Pragensis, Gnesnensis et Strigoniensis ecclesiae archiepiscopo sit habitus“<sup>2)</sup>. —

Nunc ad Dominicum et Sebastianum revertamur. Ambo, ut vidimus, occurrunt in diplomate s. Stephani a. 1001. Diploma hoc seculo praeterito ad finem vergente acriter impugnatum, egregios defensores nactum est in Ignatio Batthyányi<sup>3)</sup>, tum Antonio Gánóczy<sup>4)</sup>, Josepho Koller<sup>5)</sup> ac imprimis Chrysostomo Novák<sup>6)</sup>. Litem hanc paucis abhinc annis resuscitavit Michael Horváth<sup>7)</sup>, quem sequitur Carolus Szabó<sup>8)</sup>, contra quos pro authentia diplomatis consurgunt Josephus Podhradczky<sup>9)</sup> et Florianus Mátyás<sup>10)</sup>.

Horváth diploma hoc ea potissimum causa impugnat, quod Dominicum Archiepiscopum, ut illi videtur Strigoniensem, statuat; econtra Mátyás Dominicum quidem in Archiepiscopum pariter non recipit, sed diploma ideo falsitatis vitio laborare negat.

1) Pertz Mon. Script. IV. 603.

2) Ap. Katona Hist. Crit. III. 187.

3) Agamantis Palladii Responsa ad nova dubia s. l. 1779.

4) Libellus castigatus seu refutatio argument. contra Diploma s. Stephani MVaradini 1779.

5) Hist. Episcopatus Quinqueecclesiensis. I. Append. I. Examen Diplom. et IV. Responsiones ad nova dubia Viennae edita. Quinque-Eccl. 1782.

6) Vide pag. 4. notam 21.

7) Az első esztergomi érsek. In opere periodico Századok redactore Colomanno Thaly II. 1.

8) Magyar vezérek kora. Pest 1869. pag. 423 1) et 430 1).

9) Vide pag. 5. 20. notam.

10) Vide pag. 3. notam 2.



Nos quod adtinet, utramvis tenere possumus sententiam, si primam; Dominicum ultro expunximus. Sed acceptemus secundam, seu concedamus diploma hoc, prout nobis reipsa etiam persvasum est, authenticum esse; quomodo tunc sententiam nostram de Anastasio primo Archiepiscopo stabiliemus? Quaestio haec maioris est indaginis, quam ut obiter definiri possit; idcirco lectorum venia latius nos diffundemus.

De Dominico Desericius sequentia scribit: „Dominus iste Dominicus, ut illum compellat s. Stephanus in eodem privilegio, Ecclesiastici Ordinis fuerit, dignitate, verbi causa, Canonicali insignitus, eximiae doctrinae, religionis, auctoritatis, quem aut s. Piligrinus ad Geyzam beati Stephani Patrem ordinaverit, vel secum duxerit; aut s. Adalbertus ex suis Comitibus insigniorem, ad latus pueruli Stephani dereliquerit, educationis et institutionis gratia; qui certe individuus s. Pignori adhaerebat“. Alibi autem illum expresse s. Stephani „ab unguiculis moderatorem individuum“ appellat, atque a Nuncio sive Legato Pontificio Strigonii in primum Strigon. Archiepiscopum sacratum asserit <sup>1)</sup>. Ladislaus autem Turóczi ita eius activitatem expingit: „Adest ad latus Stephani Regum devotissimi frequentissimus, describit oppidatim Templorum loca, iacit Coenobiorum fundamenta, Episcopia designat“ <sup>2)</sup>. Sic alia alii, quin alium praeter diploma memoratum, praesto habuissent fontem. Jam autem de his omnibus diploma hoc altum tacet, sed illum simpliciter Archiepiscopum, quin addat: Strigoniensem; et Vice-Cancellarium appellat.

Verum quidem est, in Hungaria, ut Pray observat, nullum praeter Strigoniensem eo tempore Archiepiscopatum, adeoque nec Archiepiscopum, existisse <sup>3)</sup>; sed in diplomate memorato s. Stephanus Dominicum Archiepiscopum iam ante pugnam cum Koppány, Calvi Zirindi filio, Duce Simigiensi, initam, adstitisse sibi ait. Pugna autem haec certo certius a. 998. evenit <sup>4)</sup>, duobus ergo ante erectionem Archiepiscopatus annis, dum Stephanus non ad erigendos Episcopatus, sed in tuendum paternum solium incumbere debuit. Quomodo ergo iam ante a. 998. Dominicus Archiepiscopus Strigon. esse potuisset? Katona quidem difficultatem hanc his argutiis evertere nititur, quatenus Stephanus non affirmat Dominicum „archiepiscopum fuisse tempore dicti belli; sed per historicam quandam prolepsim ita vocare potuit eum, quem iam tunc ob eximiam vitae sanctitatem familiarissimum habuit, ac non multo post ad archiepiscopum evexit <sup>5)</sup>“. Ast tenor diplomatis clare ostendit, personas in eo occurrentes illius officii titulo esse insignitas, quod tempore praedicti belli reipsa gesserunt. Sic Anastasius

1) L. c. pag. 96. 39. et 85.

2) Ung. suis cum Reg. 100.

3) Hierarch. I. 157.

4) Szabó Vezérek kora 428.

5) Hist. Crit. I. 124.

Abbas monasterii s. Martini appellatur, quem tamen Katona et omnes reliqui scriptores tempore exarati diplomatis iam Episcopum Colocensem fuisse contendunt. Si ergo Dominicus teste hoc diplomate, a. 998. iam Archiepiscopus fuit, certe Strigoniensis esse non potuit. Dominicus quidem in diplomate hoc etiam a. 1001., ergo erecto iam Archiepiscopatu Strigon., Archiepiscopus appellatur; quod tamen hoc nihil assertioni nostrae officiat; Chrysostomus Novák Anonymo, contra quem authenticam diplomatis vindicaturus consurgit, apposite ita demonstrat: „Statuisti §. 8. Dominicum Strigoniensem Archiepiscopum esse non potuisse ante Cupanum bellum, quia Chartuitio teste Strigon. Archiepiscopatus ante bellum Cupanum non erat; nec in eo, unquam nisi vacuis opinionibus poteris impugnari. Dominicus tamen Archiepiscopus esse debuit, quia diploma s. Martini talem esse dixit. Eundem Dominicum post Cupanum etiam bellum Archiepiscopum fuisse, idem diploma dicit: Strigoniensem fuisse non dicit, imo penes illum refert Sebastianum, quem Chartuitius exserte Strigon. Archiepiscopum fuisse tradit. Igitur 1001. anno talis fuit Dominicus Archiepiscopus, qualis ante Cupanum bellum, cum alius fuisse nullo documento probetur: at ante Cupanum bellum Strigoniensis non erat: ergo non edocta prioris status mutatione, etiam 1001. anno Archiepiscopus fuit, sed non Strigoniensis. Haec cum in naturalibus rerum principiis fundata sint, Dominicum eousque tibi Strigon. Archiepiscopum fuisse nemo credet, quod talem fuisse docueris“<sup>1)</sup>.

Porro Dominicus Archiepiscopus in eodem diplomate Vice Cancellarius, ut vidimus, appellatur. Bene equidem scimus, Officium Cancellariatus tempore iam Stephani Regis, imo longe serius etiam, nondum ita coordinatum fuisse, ut sedi Archiepiscopali Strigon. ordinarie adnexum fuisset; sed etiam id certissime tenemus, Archiepiscopum Strigon. nunquam Vice-Cancellarium fuisse; nemo enim erat, qui supra illum constitutus, Cancellarii munere fungi potuisset. Clare hoc testantur omnia, quae hucum lucem viderunt, diplomata, in quibus Archi-Episcopum Strigon., qui nisi vicem Cancellarii egisset, non invenies; Benedictum hoc nomine tertium si excipias, qui, ut loco suo videbimus, e Praeposito Budensi et Vice-Cancellario Regio Archiepiscopus Strigon. electus, cum Praepositura etiam Officium Vice-Cancellarii usque ad confirmationem suam retinuit. Huic adiungere possumus Gregorium pariter Electum, qui in quodam Caroli Regis a. 1302. diplomate Electus et Administrator Strigon., Praepositus Albensis et Vice-Cancellarius appellatur<sup>2)</sup>. Sed haec turbulenta erant tempora, et Benedictus quidem numquam confirmatus fuit, ideoque Praeposituram et Officium Vice-Cancellarii ad mortem usque retinuit. Gregorium autem nec Praelati Hungariae in Archiepiscopum Strigon. receperunt<sup>3)</sup>, sed neque Carolus ipse,

1) Animadversiones in Vind. 108.

2) Fejér Cod. Dipl. VIII. 1. 98.

3) Epist. Bonif. PP. VIII. a. 1302. M. Tört. Tár II. 181.

cuius Vice-Cancellarium egit, tunc adhuc pro legitimo ab omnibus habebatur Rege. Hi ergo allatis non obsistunt. Et sic Dominicus Archiepiscopus, quia Vice-Cancellarii fungebatur officio, Strigoniensis esse non potuit.

Tandem in epilogo diplomatis huius, cuius auctoritate Dominico primus inter Archiepiscopos Strigon. locus tribuitur, etiam Sebastianus Archiepiscopus nominatur. Eadem ergo prorsus auctoritate Sebastianus quoque pro Archiepiscopo Strigon. est habendus, eo magis, quod et Hartvicus Strigoniensem eum appellet. Num ergo duo simul convixerunt Archipraesules Strigonienses?

Stiltingus difficultatem hanc ita solvere conatur: „Chartuitius — sunt verba illius — non asserit de Sebastiano, primum fuisse Archiepiscopum, sed cum ipsius promotionem diu post erectionem Metropolis Strigon. referat, multaque alia interponat, potius insinuat, primum non fuisse“ <sup>1)</sup>. Haec quidem argute dicta sunt, sed neminem certe persvadebunt; „quis enim credat — observat Novák — Chartuitium primi Metropolitanii nomen taciturnum fuisse, secundo ita accurate descripto?“ Praeterea hic Stiltingus sibiipsi contradicit, cum argumentum ex ordine, quo facta ab Hartvico referuntur, ducit, quod tamen alias ipse inhibet, cum observat, Hartvicum rerum gestarum ordinem saepius invertere, „ita ut necesse non sit ubique affirmare prius facta esse, quae prius referuntur a Chartuitio; contrarium enim observabimus variis locis. — Haec praepostera factorum narratio familiaris est scriptoribus, qui exactam non texunt Chronologiam“ <sup>2)</sup>. Huius effati etiam hic recordari debuisset, quia ut Katona recte infert, „neque hic aliqua ratione caruit praepostera haec Chartuitii, qui non annales, sed vitam scripsit, narratio, qua voluerit una serie Sebastiani tum promotionem, tum coecitatem, tum restitutionem exhibere; quumque haec diversis annis acta sint; iterum, quod iam saepe monuimus, apparet, ex ordine rerum, a Chartuitio narratarum, nullum solidum argumentum duci posse“ <sup>3)</sup>.

Stiltingus ergo difficultatem hanc non solvit; sed etsi ex asse diluisset, semper adhuc remanet difficultas, exinde suborta, quod ut diximus, in diplomate memorato duo simul compareant Archiepiscopi.

Ad difficultatem hanc eliminandam Podhradezky <sup>4)</sup> et alii sufficere autumant asserere, verba, quae de Sebastiano testantur, tardius diplomati adiecta fuisse; non advertentes, assertionem hac authenticam diplomatis funditus convelli. Nemo enim regulis diplomaticae vel parum excultus ignorabit, diplomati legaliter expedito et sigillo authentico roborato, amplius ne voculam quidem addere vel demere licuisse, quin diploma eo ipso pro falso haberetur. Apud nos ab hac regula Reges solum stirpis Andegavensis, Carolus nempe I. et Ludovicus I. quodam-

1) Vita s. Steph. n. 260. pag. 211.

2) L. c. n. 175. pag. 143.

3) Hist. Crit. I. 123.

4) L. c. pag. 46.



modo deflexerunt, quorum primus omnia privilegia sua sub primo sigillo, tempore coronationis suae sculpto, ac altero in partibus Transalpinis deperdito confecta, tertio et postremo suo sigillo confirmavit. Ludovicus autem sigillo suo primo in partibus Uzurae pariter deperdito, omnia diplomata eo roborata, tum omnia privilegia Caroli Regis, sub eius prioribus duobus sigillis cassatis emanata, denuo confirmari ac novo sigillo vallari iussit; necessum tamen duxit in apposita confirmationis formula expresse declarare, hanc confirmationis seriem diplomatibus his e mandato suo speciali additam fuisse <sup>1)</sup>. Tenor tamen diplomatum taliter confirmatorum intactus permansit, nec ei quidquam additum fuit. Adiecta ergo, quae de Sebastiano in fine diplomatis s. Stephani loquuntur, verba, ni diploma falsum sit, suppletorie addi non potuerunt.

Senserunt hoc scriptores in specie Benedictini, Fuxhoffer et Czinár, ac ideo ne authentiae diplomatis officiant, cum semet aliter extricare non valuissent; de Dominico Archiepiscopo altum tacent et Sebastianum primum Archiepiscopum Strigon. constanter statuunt. Tertius autem ordinis s. Benedicti scriptor Chrysostomus Novák, iam expresse reiicit Dominicum his verbis: „Excutiantur Tabularia, proferantur diplomata, quae Dominicum a. 1001. Strigoniensem fuisse metropoliten evincant. Certus sum, ne veteris quidem ullius scriptoris dignam superesse auctoritatem, quae de Strigoniensi Domini Archiepiscopatu meminisset.“ Nec Stephano Katona improbata haec a nobis argumentandi ratio placuit; quia tamen Hartvicum cum diplomate hoc omni possibili modo componere voluit, nec ob salvandam diplomatis authentiam verba illa de Sebastiano tardius adiecta fuisse praeunte illi Chrysostomo Novák, concedere potuit, hanc, qua de labyrintho hoc elabatur, iniit viam.

„Dicendum est — ait — Sebastianum et Dominicum eundem omnino fuisse; nec igitur vel illos qui Sebastianum vel qui Dominicum infulam Strigon. primum obtinuisse dicunt, errare. Legimus Astricum quoque simul Anastasium fuisse dictum, cur idem non liceat existimare de Sebastiano, postquam in eodem diplomate tam Sebastianus, quam Dominicus appellatur Archiepiscopus, qui tamen unicus in Hungaria tunc erat? Tam Astricus, quam Sebastianus ex monasterio fuit ad infulam promotus; sicut igitur ille, sic iste videtur et illud nomen, quod monachus gerebat, retinuisse, et aliud, quod et Romani pontifices eo tempore iam factitabant, post promotionem adscivisse.“ <sup>2)</sup>

Eodem, quo Katona, anno Pray quoque afferre hanc opinionem tentavit, sed una candide fatetur, eam non paucis difficultatibus obnoxiam esse. <sup>3)</sup> Novák autem fusius eam evertere conatur, dum ex Anonymo quaerit „num Dominicum et Sebastianum unum, aut duos homines putes? si unum, ut Katona — — vult,

1) Vide formulam hanc in Corp. Jur. Hung.

2) Hist. Crit. I. 121. et III. 182.

3) Hierarch. II. 3. a)

qui duobus duos in Regno Archi-Episcopatus non reperis, cur uni plus uno requiris? si duos existimas; num uterque in Hungaria Archiepiscopus? si alter tantummodo; habuit fortasse unus in Hungaria Strigonium, alteri sedem in ea regione quaeras, unde fuisse existimas. Si uterque fuit in Hungaria, quaero; num ambo, ut cum antiquioribus loquar, *Cardinales*, siue titulo certarum determinatarum Episcopaliū Ecclesiarum, ad quos ordinati essent, perpetuo affixi et veluti *incardinati*; an vero unus eorum Cardinalis, ut de Sebastiano Carthuitius aperte scribit, alter vero sine titulo ad totius Regionis necessitates, prout res, tempus et locus posceret sub illa nascentis, in Hungaria Christianae religionis initia institutus? Primum dici non posse, certum est, quia praeter unam Archiepiscopalem Ecclesiam Strigoniensem alia in Regno non fuit. Alterum ut asseramus, non modo nihil prohibet; sed ne dubitare quidem sinunt ea, quae Biographi s. Gerardi temporibus s. Stephani evenisse tradunt. " In legenda nempe s. Gerardi de septem eius sociis monachis haec legit: Hi officium Archiepiscopatus habentes, aedificabant ecclesias in urbibus cet. Tum interrogat: „Quid si omnes septem unum subscripsissent diploma?“ Responsum reddit Katona, nullum ex iis archiepiscopi titulum usurpaturum fuisse, quem nec ipse s. Gerardus, cui tamen isti subiecti fuerant, usurpaturus erat. Officium Archiepiscopatus illos exercuisse, non Archiepiscopos fuisse, biographus laudatus scribit, qui paulo post eosdem non Archiepiscopos, sed canonicos vocat. — — Canonicos igitur ut erant, se subscripsissent.“ <sup>1)</sup> Ceterum totum hoc e legenda s. Gerardi petittum argumentum, falsum est, quia in legenda non vox Archiepiscopi, sed *Archidiaconatus* occurrit, expressio illa: Archiepiscopi officium, ut Batthyányi observat, commentum est Wionis, qui legendam hanc edidit. <sup>2)</sup> Et generatim proposita haec Chrysostomi Novák argumentandi ratio ita omni prorsus probabilitatis specie caret, quemadmodum illa, contra quam directa est et insuper facile etiam retorqueri potest; prout Anonymus quidam reipsa his retorsit: „Quid si largietur, Sabastianum incardinatum Strigoniensem, Dominicum autem regionalem Archiepiscopum a. 1001. fuisse? Quem triumphum hic producet auctor? Regionales antistites curam animarum in locis, ad quae incardinati Episcopi non facile veniebant, habebant, plantabant Ecclesias, aulasque principum defugiebant. Non ergo per aliquem Chor-Episcopum, sed per Strigon. Archiepiscopum faciebat Rex expeditiones, privilegiaque signari curabat. — — Doceatur quaeso Regem aliquem opera alicuius regionalis Praesulis in diplomate aliquo firmando usum esse. Alias nubem pro Iunone captamus <sup>3)</sup>.“ Ideo etiam Katona ea potissimum causa, quia si Dominicus regionarius tantum fuisset, in publico diplomate, ut exemplis demonstrat, Archiepiscopi titulum usurpare

1) Hist. Crit. III. 186.

2) S. Gerardi Scripta et Acta 328.

3) Animadvers. in Vind. 104.

non potuisset, suae inhaeret opinioni et quaestionem hanc finaliter sic expedit: „Agimus nempe verosimilibus, non certis, rationibus: utramvis igitur sententiam amplecti, cuius liberum esto. Postulat cl. auctor diploma, quae Dominicum a. 1001. Strigoniensem fuisse metropolitum evincant; pari iure nos iterum postulamus eiusmodi documenta, quae Dominicum eundem Archiepiscopum fuisse regionarium ostendant. Coniecturis ille regionarium fuisse; conjecturis nos Strigoniensem fuisse (eundem nempe cum Sebastiano) docemus.“<sup>1)</sup>

Opiniones ergo hae sic mutuo se elidunt. Ast etiam si probarentur, nil nobis obstarent; Novák enim Dominicum Strigoniensem fuisse Archiepiscopum aperte negat; quod autem Stephani Katona opinio, etiamsi validioribus firmaretur rationum momentis, nihil sententiae nostrae deroget, inde patet, quia nos Sebastianum, quem eundem cum Dominico putat, Strigon. Archiepiscopum fuisse pariter negamus.

Interim quis ergo Dominicus hic fuit? Ad quaestionem hanc solvendam deficientibus fontibus Oedipo opus est. Novák, ut vidimus, illum aut extraneum, aut regionarium Archiepiscopum, alii autem, teste Batthyányio, legatum fuisse sedis Apostolicae existimant, sed his iam Batthyányi assentiri noluit, „cum Benedictus de Vetta fuerit primus sedis Apostolicae Legatus, alter autem Azo, cuius sanctus Rex ipse meminit“<sup>2)</sup>. Fejér illum alio nomine Anastasium appellat, adeoque Abbatem s. Martini habere videtur; prorsus quidem inepte, cum non Dominicus, sed ut videbimus, Astricus hoc nomine audierit<sup>3)</sup>. Novissime vero Florianus Mátyás, quia Dominicus in epilogo diplomatis s. Stephani, Abbatiae de Bakonybél a. 1037. concessi, sic commemoratur: „Dominicus archiepiscopus vicecancellarius pater est“; pater autem, testantibus id legendis, idem significet ac Abbas, — sic in legenda s. Gerardi: Defuncto itaque patre monasterii, magister Gerhardus eligitur in abbatem“ — eundem Dominicum Abbatem de Bakonybél fuisse coniicit. Nam — argumentatur — etiam s. Adalbertus Romae monachum professus, si ad Episcopatum suum coactus non redivisset, in Abbatem eligi potuisset<sup>4)</sup>. Sic ille; sed haec iam non moramur; quidcunque fuerit Dominicus, Strigoniensem certe Praesulem nunquam egit. Illum ergo ex allatis iure merito his Chrysostomi Novák verbis finaliter dimittimus: „Dominicum Strigoniensem fuisse Archiepiscopum a. 1001. hactenus nemo evicit, et certus sum a nemine unquam evincendum“<sup>5)</sup>.

Absoluto sic Dominico, quid de Sebastiano, quem Bucelinus erronee

1) Hist. Crit. III. 189.

2) Notulae in Agamantis Palladii Responsa. 137.

3) Fejér Index Cod. dipl. I. 34. et Cod. dipl. VII. II. 264.

4) L. c. 12.

5) Animadvers. in Vind. 113.



Stephanum vocat <sup>1)</sup> tenendum, videamus. Initia Archiepiscopatus eius Tarnóczi <sup>2)</sup> ad a. 1000. extendit, Catalogus contra Archiepiscoporum Strigon. Corpori Juris Hung. adfixus, ad a. 1010. retrahit. Reliqui passim scriptores, ut Szentiványi, Timon, Szörényi, Lehotzky, Schmitth, Kemp, Palugyay, cet., a. 1002. assignant. His tamen Pray ita obversatur: „Plerique a. 1002. Sebastiano tribuunt, quo fuerit Dominico Archiepiscopo subrogatus. Hac ratione Dominicus annum integrum non excesserit, quod tempus mihi videtur magnopere adstrictum et in Sebastiano propterea occupatum. Recens enim instructum et ab Monachis habitatum s. Martini Monasterium, tum s. Stephani de religiosa Sebastiani vita iudicium, quod multam et crebram de eius virtutibus cognitionem indicat, verisimiliter svadent, Sebastianum aliquot post Dominicum annis huic subrogatum, etsi quis hic annus sit, definire non ausim. Si tamen coniecturae locus sit, reor a. 1005. fuisse, quo Sebastianus ad Strigoniensem Cathedralam promotus sit et oculis captus; quod altero ab hinc anno Astrici, qui et Anastasius audit, memoria in Synodo Francofordiensi in haec verba occurrat: „Anastasius Ungrorum Archiepiscopus — —“. Ungrorum Archiepiscopus hoc tempore nemo praeter Strigoniensem fuit, itaque cum Astricum sive Anastasium, vicariam operam Sebastiano praestitisse Chartuitius memoret, hunc Synodo Francofordiensi subscripsisse oportuit, et dehinc eidem Sebastiano locum rursus cecidisse. Ita tres annorum circulos Carthuitii proxime ad verisimilitudinem exactos habemus“ <sup>3)</sup>. Katona autem, quamvis Sebastianum anno 1001. iam Archiepiscopum Strigon. fuisse contendit <sup>4)</sup>, bene tamen Prayum observare ait, anno circiter 1005. Sebastianum oculis captum esse <sup>5)</sup>. Bene hic nobis advertendum est, Sebastianum, ut Hartvicus praetendit, triennio fuisse oculorum lumine privatum, quia autem Astricus nisi qua Administrator Strigoniensis semet Archiepiscopum Ungarorum a. 1007. subscribere potuit, coecitas Sebastiani ultra a. 1005., ut Katona observat, differri non potest, sic enim triennium illud Hartvici cum subscriptione illa Anastasii solum conciliari potest. Duumviri ergo hi ultro agnoscunt, Anastasium non aliter semet Archiepiscopum Ungarorum subscribere potuisse, nisi, quia vices Sebastiani obivit. Sed num hac ex ratione semet recte Archiepiscopum subscribere potuisset, aequi diiudicent lectores; Horváth id aperte negat <sup>6)</sup>; bene observans, Sebastianum, si reipsa Strigon. Archiepiscopus exstitisset, dignitatem hanc etiam sub coecitate retinuisse, adeoque etiam a. 1007. non Anastasius, sed ille Strigoniensis, seu quod idem, Ungarorum Archiepiscopus fuisset. Nec ex Hartvico obiici potest, Anastasium Sebastiano

1) Annal. Benedictini Aug. Vind. 1656 pag. 206.

2) Indicia Sanct. Hung. 49.

3) Hierarchia I. 154.

4) Hist. Crit. III. 185.

5) Ib. I. 119.

6) Az első eszt. érsek 5.

resanato, cum pallio et Archiepiscopi titulo ad propriam sedem rediisse; si enim titulum hunc iam durante caecitate Sebastiani gessisset, duo tunc in Hungaria fuissent a. 1007. Archiepiscopi, adeoque Anastasius semet Archiepiscopum Ungarorum simpliciter subscribere non potuisset.

Ergo iam vel ex his tota haec Hartvici narratio vacillat; penitus autem corrui, si recogitamus Astricum etiam a. 1012., ut suo loco videbimus, eundem titulum Archiepiscopi Ungarorum gessisse; quomodo ergo, si, ut Hartvicus, vult, Sebastianum lumine captum tres tantum annos supplevit, et a. 1007. et 1012. titulum hunc usurpare potuit, vel uno enim, vel altero ex his anno necessario Sebastianus eodem appellari debuisset. Haec ergo narratio Hartvici subsistere minime potest; quod ut aliunde etiam comprobemus, Hartvicum ipsum crisi subiiciamus.

Statim ac Stephanus sanctorum catalogo insertus est, legenda etiam illius conscripta fuit; et quidem statim ab initio duplex scripta esse videtur, legenda nempe minor, et alia maior. Prior integra est et maiore parum antiquior, scribit nempe, s. Stephani „vitam actusque, sicut fideli et veraci relatione tunc temporis viventum accepit“. Maior paulo est recentior, ambo tamen, cum de Ladislao velut defuncto mentionem iniiciant, regnante iam Colomanno Rege conscriptae sunt, nec auctori vitae minoris legenda maior innotuit. Vitae hae hodie supersunt in Codice s. Crucis in Austria intra annos 1181. et 1200. conscripto, in Codice Campiliensi, qui prioris apographum esse creditur, et in Codice Mellicensi sec. XV. Vitas has e Codice dicto Sancrucensi edidit Mancini <sup>1)</sup>, quin tamen duas se typis dedisse animadvertisset. Primus id observavit eruditissimus Endlicher noster, ac vitas has ex eodem Codice distinctim vulgavit <sup>2)</sup>.

E duabus his legendis tertiam Hartvicus compilavit, seu potius, ut verbis utamur cl. Wattenbach, quem in recensione hac sequimur, „in eo tantum operam suam collocavit, ut vitae maiori lacinias quasdam ex altera repetitas intersereret, adderetque miracula aliqua et imprimis locum celeberrimum de corona a Sylvestro II. regi missa, de qua nihil in vita minore et pauca tantum in maiore dicta sunt“. — — Hartvicus — prosequitur cl. vir — in eo quoque fidei non satis candidae arguitur, quod utriusque vitae brevi tempore ante conscriptae nusquam vel obiter meminit, quum de suo paucissima tantum dederit, et plerumque ne verba quidem et stilum earum mutaverit“.

Sed quid, si ipse Hartvicus legendam maiorem composuerit, eamque postea non Hartvicus ipse, ut cl. Wattenbach concedit, sed alter quispiam recentioris aetatis compiler „emendaverit, auxerit, cognitaque vita minore interpolaverit“? Hoc quidem veri esse simillimum, inde patet, quia Codices, qui legendam Hart-

1) Posenii 1781. Vita minor pag. 41 incipit.

2) Rerum Hung. Mon. Arpad. pag. 138. Legenda maior, pag. 154. Legenda minor.

vicianam complectuntur, sec. XIII. non antecedunt et ea manifeste ex codice manarunt „in quo — ut cl. Wattenbach observat — additamenta illa, — quae nempe in hodierna legenda Hartviciana occurrunt — in margine scripta, alia deleta erant; nam modo haec, modo illa in aliis desiderantur“ <sup>1)</sup>).

Jam sive haec, sive prior opinio subsistat, pro primo fonte non amplius legenda Hartvici, sed, de quibus nunc egimus, legendae, maior nempe et minor, habendae sunt. Jam autem in his legendis, Astricus non tantum Colocensis non dicitur, sed directe Strigoniensis Archiepiscopus his verbis propugnatur:

„Provincias in decem partitus est episcopatus, Strigoniensem ecclesiam metropolim et magistram per consensum et subscriptionem Romanae sedis apostolici ceterarum fore constituens. Cui iam dictum venerabilem Astricum abbatem pontificalis dignitatis infula decoratum, electione canonica praefecit“.

Hartvici autem legenda, verba, littera obliqua a nobis mox exhibita, hunc in modum immutavit et auxit:

„constituit. Praedictum autem venerabilem abbatem Astricum pontificalis dignitatis infula decoratum, electione canonica sublimavit et Colocensi episcopatu praefecit“. Dein textus ulterior Legendae maioris resumitur. Sic habet Codex Francofurtanus, nunc Musei Nationalis Hungarici. sec. XIII. Codices autem Runensis, pariter sec. XIII., tum Lunaelacensis, et Vindobonensis sec. XV. hanc variantem lectionem exhibent:

„Cognoscens vero prudens dux praedicti Asserici religionem, pontificalis ipsum dignitatis infula decoratum, electione canonica sublimavit et ei Colocensis episcopatus dignitatem obtulit“. Quibus caput hoc legendae maioris abrumpitur <sup>2)</sup>).

Manifeste ergo apparet locum hunc tardius interpolatum, vel mea pace ab ipso iam Hartvico additum fuisse, prout id cl. Wattenbach praetendit, simul ansam interpolationis huius his verbis proferens: „Primam in hisce additamentis (Hartvici nempe) ecclesiae Colocensis mentionem invenimus, quae non sine causa facta esse videtur, quum non multo post ea dignitatem archiepiscopalem consecuta sit. Vera esse, quae de sede Colocensi proferuntur, persuadere mihi non possum, quum nullum eis eius temporis momentum suffragetur; sed Hartvicius quae a clericis Colocensibus audierat, sine dolo malo referre potuit“ <sup>3)</sup>).

Eadem ratione etiam fabulam de Sebastiani Archiepiscopatu et caecitate, superius a nobis relatum, de qua in legendis maiori et minori ne verbum quidem occurrit, tardius interpolatam esse, dubitanti cuilibet propriis oculis in praelaudati cl. Wattenbach editione usurpare licet <sup>4)</sup>).

1) Pertz Mon. SS. XI. 222—224.

2) Ib. 232.

3) Ib. 223.

4) Ib. 234.



Apud nos tamen, nescio quo fato, non legendae illae primae et originariae, maior nempe et minor, sed, ut bene idem Wattenbach observat, „Hartvici vita, qualis nunc legitur, mox sola legebatur et tum ab ipsis regibus in privilegiis commendatur, tum a scriptoribus in usum versa est“<sup>1)</sup>; quin libris etiam officii divini, sic dictis Breviariis, in diem usque hodiernum inserta est.

Nil mirum ergo, si scriptores praememorati longae seculorum traditioni inhaerentes, fabulam hanc continuo recoxerint; quamvis absolvi penitus, minus inde ab a. 1781., ex eo non possint, quod Mancinianam legendae maioris et minoris editionem penitus ignoraverint, aut legendas has, Podhradczkyo duce,<sup>2)</sup> pro epitome compilationis Hartvicianae habuerint.

Scriptores attamen extranei Hartvico generaliter non obtemperant. Sic auctor Chronicae mixtae Ungarorum et Polonorum sec. XIII. Astricum identidem Strigoniensem Praesulem expresse appellat. (Verba eius sub Nro 10. exhibemus). Non quidem sumus nescii, Chronicam hanc multa absurda ac inspecie a nobis Hungaris nunquam admittenda continere, ideoque merito illam ineptam censi;<sup>3)</sup> hic tamen ideo attentionem nostram meretur, quia cum Hartvicum presso alias sequitur pede, quoad Astricum ab illo deflectit; manifesto indicio, illum vel legendam maiorem prae manibus habuisse, vel ab alio nobis ignoto fonte eum edoctum fuisse.

Codex Melliciensis a. 1438: „Corona autem Regni Hung. per Apostolicum, nomine Benedictum de Vetta est ad Hungariam per Astricum Episcopum devecta Strigoniensem, quem s. Stephanus Rex Hung. misit ad Apostolicum pro clenodio vel aliqua dotatione.“<sup>4)</sup>

Dlugossus († 1480) in Historia Poloniae de Astrico haec refert: „Ducis Hungarorum Stephani — — Nuncius Austriacus (Astricus) coenobii s. Benedicti ordinis ad radicem Montis Ferrei abbas et post in Strigoniensem Archiepiscopum promotus, licet per anticipationem Strigon. Archiepiscopus inscribatur in Annalibus, Romam advenit.“ — — Verba haec ideo magni sunt momenti, quia — ut Stilingus bene observat — Dlugossus antiquior est Bonfinio, et clare patet, „eum non hausisse ex Hartvico, aut aliis fontibus Hungaricis, sed ex monumentis Polonicis“,<sup>5)</sup> vel ex legenda nefors maiori.

Dubravius († 1553) in Historia Bohemiae de s. Adalberto agens ait, eum coenobio Breunoviensi nomine abbatis praeposuisse Anastasium, „qui posthac apud Hungaros Strigoniensem egit Pontificem“; tum mortem Adal-

1) Ib. 224.

2) Vita s. Stephani. Praef.

3) Pertz Mon. SS. XIX. 586.

4) Ritus benedicendi et coronandi Reges Hung. Apud Pez Thesaur. Anecd. III. 232. ap. Flor. Mátyás l. c. pag. 4.

5) Vita s. Steph. num. 194. pag. 158—159.

berti enarrans adiicit: „Porro Stephanus Pannoniae Rex Strigonii in arce sua Regia primus ei templum constituit, addiditque templo Pontificem, ut diximus, Anastasium.“ <sup>1)</sup>

Sed ipsa etiam rerum adiuncta Astricum Archiepiscopum Strigon. fuisse ostendunt; secus enim s. Stephanus in negotio hoc ordine prorsus inverso processisset. Si enim Sebastianum, ut praetenditur, Ecclesiae Strigon. praefecit, cur non illum potius Romam ablegavit, ut una pallium sibi, prout tunc communiter moris erat, <sup>2)</sup> personaliter procuraret? Si autem re ipsa Astrico munus legationis commisit, qui fieri potuit, ut Sebastianum, Astrici in Monasterio s. Martini subditum, illi, ob allatam coronam tam praeclare de se, quin de toto Regno merito, in metropolitam praeficeret? Nullatenus hac agendi ratione Stephanus aequum se praebuisset Astrico.

Mirum hoc etiam scriptoribus nostris videbatur, qui idcirco varie semet torquebant, ut hanc agendi rationem aliquo modo probabilem redderent. Sic Inchoffer sequentia scribit: „Sunt qui Astricum abbatem, dictum Anastasium, errore quodam primum Strigon. Archiepiscopum numerent, quod is vel primus fines et dignitatem Stephani iussu metatus sit, vel Sebastiano ad tempus oculis capto vicem tulerit. Dignus utique habebatur et ipse, verum eius opera et industria cum Reipublicae causa apud externos etiam et longe positos necessaria esset, Sebastianum interim Stephanus et praesentem sibi et Ecclesiae continuo adesse voluit; servata Astrico sua, cum res ferret, dignitate.“ <sup>3)</sup> Belle servavit, si ei, qui primus fines et dignitatem metatus est, secundum deinde locum assignavit! Si autem illum Strigon. Archiepiscopum ideo denominare noluit, quia eidem Ecclesiae legationibus impeditus continuo non adfuisset; tunc illum nec Colocensi, sed nec ullae Ecclesiae praeficere potuisset, omnibus enim tunc Ecclesiis Hungaricis Episcopi pari ratione continuo adesse debebant.

Difficultatem hanc etiam Deseritius his obmovet: „Heic quaestiuncula sese ingerit: quid quod nimirum s. Rex non promoverit Astricum, tantundem de se meritum, in sedem Metropolitanam ex sede Episcopali Colociensi; verum praetulerit illi monachum, cuius ipsius abbas antea fuerat Astricus?“ Recoquit deinde stilo mutato verba Inchofferi nunc citata, ac e penu sua haec addit: „Caeterum Rex Apostolicus Spiritu s. plenus noverat arcana Dei consilia. Ecce enim quid fit? Sebastianus — — visu orbatur“, et ei Astricus subrogatur. <sup>4)</sup> Quam

1) Francofurti 1687. pag. 156. 159.

2) Sic Gregorius PP. VII. Brunoni Veronensi scribit: „quia antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi praesenti personae, pallium non esse concedendum.“ Bona de reb. liturg. Antwerp. 1723. l. 1. c. 24. nro 16. pag. 288.

3) Annal. 267.

4) De Initii. V. 108—109.

ingeniose! Atat quomodo Stephanus, qui viris tantum undique aptis novellam Ecclesiam committere potuit, Sebastiano principem Ecclesiam prudenter contulisset, si eum brevi inhabilem futurum praescivit?

Sic scriptores nostri circumerrant, quia unus ab alio iurare in verba Hartvici didicit. Ipse plane Historiae Criticae auctor, Stephanus Katona, bene secus in regulis critices versatus, affirmare non dubitavit, nullum ex episcopis Hungariae prius ac certius, quam Astricum Colocensem, nobis cognitum esse; <sup>1)</sup> cui Georgius Fejér his obsecundat: „Primus Colocensium Episcopus certissime fuit Astricus.“ <sup>2)</sup>

Sed in excusationem illorum dictum sit, duos adhuc alios praesto illis fuisse fontes, quibus ut Hartvico indubitanter crederent, inducti sunt. Hos ergo nunc fontes pervestigemus.

In litteris Silvestri PP. II. ad Stephanum Regem a. 1000. datis, expresse haec occurrunt: „Confrater noster Astricus, venerabilis Colocensis Episcopus“. Ob litteras has vehementer olim excandebant eruditi; decursum tamen litis enarrare non nostra interest <sup>3)</sup>, sufficiat breviter adnotare, etiam illos, qui authenticam litterarum harum modis omnibus tuiti sunt, ultro concedere, eas pluribus in locis interpolatas esse, Podhradczy plane loca haec nobis digito monstrat <sup>4)</sup>. Eruditissimus Ignatius Batthyányi Episcopus Transilvaniae super epistola hac sententiam suam, cui etiam nos subscribimus, his aperit; „Extra omne igitur dubium positae assero Sylvestrinis litteras? minime id quidem. Comploratam ergo litterarum causam contendo? ne hoc quidem. Licet enim argumenta pleraque validissime a viris laudatissimis refutata videam, quia tamen deperditas scimus, originem autem inventarum litterarum non satis tenemus, non puto rem esse sat eliquatae veritatis, ut me pro sinceritate earundem vadem praebere audeam. — — Quis me securum praestabit, interpolatum non fuisse exemplar? A Sylvestro II. litteras et quidem similis ferme tenoris ad s. Stephanum exaratas fuisse, docet Carthuitius et Werböczius. An hoc ipso tenore ad apicem omnia perscripta fuerint, non liquet, ideo neque contentiose affirmare, aut negare ausim. — — Ita proinde existimet, velim, benevolus lector, me his litteris neque fidem derogare, neque adstruere“ <sup>5)</sup>.

Litteras has Antonius Verantius, subin Archiepiscopus Strigon., in archivo Ecclesiae Traguriensis a. 1550. forte offendit ac manu sua descripsit, post cuius mortem accepit Athanasius Georgier, a quo Viennae nactus est Raphael Le-

1) Hist. Eccl. Coloc. I. 144.

2) Rel. Initia 111.

3) Vide Stilling. Vita s. Steph. num. 224. pag. 196. — Kollár Hist. Dipl. Juris Patr. 49. — Batthyányi Leges Eccl. I. 137. — Katona Hist. Crit. I. 33.

4) A pannonh. Apátság al. levele. 61.

5) Leges Eccl. I. 139.



vakovicz, qui deinde eas typis committendas Melchiori Inchoffer tradidit. <sup>1)</sup> Quid si iam Verantius ipse, ut cl. Horváth opinatur <sup>2)</sup>, locum de Astrico, quem ex Hartvico Colocensem fuisse Episcopum novit, optima quidem intentione, contra fidem tamen diplomaticam, correxit, seu potius depravavit? Utut sit, primum et ante omnia authentia litterarum harum stabiliri deberet, antequam illis quidpiam superstruatur.

Litterae ergo hae ad minimum interpolatae sunt, sed prorsus suspectae nobis videntur litterae s. Stephani Monasterio Pécsváradiensi a. 1015. concessae, e quibus alterum pro Astrico Colocensi Episcopo desumitur argumentum. Haec in iisdem leguntur:

„Quod ut verius credatur, hanc paginam manibus propriis roborantes, sigilli nostri munimine in ipso die consecrationis dicti monasterii per ministerium domini Astrici Colocensis Archiepiscopi et primi Abbatis praedicti Monasterii — — confirmavimus unanimiter“ <sup>3)</sup>.

Litterae originales tempore Gyejcsae II. Regis cum privilegiis Ducis Damoslai, Ladislai et Belae II. Regum igne consumtae sunt. Horum tamen „privilegiorum exemplaria pro diversis negotiis, scilicet quae solent emergere, absque sigillaris impressionis firmamento, in camera eiusdem Abbatiae monasterii ab horrendo combustionis infortunio — — sunt servata“. Ex his ergo exemplaribus Gyejcsa II. quia anno incendium praecedente, „dicta privilegia diligenter inspecta dictis exemplaribus concordaverunt“, litteras has a. 1158. transumsit, sed una immutavit, in quantum epilogum litterarum harum, in quo verba de Astrico praecitata continentur, privilegiis praedictorum Regum et Ducis postposuit <sup>4)</sup>. Has iterum transcripsit a. 1228. Andreas II., sed iam hic in verbis de Astrico praeallatis loco: Primi abbatis, legitur Pauli Abbatis <sup>5)</sup>. Iterum a. 1329. transumsit Carolus Rex et quidem e privilegio, ut ipse fatetur, „Domini Stephani primi Regis et Apostoli Hungariae“, quod „propter suam antiquitatem“ transumendum exhibuit Dethmarus abbas, quodque Rex „in nulla sui parte vitiatum“ invenit <sup>6)</sup>. In hoc transumto, teste Fejério <sup>7)</sup>, iterum Primi Abbatis legitur. Has dein transcripsit a. 1399. Sigismundus Rex, in hoc quoque Primi Abbatis legitur <sup>8)</sup>. Tandem a. 1403. Bonifacius PP. IX. transumtum Caroli Regis transcripsit <sup>9)</sup>, ubi haec leguntur: „Karolus Rex litteras

1) Inchoffer Annal. 255.

2) Az első eszterg. érsek l. c. 8.

3) Fejér Cod. dipl. I. 302.

4) Ib. II. 151.

5) Ib. III. II. 128.

6) Ib. VIII. III. 351.

7) Ib. I. 303.

8) Ib. X. II. 656.

9) Ib. X. IV. 188.

eiusdem Geyse regis dicta autoritate confirmavit, prout in litteris inde confectis, ipsius Karoli regis sigillo munitis, quas in Cancellaria nostra inspicere et examinare fecimus, plenius continetur<sup>1)</sup>; cum tamen Carolus, ut vidimus, non Gyejcsae transumptum, sed ipsius Stephani privilegium se transcripsisse fateatur. Bonifacius pariter Primi Abbatis habet<sup>2)</sup>.

Jam quantopere transumpta haec suspecta sint, vel inde apparet, quod semel Primi, semel Pauli Abbatis legatur. Porro Carolus ipsum Stephani privilegium se transcripsisse ait, cum tamen illud pridem antea igne absumptum fuerit; Bonifacius iterum Carolum hunc Gyejcsae transcriptum transmississe erronee ait; nec in Regestis Pontificiis hoc Bonifacii transumptum contineri videtur, secus enim Theiner certo certius in Monumentis suis Hungaricis publici iuris fecisset, cum regesta eiusdem anni, teste eodem, supersint. Maxime autem ideo nobis suspecta sunt, quod originalia transumptorum horum nullibi reperiantur, eaque solum e transumpto Capituli Strigon. a. 1657., quod iterum non ex originalibus, sed „e quodam antiquae seu veteris formae scripto, universas donationes et Privilegia Divorum quondam Hung. Regum super praedicta abbatia Peczvaradiensi continente“ confectum est, <sup>3)</sup> innotuerint.

Sed etiam e notis internis suspectae sunt litterae hae. Haec enim in iisdem legimus: „Circumscriptio nostrae donationis ante nostram Coronationem fuit assignata, ante annos 14, priusquam fundamentum foderetur; quinto decimo vero anno a fundatione Monasterium iam dictum est consecratum anno ab inc. dom. 1015.“ Ergo fundata fuit a. 1000. Anno autem hoc Anastasium iam Colocensem Episcopum fuisse et Hartvicus et litterae Sylvestrinae praetendunt; quomodo ergo primus — si nempe lectio haec, ut Fejér affirmat <sup>4)</sup>, vera est — Monasterii huius Abbas fuisset? Sed quomodo etiam Astricum Colocensem Archiepiscopum vocare potest? Cum enim Hartvicus illum tantum cum pallio Colocam rediisse dicat, titulum autem Archiepiscopi illi non tribuat, nec ob pallium titulo hoc, ut scriptores erronee arbitrantur, necessario distinguere debuerit: litterae hae, si revera Colocensis fuisset, vix illum Archiepiscopum nominassent. Litterae ergo hae Colocensibus nil prorsus suffragantur. —

Et sic Astrico sedi suae Strigoniensi, ex qua per secula tam iniuste exsulabat, revindicato, anteacta eius, quantum aetatem nostram tulerunt, recensamus.

Astrici nomen diversissime exhibetur; Annales Kamenzenses Adstricum <sup>5)</sup>; Cracovienses et alii Polonorum Affricum <sup>6)</sup>; Babenbergenses Asche-

1) Ib. I. 304.

2) Koller Hist. Epist. Quinqueecl. I. 74. \*) Transumptum hoc in Archivo regnicolari Capituli Strigon. actu superest. Capsa 70 fasc. 50. nr. 7.

3) Cod. dipl. III. II. 129 in nota.

4) Pertz Mon. SS. XIX. 581.

5) Ib. 586. 618. 619. 678.

ricum <sup>1)</sup>; Silesiaci <sup>2)</sup> et Cronica mixta Astricum; Hartvicus, ut vidimus, Ascricum; Dlugossus, ut pariter vidimus, Austriacum; Du Mesnil autem Astroium <sup>3)</sup>; Mabillon vero, ut mox videbimus, Austricum vocant. Anastasii illum nomen tardius suscepisse, inferius videbimus. Duobus tamen his nominibus Inchoffer non contentus, illum alia insuper nomina, inspecie Hilarii, ex eventu magnarum rerum, quas operatus est, accepisse scribit, ast non docet <sup>4)</sup>.

Mabillon eum, antequam s. Adalberto innotuisset, Romae monachum egisse, his docet: „Inter illustres Ordinis nostri viros, qui Religionem Christ. in Hung. Regno nascentem fovere ac promovere sategerunt, Anastasius, qui et Austricus alio nomine appellabatur, merito debet recenseri. Hic in Monasterio s. Alexii seu s. Bonifacii Romae vitam monasticam agebat sub Leonis abbatis regimine, eo tempore, quo s. Adalbertus Pragenses Antistes in idem monasterium de novo se recepit. Cum vero idem Adalbertus — iterum in Bohemiam ad suam ecclesiam redire coactus fuisset, sex Monachi Alexiani, inter quos noster Austricus erat, sese ipsi itineris comites adiunxere, eumque in Bohemiam secuti sunt, quod condendo celebri Breunoviae asceterio occasionem praebuit“ <sup>5)</sup>. Antonius de Yepes illum expresse italum natione fuisse affirmat <sup>6)</sup>, quem iterum Gabriel Bucelinus sequitur, addens praeterea, illum „ex Monacho et abbate s. Alexii Romae Vngarorum Apostolum“ evasisse <sup>7)</sup>. Hos, in specie Mabillonium, omnes reliqui passim scriptores sequuntur. Hanc tamen opinionem omni prorsus fundamento carere, duae, quae de s. Adalberto supersunt, legendae testantur, harum primam, ut fundate creditur, Joannes Canaparius, Adalberti Romae in monasterio socius, ac Leonis Abbatis successor <sup>8)</sup>, alteram Bruno Archiepiscopus, qui Chronico Magdeburgensi teste, Adalbertum in schola Magdeburgensi sodalem habuit <sup>9)</sup> conscripserunt. Harum legendarum ope, adhibitis aliis insuper quibusdam fontibus, haec de Astrico nostro dubio carent.

Astricus e praepotenti in Bohemia genere Libic natus est. Legendae quidem id aperte non docent, sed quia Adalbertus Astricum et Gaudentium, ut totus legendarum decursus manifeste ostendit, teneriori prae caeteris amore semper prosecutus fuit, Gaudentius autem frater illius germanus erat, primum est concludere, etiam Astricum nostrum sanguine illi iunctum fuisse. Accedit, quod

1) Ib. SS. XVII. 636.

2) Ib. SS. XIX. 537.

3) Doct. et Disciplina Eccl. IV. 37.

4) Annal. in appendice.

5) Acta Sanct. ord. Ben. ad a. 1000. I. 65.

6) Cronica General de la orden de san Benito. Valladolid 1615. tom. V. Cent. 6. pag. 263. „Fue un monge italiano llamado Astrico.“

7) Monologium Benedictinum Veldkirchii 1655. 30. Dec. pag. 891.

8) Pertz Mon. SS. IV. 575.

9) Ib. 578.



Astricus, prout videbimus, post expugnationem arcis et internecionem familiae Jilic, dum et ipse tantum ob characterem, quo munitus erat, sacerdotalem mortis periculum evasit, illico Bohemiam reliquit. Quae omnia Astricum, prout et Dudikio persvasum est, <sup>1)</sup> a Jiliciorum genere descendisse probant. Radlae nomen sortitus, Adalberto ex eodem genere procreato, puero adhuc, puer et ipse in socium adiungitur; ast a litteris abhorrens, bis ad parentes aufugit, verum diris ad redeundum verberibus compulsus, ita brevi litteris assuevit, tantopereque in illis profecit, ut paedagogus Adalberti evaderet; prout haec Bruno his verbis testatur: „Qui (Adalbertus) cum intra plenilunium sensibilis puericiae venisset, — — primis elementis inficiendus, presbyterorum datur in manus. Tunc quidam, qui cunabulis pueri familiaris adhaesit, arduum desperans iter, parandis litteris se comitem subtrahit, semel et secundo concita fuga ad dulces parentes perrexit. Quo facto pater infrendens, diris ictibus et vitalibus plagis fugam correxit, et cum indignatione sequens, non ab re filium tradidit salutiferis scholis. Nam aperuit Deus puero aurem cordis et interiecto mensis spacio, tanta gratia perfudit, ut exinde parendo seniori usque ad unguem phylosophiae eius, papas (idest paedagogus) morum et magister sensuum foret“ <sup>2)</sup>.

„Davidico sic nectare — ut Bruno prosequitur — parvoque melle dulce canentis Gregorii passus“, seu psalmis et moralibus cum Adalberto instructus, ambo Magdeburgum liberalibus disciplinis imbuendi dimittantur a. 972. <sup>3)</sup>, Adalberti autem 19 — 22., aut 16. aetatis anno <sup>4)</sup>; Astricus tamen noster Adalbertum aliquot annis praecesserit. Quomodo Astricus studiis incubuerit, legendae reticent, e Brunone tamen videmus, iisdem cum cum Adalberto praeceptis formatum fuisse; sic enim scribit: „Apponuntur paedagogus et herus ad unum legere, sicut consuetudo erat domi discere“ <sup>5)</sup>. Male ergo Palacky <sup>6)</sup> et Dudik <sup>7)</sup> Radlam seu Astricum nostrum Adalberti in domo paterna magistrum fuisse, ab eoque psalmis eruditum asserunt. Adalbertus quidem illum, ut videbimus, Papam suum, seu paedagogum appellat, sed vox haec non tam magistrum, quam potius praefectum, vel custodem denotat; sic ait Isidorus: „Papas, Paedagogus, qui sequitur studentes“ <sup>8)</sup>. Ipse etiam Bruno, qui Astricum nostrum personali-

1) „Abt Anastasius als einer des Geschlechtes Libic.“ Dudik Gesch. Mährens. II. 80.

2) Pertz Mon. SS. IV. 596.

3) Juxta legendam Bruononis annos ter ternos“ (l. c. 597) seu 9 Magdeburgi exegerunt, recesserunt autem, ut prima legenda testatur post mortem primi Archiepiscopi Adalberti, qui cum a. 981. mortuus sit, a. 972. Magdeburgum advenerint, oportet. Dudik l. c. 52. 3.

4) Natus enim est secundum Dudikium (l. c.) a. 950. aut 953., secundum Pertzium autem, quod nobis quoque probabilius videtur, a. 956. (l. c. 582.)

5) L. c. 597.

6) Gesch. v. Böhmen Prag. 1836. I. 234.

7) L. c. 52.

8) Du Cange Glossar. III. 147.

ter novit, eum non magistrum, sed servum Adalberti his verbis dicit: „Memoriam vero viri (Astrici nempe) saepe pono, cuius relacione haec scribo, quem servum martyris agnosci volo“ <sup>1)</sup>.

Adalberto Pragensium Episcopo constituto, Astricus noster proximus illi affuisse non videtur; legenda enim prima aperte haec scribit: „nocte vero aut habuit fratrem Gaudentium, aut coecum natum, extra quos suo cubili amicissima familiaritate iunctos et se tertium, nemo quartus recubuit in una domo“ <sup>2)</sup>. Ast dum Adalbertus a. 989. ob scelera populi Romam se retraxit, viae comitem illi etiam Astricum nostrum adiungunt Palacky <sup>3)</sup>, Dudik <sup>4)</sup> et Carolus Szabó <sup>5)</sup>; quod equidem etsi verisimile sit, legendae tamen aperte non docent, solum fratrem suum Gaudentium nominant et legenda prima subiicit: „Deinde pueris remissis in patriam — —“. E tribus autem, qui cum eo remanserant, sociis duo, postquam habitum monachi induisset, pariter domum reversi sunt; pergit enim legenda: „Duo autem ex fratribus, qui cum eo erant, iam dudum videntes, quia se monachum facere vellet, non bene relicto clipeo fugam dederunt. Solus vero Gaudentius — — remanens, cum beato viro monachatum — — consecutus est“ <sup>6)</sup>. Horum recedentium unum scriptores praedicti Astricum nostrum fuisse existimant.

Ubi duos insequentes annos Astricus exegerit, incertum, anno tamen 992. iterum comparet, „quo — ut Bruno testatur — populus terrae episcopum suum (Adalbertum) revocat; sancti viri papatem sapientem, Radlam, et quia frater carnis suo duci erat, Cristianum monachum (Boleslai II. fratrem, alias Strachkvas dictum) eloquentem virum, in suum opus eligunt. Hi duo cum litteris metropolitani Romam veniunt, de reditu pastoris papam appellant“ <sup>7)</sup>. Bruno quidem ait, Adalbertum „quinquennio pleno“ Romae monachum egisse, sicque legatio Astrici, et Adalberti reditus non in praedictum, sed in 994. a. incideret; ast Bruno aut aberravit, aut, quod verisimilius, Adalberti secundam etiam Romae commorationem hic computaverit <sup>8)</sup>.

Adalbertus a papa et coacta hunc in finem synodo redire iussus et comitatu duodecim monachorum <sup>9)</sup> auctior factus, legatis se cum Gaudentio patriam petiturus adiunxit, conscensaque Anconae navi „Segniam in littore Dalmatico positam appellit, atque inde se in Pannoniam insinuat“ <sup>10)</sup>. Astricus hac occasione

1) L. c. 607.

2) L. c. 585.

3) L. c. 239.

4) L. c. 69.

5) A m. vezérek kora 379.

6) L. c. 587. 588.

7) L. c. 602.

8) Dudik l. c. 72. 2)

9) Dobner Annal. IV. 370 — Dubravius (l. c. 156) ad sex reducit.

10) Dubravius l. c. 155.

primum duci Gyejcsae et Stephano innotuit, paulopost principem in Regno cathedram conscensurus.

„Cumque emenso itinere Pragam venirent — ait legenda prima — eunt ei obviam omnis aetas et sexus et quasi cum ingenti gaudio acceperunt eum“ <sup>1)</sup>. Adalbertus ante omnia monachis secum allatis prospicere cupiens, sylvam nomine Sarka acquisivit, in qua dein Boleslaus dux „ex precepto — ut ipse dicit — domini Johannis pape“ monasterium, quod Brevnoviam vocant, sub nomine s. Margarethae prope Pragam notum, erexit, illique a. 993. nomine abbatis praeposuit Radlam, qui Anastasii nunc nomen suscepit, quod idiomate Sclavorum in Astricum immutatum est, quo apud nos postea longa annorum serie inclaruit <sup>2)</sup>.

Ast Adalbertus inopinato casu ob mulierem adulteram, quam a furore populi salvare volebat, exitiale dominorum de praepotenti genere Wršovec odium incurrit. In his rerum adiunctis amplius cum fructu operari se non posse ratus, divinus heros — ut Bruno ait — ascendit equos, dulcem Romam revisit. Ut Astricus itineri se comitem accingat, his eum verbis persuadere conatur: „Scias certum, aut ubi sum ego venies, aut amplius me nunquam videbis“. Astricus tamen nec primum, eominus iteratum hunc Adalberti recessum probavit, quocirca etiam simultates inter eos enatae fuisse videntur. Huc enim pertinere arbitramur, quae Surius e codice hodie incognito legendae Brunonis his verbis adiecit: „Astericus eius clericus, contra sanctum virum arguendo, increpando, cum multa inutilia furibundo animo loqueretur, ultra limitem rationis proterva contentione progressus, quasi quem amplius videre nollet, magna cum amaritudine reliquit. Arrepto autem itinere, tota die ipse cum socio homine suo equitans, errare coepit, et cum viam, haud aliter atque manum suam sibi notam, invenire non posset, ex poena cognosceret, quam grave peccatum cum episcopo contendendo perperasset. Porro ad vesperam casso labore reversus in urbem, quod ira dictante ex humana infirmitate deliquisset, poenitere coram Deo toto corde coepit“ <sup>3)</sup>. Adalbertus ergo sine Astrico recessit, nec eum, ut bene praedixit, Astricus amplius conspexit.

Paulo post tamen et Astricus ipse loco cedere debuit. Domini enim de Wršovec, adjuvante eos ipso Duce Boleslao III., 27. sept. a. 995. arcem Libic oppugnant, capiunt et s. Adalberti „fratres, fratrumque filios, masculum una

1) L. c. 589.

2) Dubravius l. c. 156. Dudik l. c. 76. Car. Szabó l. c. 380. — Male ergo Bonfin. (Dec. II. l. I. pag. 174) et Mabillon (Acta. SS. l. c. 67 et Annal. IV. 143) tum Inchoffer (Annal. I. 272) et Szentiványi (Paralip. 68) illum post adeptum Episcopatum Anastasii nomen suscepisse, aut a Stephano accepisse docent. Male pariter Szalay (Magyarorsz. Tört. I. Lipese 1852. 71.) dubitat, an Astricus idem cum Anastasio fuerit.

3) Pertz l. c. 604.



cum insonte femina, omnes morte saevissima dampnarunt“. <sup>1)</sup> Tristi huic ex-cidio Astricum quoque interfuisse fratresque Adalberti salvare voluisse, Bruno his verbis testatur: „Sancti viri fratres quatuor, bello strenui et nescii cedere loco, dum, de quo iam diximus, clericus Radla consilium dedit, parum valencia arma dimiserunt et quam praeliando pulcram mortem putarunt, confugiendo ad ecclesiam, ut est in humanis oculis, turpem acceperunt. Nam falso data est spes vivendi et dum exeuntes ecclesiam sponte in manus hostium vadunt, — — in conspectu omnium pulcra corpora subierunt capitalem sententiam.“ <sup>2)</sup>

Astricus a furiosis, quia clericus erat, liber dimissus, saluti suae consulturus, cum monachis suis Bohemiam, non amplius reversurus, relinquit, et patriam nostram intrans Gyejsae ducis patrocínio se sociosque commendavit, a quo benigne exceptus, stabilem in Hungaria fixit sedem. <sup>3)</sup>

Interea Adalbertus Roma denuo redire coactus, cum in itinere constitutus, immanem fratrum suorum caedem inaudisset, Bohemiam devitans in Poloniam se recepit. Hic constitutus, ultimi quod in Prussiam paravit, itineris sui Astricum quoque nostrum, quem tenerrimo semper amore dilexit, socium habere voluit. „Miserat ergo — ut Bruno scribit — his diebus ad Ungorum seniore magnum (Gyejsam) immo ad uxorem eius, quae totum regnum manu tenuit, virum et quae erant viri ipsa regebat. — — Ad quam tunc per venientes illuc nuncios in haec verba epistolam misit: „Papatem meum, si necessitas postulat et usus, tene; si non, propter Deum ad me mitte meum.“ Ipsi vero clam cartam alia mente, alia sententia misit: „Si potes, inquit, cum bona licencia, bene; si non, vel fuga fugiens, tempta venire ad eum, qui te desiderio concupiscit, Adalbertum tuum.“ Astricus tamen vagas Adalberti vias, ut iam observavimus, improbans, venire recusavit. „Ipse autem — prosequitur Bruno — venire non potuit, vel ut homo noluit; ut enim hodie (mortuo nempe iam Adalberto) audis ipsum dicentem, quem nunc, sicut siciens aquam frigidam, totis visceribus flagrat et amat, ardua scandentem tunc semper fugiebat.“ Ne tamen ideo Astricum redarguere videatur, haec adiicit: „Ipse tamen iam erat monachus, et, ut dicunt, qui tunc temporis norunt, pulcher et bonus.“ <sup>4)</sup>

Uti videre est, Legendae Astricum eundem cum Radla et Papate aperte nondicunt, id tamen vel ex allatis illarum verbis tam clare apparet, ut quomodo hoc attentionem scriptorum nostrorum fugerit, merito mirum videri posset, si tex-

---

1) Legenda prima l. c. 592.

2) Ib. 606.

3) Palacky l. c. 243. Dudík l. c. 80.

4) L. c. 607.

tum legendarum, qui ex actis Sanctorum a Surio illis innotuit, depravatum nesciremus. Atque hinc factum est, ut etiam hic dubii haerent. Sic Pray <sup>1)</sup> sub Papate Deodatum s. Stephani patrinum latere putavit; Katona autem, et Stilling ut erant acrioris ingenii, reiecta hac opinione, in Papate reipsa Radlam agnoverunt, sed ut simul Astricus fuisset, illuc non pervenerunt. <sup>2)</sup> A quo tamen textus genuinus editus est, scriptores Papatem, Radlam et Astricum unum eundemque pridem agnoverunt. <sup>3)</sup>

Astricus Adalberti voto non deferens, providaque hac agendi ratione patriae nostrae servatus, ubi primum cum sociis suis consederit, videamus.

Legenda s. Stephani maior et Hartvicus Astricum devicto iam duce Kopány, adeoque post a. 998. Hungariam intrasse dicunt. Hartvico etiam hic inhaerent scriptores; sic Mabillonius <sup>4)</sup> Astricum post mortem Adalberti († 23. Apr. 997.); Inchoffer, <sup>5)</sup> Spangár, <sup>6)</sup> et Timon <sup>7)</sup> autem expresse a. 998. advenisse affirmant. Stillingus quidem adventum eius a. 995. affigendum recte existimavit; <sup>8)</sup> ast Katona <sup>9)</sup> illum directe erroris arguit, et opinionis suae in Fejério insuper acerbum nactus est propugnatorem. <sup>10)</sup> Stillingum tamen bene combinasse et Astricum reipsa a. 995. mense circiter Octobri advenisse, superius prolata clare ostendunt.

Astrici adventu enarrato, Legenda et Hartvicus haec subiiciunt: „Astricus abbas cum suis honorifice susceptus, ad radicem Montis ferrei coenobium sub titulo sancti patris Benedicti construxit.“ <sup>11)</sup> Voces hae ingentem inter eruditos excitarunt litem. Cum enim in diplomate s. Stephani, Abbatae montis Pannoniae a. 1001. dato, mentio Anastasii abbatis his verbis: „consensu Domini Anastasii abbatis de monasterio s. Martini, in monte supra Pannoniam sito, ab genitore nostro incepto,“ et „quia per orationes sanctas fratrum eiusdem monasterii consiliante Domno Anastasio praescripto abbate, et iugiter adiuvante, confortati et laureati sumus,“ — pariter occurrat; pars scriptorum Astricum nostrum eundem cum Anastasio hoc, seu abbatem s. Martini, alii autem diversum ab illo et abbatem montis ferrei seu Pécsváradiensem statuunt.

1) Annales Veteres Hunnorum 382, 384.

2) Hist. Cr. Duc. 663, Vita s. Steph. 80.

3) Pertz (Mon. SS. IV. 589. 91.); Palacky (Gesch. v. Böhmen I. 234. 245.); Dudik (Gesch. Mähr. II. 76.) Szabó (Vezérek kora 380.)

4) Annal. IV. 115.

5) Annal. 245.

6) Krónika IV. 114.

7) Epitome ad a. 998.

8) Vita s. Steph. num. 154. pag. 127.

9) Hist. Eccl. Coloc. I. 147.

10) Initia Rel. 107.

11) Pertz Mon. SS. XI. 232.

Pécsváradiensem illum abbatem confidenter asserunt: Dlugossus, ut supra iam vidimus, Du Mesnil<sup>1)</sup> Yepes<sup>2)</sup> et post illum Bucelinus<sup>3)</sup> Tarnóczy<sup>4)</sup> Batthányi,<sup>5)</sup> Koller<sup>6)</sup> Palma<sup>7)</sup> Anonymus quidam<sup>8)</sup> et imprimis Szvorényi, qui quaestionem hanc sub titulo: De Astrico montis Pannoniae putatio primo abbate, specialiter pertractat,<sup>9)</sup> cuius sententiam ambabus manibus acceptat contortarum opinionum avidus auceps, Georgius Fejér.<sup>10)</sup>

Econtra Abbatem montis Pannoniae fuisse affirmant: Stilingus<sup>11)</sup> Timon,<sup>12)</sup> Szentiványi,<sup>13)</sup> Schmitth,<sup>14)</sup> ac praecipue Fuxhoffer, qui nominatim contra Szvorényium consurgit,<sup>15)</sup> Michael Horváth,<sup>16)</sup> Carolus Szabó<sup>17)</sup> et Florianus Mátyás.<sup>18)</sup>

Stephanus autem Katona dubius haeret, nam cum Astricum primum s. Martini abbatem asseruisset,<sup>19)</sup> subin mutata sententia, sic mentem suam exprimit: „Primus igitur Abbas monasterii s. Martini non fuit Astricus; nec illum intelligit s. Stephanus, quum Anastasii — — meminit“. Tum concludit: „Nullum proinde dubium est, Astricum illum non ex Abbate montis Pannoniae, sed ex Abbate montis ferrei Colocensem Episcopum creatum.“<sup>20)</sup> Inchoffer quaestionem hanc complanare volens, Astricum quidem s. Martini abbatem dicit, prius tamen Pécsváradiensem fuisse contendit.<sup>21)</sup> Hanc opinionem prorsus inversam, Desericius, quemadmodum reliqua passim Inchofferi asserta, suam faciens, sic pro more suo se diffundit: „Huic quocirca Monasterio (Montis ferrei) nondum in Abbatiam evecto (quam subtiliter!) praefuit aliquamdiu discipulos instituens B. Astricus; ita nihilominus, ut Monasterii quoque s. Martini exaedificandi, eiusque fratrum curam gerere haud negligeret. — — — Sed vero plus nimio sollicitus Dux

1) Doctr. et Disc. Eccl. IV. 37.

2) „En les rayzes del monte ferreo.“ Cronica general. V. 264.

3) Menolog. Benedict. 891.

4) Ind. Sanct. Hung. 47.

5) Leg. Eccl. I. 366.

6) Hist. Ep. Quinqu. I. 362.

7) Not. Rer. Hung. I. 194, 199, 211.

8) Fragmenta ad Hist. Eccl. Hung. Poson. 1802. I. 17.

9) Hist. Eccl. Hung. Amoenitates. Jaurini 1795. I. 1.

10) Cod. Dipl. I. 303; III. II. 129., et Initia Rel. 106.

11) Vita s. Steph. nro 157. pag. 127 et nro 258. pag. 202.

12) Epit. ad a. 998.

13) Paralip. 62.

14) AEppi Strig. I. 3.

15) Monaster. I. 68.

16) Az első eszt. érsek 4.

17) Vezérek kora 430.

18) Asztrik-Anasztáz 7.

19) Hist. Crit. Ducum 727.

20) Hist. Eccl. Coloc., I. 147.

21) Annal. 249.



Stephanus de praeficiendo Protoabbatiae s. Martini stabili antistite, quae iam ad fastigium properabat, cogitationem iniit. Neque diu cogitandum illi fuit: etenim Astrici probitas, doctrina, prudentia, agendi dexteritas prae oculis versabatur. Hunc iccirco confirmavit, primumque iussit Archiabbatem (sic) in Monasterio s. Martini.<sup>1)</sup>

Mabillonius autem omnia de Astrico nostro confundit. Sic Anastasium Archiepiscopum Strigon. inscribit, ast una illum, Sebastiano visum recepto, Colocam rediisse dicit; alibi autem episcopum Colocensem et Archiepiscopum Strigon. appellat. Porro Pécsváradiensem abbatem quidem statuit, sed ab Anastasio distinguit.<sup>2)</sup> Hanc distinctionem etiam P. Michael Horváth acceptat, et Astricum quidem Abbatem s. Martini tum Colocensem Episcopum et Sebastiani Administratorem, Anastasium autem pariter s. Martini Abbatem constituit, „qui dum Astricus Sebastiani Metropolitae Strigon. per triennium oculis capti munus in regenda ecclesia Strigon. supplevisset, vicarius fuerat illius in gubernanda Colocensi Dioecesi et deinde in regimine eiusdem Ecclesiae Astrico successit.“<sup>3)</sup>

Omnes hi ideo in diversos hos errores inciderunt, quia Astricum, ut vidimus, anno tantum 998. advenisse putarunt; hoc enim in casu reipsa pro Abbate s. Martini haberi non posset, quia, ut Fejér argumentatur: „non est possibile, ut ii filii s. Benedicti, qui iam Geysae duci ministrabant, usque adventum Astrici, acephali, absque Abbate domiciliati fuissent.“<sup>4)</sup> Quia tamen Astricus, ut supra docuimus, anno iam 995. advenit, nec ante bellum cum Koppány aliud praeter s. Martini in Regno extitit monasterium, huius necessario Abbas Astricus esse debuit. Nec diploma Pécsváradiense, in quo Astricus primus Abbas Montis ferrei dicitur, contrariae opinioni quidquam suffragatur, prout id fusius iam edocuimus. Legendam tandem s. Gerardi nec adduceremus, ni Florianus Mátyás illam, ceu contrariae huic opinioni faventem, refutandam esse censuisset. Haec in eadem leguntur verba: „Accidit Dominum Anastasium Waradinensem (seu Pécsváradiensem) abbatem illis diebus (dum nempe s. Gerardus advenerat) Quinqueecclesias pervenire.“ Miror, quomodo Mátyás hic adhaeserit; <sup>5)</sup> Gerardus enim vix ante a. 1022. Quinqueecclesias pervenit. <sup>6)</sup> Si ergo Anastasius hic tempore adventus Gerardi Abbas fuit Pécsváradiensis, idem cum Astrico ipso facto esse non potuit. Quare iam Katona illum ab Astrico distinguendum docuit. <sup>7)</sup>

1) De Init. Hung. V. 34.

2) Acta SS. 65. 66. et XXVI. Item Annales IV. 115. 143. et 191.

3) Natales AEp. Col. 13. 15.

4) Initia Rel. 107.

5) Asztrik-Anasztáz 8.

6) Katona Hist. Crit. 288.

7) Ibid. 296.

Astricus ergo ex Abbate s. Martini Montis Pannoniae, qua dignitate inde ab ultimis a. 995. mensibus, insignitus erat, in primum Metropolitam recentis Ecclesiae Hungariae sublimatus est. — —

His ita digestis, reliqua Astrici nostri acta ordine chronologico suis in locis proponemus.

### 1.

Ante 979. — Gyejsa Dux arcem Strigoniensem ac Ecclesiam s. Stephani Protomartyris exstruit.

Ecclesiam esse fundatam ante tempora beati Regis Stephani, scilicet per dominum Geyzam Regem (sic) patrem eiusdem, qui construxit etiam castrum Strigoniense.

Visitatio Canonica Ecclesiae s. Stephani Protomart. a. 1397. In Arch. Cap. Strig. privato. Lad. 53. Fasc. 1 Nro 7. — Verba haec notabilia, ac, cum traditioni per Turcas tunc adhuc non inserruptae, innitantur, prorsus fide digna, originem arcis Strigoniensis, clare manifestant. Num autem arx haec ante tempora seu nativitatem s. Stephani constructa fuerit, et praeallatis verbis non elucet; Ecclesiam attamen s. Stephani Protomart. ante nativitatem s. Stephani regis erectam fuisse, praeter allata verba etiam Ladislaus IV. Rex a. 1272. sic testatur: „Vbi (in hac ecclesia) beatissimus Rex Stephanus sanctum nomen suum proprium et nativitatis suae pronunciationem per os s. Stephani prothomartiris, omnipotentis dei veri nuncij, recepit.“ (Vide ad a. 1272.) Haec ultro erroris arguunt fontes nostros patrios, qui s. Stephanum anno iam 969. natum asserunt. Stante enim assertionem hac, Gyejsa ecclesiam hanc vivente adhuc patre suo Taks duce, antequam regimen regni suscepisset, et antequam quod maxime considerandum, fides christiana Hungaris per quempiam annunciata fuisset, in mediis cum exteris bellis construxisset, quod nemo prudens sibi persvaserit. Igitur cum Katona dicamus oportet, Stephanum decem annis tardius, a. 979. natum fuisse; hac enim ratione omnis difficultas evanescit, nam sic Gyejsa, qui ab a. 972. ducatum gessit, usque nativitatem filii sui et in fide a praeconibus instrui et ecclesiam hanc erigere commode potuit.

Exstitisse tamen in monte hoc antea iam ecclesiam quampiam, cuius rudera per Gyejsam in fundamenta huius ecclesiae conversa sunt, Joannes Máthes, qui occasione demolitionis veteris arcis Strigon. ad aedilem Directionem actualis Commissarii munere fungebatur, ita memoriae tradidit: „Singulari in constructione aedificii (Ecclesiae) huius id memorari meretur, — — — quod in muris extra terram stantibus, et fundamentis, quae tempore demolitionis clavis ferreis saxi adinstar divelli debebant, nec una quidem tegula reperta fuerit. Ipsa fundamenta maiori in parte vidimus ex lapidibus caelatis, capitellisque diverso, praesertim caeruleo rubroque colore illitis, constitisse, qui iam antea ex ruinis veteris alicuius aedificii protracti huc locati erant.“ Tum proseguitur: „Infra ipsa fundamenta sanctuarii meridiem versus repertum est sepulchrum lapideum. Erat in eo cadaver combustum, circa quod car-

bones ossibus mixti, cum Calice argenteo exiguae formae, non ultra quinque pollices alto, prae antiquitate iam tactu manuum in pulveres friabili, ex una, duo porro nodi ChrySTALLINI lato hieroglyphici laboris annulo aureo ornati, ex altera parte deprehensi: horum maior ad caput, minor autem ad pedes iacens. Operculum sepulchri Tabulam ex lapide calcario durissimo referebat, supra quod directe murus angularis dicti sanctuarii ad cornu Epistolae exstructus fuisse videtur.“ Tum sepultum hic „saeculo nono aut decimo magnum Ecclesiasten et infelici fato functum“ adstruens, adiicit: „Monumentum hoc luculenter id quoque testatur, quod huius ecclesiae sanctuarium seculo nono vel decimo iam exstiterit, adeoque iam prius erectum fuerit.“ (Arx Strigon. 21. 24. 25.) Haec ergo verbis Visitationis citatae omnino suffragantur.

Ecclesia haec initio Capella domestica palatii regalis fuisse videtur, nam alia huius Ecclesiae Visitatio sec. 15. ineuntis, haec habet: „Responderunt dominus prepositus et canonicus, quod prout ipsi scire possunt, in principio erat in ipsa ecclesia fundatus magistratus et Rector ipsius magistratus vocabatur magister ecclesie sancti Stephani, qui habuit certas decimas et proventus.“ (Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 53. fasc. 1. Nr. 8.) Ecclesia autem haec celebritatem maximam inde nacta est, quod in adsito aedificio primam lucem aspexerit sanctissimus Rex et Apostolus noster beatus Stephanus, quod aedificium postea in Capellam conversum et Ecclesiae huic adnexum fuit, prout Visitatio prima his testatur; „Repertum est omnia altaria dictae Ecclesie esse consecrata, quae sunt numero quatuor, et unum aliud in sacristia et aliud in Capella, in qua natus fuit beatus Rex Stephanus“ (Fejér X. II. 518. 520.) Loco huic, nobis Hungaris sacerrimo, per demolitionem tamen veteris arcis quatuor circiter orgias depresso, nunc Capella s. Stephani Protomartyris in latere orientali novae Basilicae superstructa est.

## 2.

979. — S. Stephanus Rex Strigonii in lucem editur.

Strigoniensi oppido nativitatis exordium habuit. — Nascitur interea praedictus a Domino principis filius, quem secundum prophetam, antequam in utero conciperetur, Dominus novit.

Legenda s. Stephani minor et maior. Pertz Mon. SS. XI. 226. 230. — Visiones, quibus nativitatem eius patri et matri a Stephano Protomartyre praenunciatam fuisse legenda maior et Hartvicus (ib. 230) asserunt, scriptores quidam, in specie Godefridus Schwartz (Initia rel. Christ. 14.) qui eas „futilis cuiusdam fraterculi, in cellula sua superstitione negotiosi, abortum“ nominat, et recentius Carolus Szabó (Vezérek kora 404. ') ) explodunt. Econtra scriptores cath. praecipue Katona (Hist. Ducum 565) eas viribus omnibus vindicant. Nos impossibiles non fuisse, ultro admittimus; num reipsa evenerint, cum nihil ad rem faciant, nihil moramur; id tamen certum, traditionem hanc in Hungaria continuo viguisse, eamque etiam Paparum et Regum nostrorum litteras, prout suis in locis videbimus, subintrasse. — De anno eius natali inter scriptores non convenit. Marci. Chronica sec. 14. (edidit Toldy Pest 1867. pag. XXXII.) ad antiquiorem fontem provocans, ait: „Geycha vero divino praemonitus oraculo anno dom. inc. nongentesimo sexagesimo nono, quem admodum in Legenda b. Stephani Regis scriptum est, genuit s. Stephanum Regem ex Sa-



rolta, filia Gyula.“ Hunc sequuntur Joannes Thuróczi (Chron. Hung. p. II. c. 27.; in editione tamen Beliana Scriptorum Rer. Hung. formae 8-ae Tirnav. 1765. I. 149. emansit vox: sexagesimo), Ranzanus (Epitome Rer. Hung. indice 8.) et Chronicon Budense (edit. Podhradczky Budae 1838. 61.); scriptores tamen recentiores, uti Baronius, Spondanus, Balbinus a. 989., Hansizius, Stiltingus et Pray a. 983. 984.; Inchoffer a. 985. Hell autem et Katona a. 979. propugnant (Katona Hist. Duc. 578.) His in obversum Carolus Szabó (Vezérek kora 340.<sup>2</sup>) et 388.<sup>3</sup>.) recentissime praedictarum Chronicarum opinioni assentiens, a. 969. natalem eius fuisse contendit. Quia tamen Stephanus anno hoc ex rationibus sub Nro 1. productis nasci non potuit, nos Stephanum Katona secuti, anno 979. Stephanum natum fuisse asserimus.

### 3.

994. — S. Stephanus Rex Strigoni per s. Adalbertum, Comite Deodato patrem lustricum agente, baptisatur.

Hunc Deo dilectus Adalbertus episcopus crismali baptismate, secundum credulitatis suae veritatem intinxit et susceptor eius fuit. Nomen sibi impositum est Stephanus.

Legenda maior s. Stephani. Pertz l. c. XI. 231. — Idem refert Annalista Saxo ad a. 1038. his verbis: „Stephanus religiosus Vngarorum rex obiit, qui cum omni gente sua ad fidem Christi conversus fuerat; hunc s. Adalbertus episcopus et martyr baptizavit.“ Idem et alii testantur, ut adeo Ademarum Chabanensis, qui Stephanum a Brunone Russorum Apostolo baptizatum tradit, quamvis synchronus, nullam fidem mereatur. (Katona Hist. Duc. 633.) Non tamen illum Adalbertus iure dioecetani Episcopi baptizavit, prout Palacky (Geschichte v. Böhm. I. 221. 226.) et Dudik (Geschichte Mähr. II. 41.) somniant, qui fines Moraviae et Episcopatus Pragensis ex amore laudabili quidem nationis propriae, sed contra historicam veritatem, Strigonium usque extendunt, caeterum opinionem hanc nimis nobis iniuriosam, omni prorsus fundamento carere, et Carolus Szabó (M. vezérek kora 382<sup>3</sup>.) et nos ipsi (Lányi Egyház történ. Esztergom 1866. I. 199.) fusius ostendimus. De patre eius lustrico Chronicarum nostrarum haec adnotant: „Intravit ergo primo Deodatus de Comitibus s. Severini de Apulia, qui fundator extitit monasterii de Tata et parator. Iste etiam cum s. Adalberto Pragensi Episcopo s. Regem Stephanum baptizavit, cuius quidem monasterii nomen pro eo Tata appellatur, quia cum B. Rex Stephanus ipsius nomen ob reverentiam non exprimeret, sed eum Tata appellaret, abolitum est nomen Deodati, sed Tata extitit vocatus, unde etiam ipsius monasterium taliter est vocatum. Huius quidem generatio in Pannonia non habetur, quia quamvis uxorem habuisset, tamen sine haeredibus finivit vitam suam.“ (Marci Chron. XXV. Thuróczi Chron. II. c. X.) — Anno hoc baptizatum eum fuisse, Katona (Hist. Duc. 639) et Car. Szabó (l. c. 388) evincunt. — Strigonio autem, ceu loco eius natali, solemnitate hanc antiqua Hungarorum traditio vindicat, quam Ladislaus IV. Rex (Vide Nrum 9.) posterorum memoriae tradidit.

## 4.

992—995. — S. Adalbertus idolum quoddam Hungarorum Strigonii incendit.

Legitur eciam, quod in Ungaria Christum predicaret beatus Adalbertus; primum quidem per nuncios suos, deinde per se ipsum, et innumerabilem populum verbo predicationis atque multis miraculis ad fidem converteret. Accidit eum pervenire ad locum, ubi sedes est principalis totius regionis (seu Strigonium.) Erat autem ibi ydolum quoddam celebre pre ceteris, ex quo demones frequenter dare manifeste responsa solebant. Hac igitur causa turbe vicinarum urbium ad huius rei spectaculum statutis temporibus illud adorature conveniebant. Maxima itaque multitudine populi ydolum circumstante, sanctus pontifex fide fortis, paratus pro Christo tradere in mortem animam suam, audacter accessit, et videntibus cunctis face accensa in conspectu sacerdotum ydoli, omnibusque virtute Dei consternatis atque stupentibus tante auctoritatis constanciam nullo contradicente, illud penitus concremavit.

Miracula s. Adalberti Mart. Pertz Mon. SS. IV. 613. — Strigonium ergo praecipuus fuerit nidus paganismi. Et sic unde vanae superstitionis tenebrae regnum obnubilabant, inde lux vera Christianae religionis effulsit!

## 5.

Ca. 998. — S. Stephanus in arce Strigoniensi ecclesiam cathedralem erigit.

Dicunt Hungari, quod s. Adalbertus Pragensis episcopus regem Stephanum ad fidem convertit et baptizavit, et ipse rex sua praedicatione Hungaros convertit et maiorem ecclesiam Strigonii in honorem Adalberti instituit.

Albericus haec quidem ad a. 1010. narrat „Sed quia — ut Katona (Hist. Crit. I. 166) bene observat — plura hic auctor, quae diversis temporibus contigerunt, eadem serie narrat, ac obiter tantum ecclesiam illam in honorem Adalberti positam, commemorat; certus piaegrataeque liberalitatis annus istinc erui non potest.“ — Quod tamen Stephanus ecclesiam hanc statim post caedem Adalberti, aut quod ex adiunctis verisimilius videtur, post pugnam cum Koppány inchoaverit; exinde patet, quia a. 1000. in eadem iam coronatus fuit, quin tamen ideo ecclesia haec anno hoc, ut verba Chronicae Mixtae aperte docent (vide Nr. 10), iam plene ad fastigium perducta fuisset. Dubravius quoque (Hist. Boh. 159) haec ait: „Porro Stephanus Pannoniae Rex Strigonii in arce sua Regia primus ei (Adalberto) templum constituit.“ Idem repetit Damalevicius (Series Archiep. Gnesnen. 64.) Ut adeo nullum sit dubium, ecclesiam hanc hoc circiter anno strui coeptam fuisse. Franciscus Baranyai (Disquisitio not. ant. Civ. Strigon. 34.) ecclesiam hanc non in arce, sed in urbe Strigon. aedificatam fuisse contendit. Ast opinionem hanc omni prorsus fundamento carere, Georgius Fejér (Tud. Gyűjt. 1821. VIII. 90) egregie ostendit. — Ecclesiam hanc tempore procedente auctam et restauratam fuisse videbimus.

## 6.

998. — S. Stephanus corpus devicti ducis Koppány quadrifariam dividi et partem Strigoniensis civitatis portae affigi curat.

In eodem autem proelio Vencellinus Comes interfecit Cupan Ducem. — —  
Ipsum vero Cupan Beatus Stephanus in quatuor partes fecit mactari: primam partem misit in portam Strigoniensem, secundam in Vesprimiensem, tertiam in Jauriensem, quartam autem in Erdelw.

Marci Chron. l. c. pag. XXXIII. Thuróczi Chron. II. c. 28. Chron. Bud. l. c. 63. —  
Dubia Stilingi, exinde suborta, quod factum hoc lenissimis s. Stephani moribus parum sit consentaneum, nec Transilvania eo tempore Stephano paruisse videatur, dissolvit Katona Hist. Duc. 718.

## 7.

Ca. 999. — S. Stephanus Archiepiscopatum et Capitulum Strigon. fundat, liberaliter dotat, ecclesiamque Strigon. Caput et Magistram omnium totius Regni Ecclesiarum constituit.

Provincias in decem partitus est Episcopatus, Strigoniensem ecclesiam metropolim et magistram per consensum et subscriptionem Romanae sedis apostolici ceterarum fore constituens.

Vita Maior s. Steph. ap. Pertz. Mon. SS. XI. 232. — Consentiant litterae Sylvestri II. Papae, sequentia exhibentes: „Quare gloriose fili, cuncta a nobis et sede Apostolica expostulata, diadema, nomenque regium, Strigoniensem metropolim et reliquos episcopatus de omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate, praemonente atque ita iubente eodem omnipotente Deo, cum apostolica et nostra benedictione libenter concessimus, concedimus, et impertimus.“ (Katona Hist. Crit. I. 14.) Idem testantur etiam plures Reges nostri, ut per decursum operis huius videbimus. Capitulum autem Strigon. constantem hanc traditionem a. 1397. occasione visitationis disertissimis verbis sic enunciat: „Ipsi domini prepositus et Capitulum concorditer et vno ore responderunt, quod sicuti ipsi scire possunt, Ipsa ecclesia Strigon. fundata fuit per beatum Stephanum Regem Hungarie, qui fungebatur Legacione Sedis Apostolice de latere et fundavit sub vocabulo beate marie virginis et sancti Adalberti, et erexit in metropolitanam, caput, matrem et magistram aliarum ecclesiarum Regni Hungarie, constituens Archiepiscopum in prelatum et caput, Capitulum autem in membra.“ (Fejér X. II. 508.) Ex his ultimis verbis apparet, etiam Capitulum, quod alioquin suapte sequitur, a b. Stephano fundatum fuisse, quod in eadem Visitatione idem Capitulum sic testatur: „Iidem Prepositus et Capitulum concorditer responderunt, Quod sicuti ipsi sciunt et scire possunt, quando dicta ecclesia Strigoniensis fuit fundata per beatum Stephanum Regem in Metropolitanam, eodem tempore etiam ipsum Capitulum fundatum fuit, ut sicuti in capite quo ad dignitatem Archiepiscopalem, ita in membris proporcionabiliter quo ad distinciones fundatum et dotatum est.“ (Ex orig. — Fejér ib. 511, verba haec emisit.)

Cum b. Stephanus omnibus a se fundatis ecclesiis litteras fundationales concesserit,



procul dubio talibus etiam principem hanc Ecclesiam, principalem nempe foundationem suam, providerit. Si tamen earum nec vestigium ullibi appareat, nemo id miretur. Stephanus enim litteras has certe in forma clausa, quemadmodum Monialibus graecis de Valle Vesprimiensi, edidit. Quemadmodum autem litterae hae, Monialibus concessae, clausae servabantur ad tempora usque Colomanni Regis, nec nisi litibus emergentibus a. 1109. apertae fuerunt; (Szerdahelyi Diploma Graecum 36.) sic et litterae Ecclesiae Strigon. concessae, necessitate aperiendi non emergente, clausae servari potuerunt ad tempora Emerici Regis, atque in combustione Ecclesiae Strigon. intra a. 1188—1189. (Nro 140.) incinerari, adeoque sine vola et vestigio perire, quia cum clausae fuerint, transumi non potuerunt. Hinc nec dotem, quam Ecclesiae huic b. Stephanus assignavit, cum omnimoda determinare certitudine valemus, eo minus, cum et Capitulum in visitatione suprafata de dote hac, licet eam e traditione, tunc adhuc per Turcas non interrupta, perbene nosse potuerit, generaliter sic tantum se enunciat: „quod dicta Ecclesia Strigon. fundata fuit per. s. Stephanum primum Regem Hungarorum et per eundem decimis, possessionibus et predijs ac alijs prouentibus plurimis abunde dotata.“ In tardioribus tamen litteris de dote hac vel adminus notabili eius parte per id edocemur, quod de pluribus possessionibus aperte enuncietur, eas Ecclesiae huic a fundatore eius, ergo a s. Stephano, concessas fuisse. Possessiones hae per decursum operis ultro innorescent.

Fundationis annum nullibi comperimus. Anno tamen hoc 999., in quem etiam scriptores, ut Schmitth dicit, (Archiep. Strigon. I. 3.) mire consentiunt, factam fuisse, rerum adiuncta ostendunt.

Tandem praesulem sic fundati Archiepiscopatus initio quidem tamquam Metropolitam, tardius autem, elevata nempe in Archiepiscopatum sede Colocensi, tamquam Primate, eandem semper et aequalem in omnes totius Regni ecclesias potestatem et iurisdictionem exercuisse, aptiori loco edocebimus.

## 8.

999. exeunte. — S. Stephanus Astricum designatum Archiepiscopum Strigon. pro confirmatione novellae Ecclesiae Hung. et obtinenda Corona Regia, Romam oratorem mittit.

Quarto post patris obitum anno, divina commonente clementia eundem Astricum praesulem, qui alio nomine Anastasius dictus est, ad limina sanctorum apostolorum misit, ut a successore sancti Petri principis apostolorum postularet, quo novellae Christianitati, exortae in partibus Pannoniae, largam benedictionem porrigeret, Strigoniensem ecclesiam in metropolim suae subscriptionis auctoritate sanciret et reliquos episcopatus sua benedictione muniret; regio etiam dignaretur ipsum diademate roborare, ut eo fultus honore, coepta per Dei gratiam posset solidius stabilire.

Hartvicus apud Pertz Mon. SS. XI. 233. — Tum proponit, quomodo eodem tempore etiam Misca Polonorum Rex nuncios pro obtinenda corona eo miserit, sed Papa in somno praemonitus, coronam, quae duci Polonorum mittenda erat, Stephano nostro concessit. Visionem hanc legenda s. Stephani maior ignorat, historiam allatae coronae breviter sic propo-

nens; „Divina sic volente clementia, benedictionis apostolicae litteris allatis, praesulibus cum clero, comitibus cum populo laudes congruas acclamantibus, dilectus Deo Stephanus rex appellatur, et unctione crismali perunctus, diademate regalis dignitatis feliciter coronatur.“ (Pertz l. c.) Visionem tamen illam Annales Kamenzenses, sec. XIII. ineuntis, his adnotant: „A. 1000. presidente Sylvestro II. sedi apostolice, Stephanus Rex Ungarie post obitum patris sui Jesse anno quarto misit Adstricum episcopum ad ipsum Sylvestrum pro corona regia petenda. Eodem tempore pro simili negotio premiserat dux Mescio Lambertum episcopum Cracoviensem, sed dominus papa visione monitus angelica coronam, quam duci Mesconi preparaverat, transmisit Stephano Regi Ungarie.“ (Pertz Mon. SS. XIX. 581.) Enarrant porro Annales Cracovienses compilati (Pertz l. c. 586.) et Chronica Mixta sec. XV. (Bielovsky Mon. Poloniae I. 500. Endlicher Mon. Arp. 67.). Hinc Carolus Szabó visionem hanc e Polonicis fontibus Hartvicum hausisse (Vez. kora 439. 2.), Pertz autem sec. XIII. exortam (l. c. 586. 17.) arbitrantur. Quidquid sit, traditionem hanc constanter maiores nostros tenuisse, testantur Ladislaus IV. Rex: „non a se, vel ab alio, sed ab eadem Romana ecclesia, matre omnium et magistra, regni diadema revelatione divina meruit obtinere.“ (Fejér V. II. 508.); tum Chronicae nostrae: „Porro b. Stephanus postquam regiae celsitudinis coronam divinitus est adeptus.“ (Marci Chron. XXIV.; Thuróczi Chron. II. c. 29.). Traditioni huic conformiter, Coronam hanc Stephano datam, in hodiernum usque diem sacram nominamus et veneramur. Büdinger ergo, dum totam hanc Hartvici narrationem reiicit, limites veritatis omnino excedit. (Oester. Gesch. I. 402.)

## 9.

1000. 15. Aug. — Astricus legatione prospero cum successu defunctus, corona secum allata Stephanum Strigonii felici omine cingit.

Praesul Astricus ad papam pervenit, qui officium iniunctum sibi prudenter exequens, et sancti ducis gesta referens ordine, ab apostolica sede quae praemissimum insignia postulavit, indicans eum dignum fore tali honore et dignitate, qui plures gentes per Dei adiutorium sibi subiugasset, et multos infideles per suam potentiam ad Dominum convertisset. Quibus auditis valde gavisus Romanus pontifex, cuncta prout fuerant postulata benigne concessit; crucem insuper anteferendam regi velut in signum apostolatus misit: Ego — inquit — sum apostolicus, ille vero merito Christi apostolus, per quem tantum sibi populum Christus convertit. Quapropter dispositioni eiusdem, prout divina ipsum gratia instruit, ecclesias Dei simul cum populis utroque iure ordinandas reliquimus. Impetratis ergo omnibus prout petiit, praesul Astricus laetus ad propria remeavit, secum ferens propter quae inceptum iter prospere peregerat. — Tum verbis legendae maioris, quibus haec addidit, ita concludit: Benedictio- nis ergo apostolicae litteris cum corona et cruce simul allatis, praesulibus cum clero, comitibus cum populo laudes congruas acclamantibus, dilectus Deo Ste-

phanus rex appellatur, et unctione crismali perunctus diademate regalis dignitatis feliciter coronatur.

Hartvicus ap. Pertz Mon. SS. XI. 233. — Litterae quoque Sylvestri PP. II., quas Astricus Stephano pertulit, haec ita comprobant: „Idcirco et nos, singulari insuper privilegio Excellentiam tuam, tuorumque meritorum intuitu, Haeredes ac successores tuos legitimos, — — — nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes, ut, postquam Tu et illi Corona, quam mittimus, rite iuxta formulam Legatis tuis traditam, coronatus, vel coronati extiteritis: Crucem ante Te, Apostolatus Insigne, gestare facere possis et valeas, atqui illi possint valeantque; et secundum quod Divina Gratia Te et illos docuerit, Ecclesias Regni tui, praesentes et futuras, nostra ac successorum nostrorum vice, disponere atque ordinare, Apostolica autoritate similiter concessimus.“ (Fejér I. 277.) Astricus ergo non tantum coronam, sed, quod inauditum illucis-que erat, etiam officium Legationis de latere Stephano procuravit; crucis enim, quam attulit „omnis modus, figura et reliqua, per se loquuntur, esse Apostolicam, et earum simillimam, quae Legatis Romani Pontificis consuevit praeferri. — — Eius effigies, quae in vetustissimis regum nostrorum ceris spectatur, — — cruci, quae Legatis Romani Pontificis praeferri solet, est simillima. (Kollár Hist. Juris Patr. Vind. 1762. 42. 41.) Stephanum officio legationis reipsa usum fuisse, sic ipse testatur: „Et sicut habui potestatem, ut ubicunque vel in quocunque loco vellem, Ecclesias aut monasteria construerem; ita nihilominus a Romanae sedis supremo Pontifice habui auctoritatem, ut quibus vellem Ecclesiis seu monasteriis libertates et dignitates conferrem.“ (In litt. Bakonybél. a. 1037. Fejér I. 328.) Testatur etiam Bela IV. Rex, haec Gregorio PP. IX. scribens: „Petimus, ut officium Legationis non alii, sed nobis in terra Assani committatur, ut habeamus potestatem limitandi dioceses, distinguendi Parochias, et in hac prima institutione potestatem habeamus ibi ponendi Episcopos, de consilio praelatorum et virorum religiosorum; quia haec omnia beatae memoriae antecessori nostro s. Stephano, sunt concessa.“ Et in signum huius potestatis „Crucem sibi et suo exercitui anteferendam petit. (Fejér IV. I. 113.) Visitatio autem Capituli Strigon. a. 1397. clare edicit, quod Stephanus „fungebatur Legatione sedis apostolice de latere.“ (Fejér X. II. 519.) Idem tandem Leo PP. X. testatur, dum a. 1514. haec scribit: „B. Stephanus, primus Regni Hung. Christianus Rex, qui munere Legationis de latere functus fuisse dicitur.“ (Czinár Monast. I. 45.) — His sic ultra spem prospere peractis, Astricus, „presul — ut Chron. Mixta habet — Strigoniensis ecclesie,“ postquam in Episcopum consecratus (prout Callesius Annal. Eccl. Germ. IV. 722. et Desericius Init. Hung. V. 78. ac Fuxhoffer Monast. I. 67. recte combinarunt) et pallio Archiepiscopali insignitus fuisset, (Szabó Vez. kora 440.) „ut fidelis nuntius — prosequitur Chron. Mixta — ab apostolica sede accepta benedictione, a cardinalibus et curialibus romanae curiae petita licentia, laetus et exultans Ungariam veloci cursu properavit. — — — Nuntius Polonorum (qui coronam Romae obtinere non valuit) ad regem Ungarorum Stephanum pervenire cupiens, invenit nuntium Ungarorum in Venetiis civitate, quae supra mare posita est. — — Cum autem essent ad unum diem prope Albam civitatem, nuntium ante se praemisissent, et adventum suum felicem regi nuntiaverunt. Quibus rex obviam cum episcopis et clericis populisque multis congregatis exiit, eosque gloriose et honorifice suscepit. Cum vero ab oratione surrexissent, coram omni populo, quomodo Deus miraculose cum eis operatus esset, enarraverunt ad laudem et gloriam nominis sui. Ungarorum autem nuntius diadema regni coronamque auro et lapidibus pretiosis fabricatam, crucemque pro sceptro ante ferendam in modum



apostolatus pariterque cum confirmatione privilegiorum obtulit. — — Post haec autem s. Dei genitricis, semperque virginis Mariae incipitur officium: Salve sancta parens, enixa puerpera regem; infra missam vero rex oleo sacro inungitur et coronatur. Post missam vero osculum pacis omnibus praebet, alii vero manum sacram et annulum sacrum salutant, et benedictionem de ipso recipiunt. Quo finito praesul cum clero, milites cum populo kyrie eleison cum laudibus congruis proclamant, Deum omnipotentem et s. apostolos Petrum et Paulum benedicunt, quod sanctus et Deo dilectus Stephanus ex unctione sacri crismatis perunctus diademate regalis dignitatis feliciter coronatus est. Post haec autem regiam aulam introivit, epulis discumbunt et sic cum gaudio et laetitia laetum duxerunt diem." (Bielovsky Mon. Pol. I. 503. 504. Endlicher Mon. Arp. 69. 70.) — Male Chronica haec coronationem Albae peractam asserit; Stephanum enim Strigonii natum, baptizatum et coronatum fuisse, Ladislaus IV. Rex his verbis affirmat: „Quum ipsa Sedes Strigoniensis sanctissimi patris et domini nostri s. Stephani regis, ortu per proto-martirem prenunciato, decorata et sacro baptismo eiusdem sublimata, regalisque nostri diadematis impositione extitit redimita." (V. ad a. 1274). — Diem eius inaugurationis assumptae in coelos virgini sacrum fuisse, vetus Hungarorum traditio, quam antiquissima breviaria testantur, docet. (Pray Diss. de dextra s. Steph. Vind. 1771. 134. "); Katona Hist. Crit. I. 56.) — Ritus coronationis Desericius per longum et latum iuxta modernum pro lubitu suo depingit, eumque a legato Pontificio adiuvante illum Dominico, ut illi videtur, Strigon. Metropolita, peractum existimat. (Init. Hung. V. 84.) Fuxhoffer econtra Stephanum ab Astrico, licet Colocensi Episcopo coronatum, neque per hoc iuribus Metropolitanis, ut illi quidem placet, Sebastiani, quidpiam derogatum fuisse diversis argutiis contendit. (Monast. I. 68.) Non his et similibus argutiis opus est. Astricus enim coronavit, quia metropolita erat Ecclesiae Hung. in eoque, non autem, ut Fuxhoffer l. c. vult, in Sebastiano, natum fuit primae in Hungaria sedi ius coronandi Reges, quod illibatum per tot secula ad dies usque nostros sedi huic servatum est.

## 10.

1000. exeunte. — Astricus Archiepiscopus Strigon., a s. Stephano in Poloniam missus, cum Duce Poloniae Strigonium revertitur, ibique in Ecclesia cathedrali post sacra ab Astrico peracta Stephanus cum Duce eodem pacem et amicitiam pangit.

Tribus vero post coronationis suae (Stephani) mensibus elapsis, accedens ad ipsum Lambertus praesul civitatis Cracoviae licentiam petiit, atque de corroboratione pacis et amicitiae ad memoriam reduxit; cum quo sine mora praesulem Strigoniae Astricum et principem militiae, Albam nomine, ad avunculum suum Meschonem ducem Poloniae transmisit, rogans ipsum, ut cum magnatibus suis in terminis Ungariae et Poloniae conveniret. Qui congregato omni exercitu suo, ad regem ante Strigonium venit, ibique in terminis Poloniae et Ungariae tentoria sua fixit; nam termini Polonorum ad litus Danubii ad civitatem Strigoniensem terminabantur. — — Crastina autem die, orto iam sole, convenerunt simul et osculum pacis acceperunt, simulque complexis mani-

bus ad cathedralem ecclesiam Strigoniensem, quae tunc in honorem sancti Martyris Adalberti, Polonorum et Ungarorum apostoli, novo opere fabricabatur, pervenerunt; summo vero pontifice (idest Astrico) ad officium missae induto, cum ministris sacri altaris aliisque, pontificalibus cappis et infulis ornatis, ut stellis in coelo nitentibus fulgebant, regeque Stephano ornatu sacro vestito, et diademate regio coronato, ut sole inter stellas praefulgenti, post sacram processionem gradienti, super omnem populum ab humero et sursum eminenti. Facta autem processione verbum Dei praedicant, privilegia sanctae romanae curiae aperiunt, audiente omni populo distincte legunt, utrique populo pacem et amicitiam corroboratam edicunt. Placuit omnibus et iuramento propriis manibus confirmaverunt. Post officium sanctae Trinitatis incipitur: benedicta sit s. Trinitas; hostia vero sacra pro rege et principe et pro cuncto populo per praesulem Astricum offertur; pace accepta, missa finita, ad tentoria sua redeunt, ibique in gaudio et laetitia, epulis et potibus, in chordis et organis, in tympanis et choris, in cytharis et phialis laetos 8 duxerunt dies.

Chronica Mixta. Bielovsky 504. 505. — Bene chronica haec Mixta vocatur, miscet enim heic quadrata rotundis. Nam tempore hoc non Mescó, sed Boleslaus, dictus Chrabry (Dudík l. c. II. 97.) dux erat Polonorum; nec Stephanus, verum s. Ladislaus Rex „ceteris hominibus ab humero supra praeminabat,“ ut legenda eius asserit. (Endlicher Mon. Arpad. 237.) Quid autem de finibus Poloniae, quos Strigonium usque extendit, dicamus? Numquid metropolis Hungariae in ipsissimo fine Regni constituta fuisset? Caeterum viderint absurdam hanc assertionem Palacky et Dudík, qui, ut Nro. 3. observavimus, Moraviae fines pariter Strigonium usque extendunt. Produximus tamen verba haec, quia quae de cathedrali Ecclesia dicunt, vera esse videntur.

---

## 11.

1007. 1. Nov. — Astricus Strigon. Archiepiscopus synodo Francofordiensi interest et erectum ab Henrico II. imperatore Episcopatum Bambergensem approbat et subscribit.

Anastasius Ungorum archiepiscopus interfui et ss. (subscripsi).

Pertz Mon. SS. IV. 796. — Fejér VII. IV. 38.

---

## 12.

1012. — Astricus Archiepiscopus Strigon. occasione sollemnis inaugurationis Ecclesiae cathedralis Bambergensis, altare ante cryptam consecrat.

Altare ante cryptam consecravit Aschericus Ungarorum Archiepiscopus in honorem sanctorum confessorum Hylarii Remigy Vedasti. Reliquie autem in eo

dem sunt posite sanctorum Hilarii, Remigy, Germani, Vedasti, Amandi, Vindemialis, Columbani, Macharii monachi, Medardi, Bertini, Briccii, Ragnulfi, Leudegarii, de sepulchro Domini.

Annal. Babenberg. Pertz Mon. SS. XVII. 636.

---

13.

1015. — Sanctus Stephanus Rex decrevit, ut monasterii Ordinis s. Benedicti de Pécsvár ad „abbas generali tantum et solenni duntaxat Synodo Strigoniensis Archiepiscopi interesse teneatur;“ ac „populum de spiritualibus instruendum et iudicandum tantum Strigon. Archiepiscopo et Abbati“ comisit.

Fejér Cod. dipl. I. 300, et III. II. 123.

---

14.

1019. — S. Stephanus Rex Abbatiam de Szala fundat et dotat.

In nomine domini Dei supremi sancte (sic loco: Stephanus) superna providente clementia Hungarorum Rex, credimus et vere scimus, quod si locis, diuino cultui mancipatis, possessiones atque honores adaugmentauerimus, id non solum laude humana predicandum, verum diuina mente remunerandum. Quocirca omnium sancte dei ecclesie fidelium nostrorum, quam presentium atque futurorum, solers comperiat Intencio, quod nos diuino Instinctu fundauimus Monasterium in Insula Saladiensis, ordinis sancti Benedicti, quod anno ab Incarnatione domini Millesimo decimo nono per dei subsidium ob anime nostre remedium pro stabilitate Regni nostri, ad finem perduximus. In quo iussu nostro dedicata est ecclesia beati Adrianj, que est in Zala, simul cum duabus Capellis, una, que est in honorem sancti Georgij, altera que est in honore sancti Laurencij, a duobus Episcopis Modesto et Boniperto, ubi ordinauimus Abbatem Latinum, nomine petrum, conferendo eidem potestatem, ut in diocesi Capellarum antedictarum processu temporis, quod necesse est fieri, plures Capelle possint edificari, Que tamen ad iam nominatas Capellas tenebuntur habere respectum. Contulimus etiam eidem auctoritate apostolica nobis annuente, ut in precipuis solemnitatibus ornamenti pontificalibus vterentur. Condonauimus etiam, ut Capellas sacerdotibus possint Inuestire, et dedimus sancto Adriano ad seruiendum predia, decimas et piscinas, quorum nomina hec sunt: . . . <sup>1)</sup> cum ecclesia sancti Adrianj. Rada, Stri-

---

1) Hiatus hunc Piter supplet voce: Tisciam.



gar, Salauar, Chad, Borwl, Crudy, Nymik, Bessennyew, Fyzek cum duodecim aratris, et etiam dedimus peddyctas (sic loco: redditus) forij Chan, Chorgow et redditus Coloniensis Aquae et pontis ciuitatis et decima equorum nostrorum in Insula, que vocatur Chepel, In poledris et ducentas wlnas de subtili panno pro Indumentis fratribus de Camera nostra. Ville decimarum hee sunt: Pobon, Kerbew, Zewlews, Kusthan, Mand, deWechar, Egrws, Phch (sic) Kezthel, Koronthal, Maraws, Hidwegh, Magyarad, Schoc, Kolon, Komar, Galambak, Chapy, Zitholcz, Byskvj, Bolvmpnam, Kecze, Merenye, Karos, Zobor, Gobor, Orozthon, Vngh, Kerechen, Gelse, Rayk, Bisquin, Pacha, ygricze, Radwh, Geztred, Sclauonica Rokolian, Hungarica Rokolian, Lengeyel, Gethye, Pisceca, horuath isabbor, Kal, Palkonya, Antha, et ne ipsius parochianis <sup>1)</sup> Iniurias, querimoniasue in Collectione decimationis predictarum villarum pateretur, sibi alios terminos decimationis assignando contulimus, quod si ipse contra nostra statuta, quod absit, inique agere, vel querere voluerit, ante Deum Iudicem viuorum et mortuorum In die Iudicij se contendere nobiscum sciat; sit idipsum Monasterium ab omni Inquietudine semotum; precipimus etiam sub testificatione domini nostri Jesu xpi., vt nullus potentum, vel aliquis magnus siue paruus de Iam dicto monasterio aliquomodo Intromittere In mancipis, terris, vineis, decimationibus, piscatione, apes plancis (sic) <sup>2)</sup> sine consensu eiusdem abbatis audeat vel presumat. Piscine autem hee sunt: alba piscina cum quinquaginta piscatoribus in villa Pograd, alie minores piscine Modocha pro. . <sup>3)</sup>, piscina Ciuitatis Juxta Draawam in Golsa cum duodecim piscatoribus et In Insula, Item In Draawa duodecim libras Cere et duodecim pelles vulpinas et Trecentas pelles spiriolorum. <sup>4)</sup> Si quis autem potens voluerit auferre uel destruere de hoc, quod nos sanctus (pro Stephanus) Rex dedimus sancto adriano, Ira dej et nostra sit contra illum et Componat quinquaginta libras aurj optimj, medium Camere nostre, ac medium prefato Monasterio suisque Rectoribus, maledictionis perpetui vinculo eternaliter feriantur. Et vt verius credatur, hanc paginam sigillo nostro autentico Corrigie appensione Jussimus sigillari.

E simplici copia Conuentus de Kapornak a. 1514. In Arch. Primat. sec. Lad. U. Nr. 172. — Piter Vita s. Guntheri p. 162.; Pray Annales Reg. Hung. I. 29.; Kollár Hist. Dipl. Jur. Patr. p. 84. — Koller Hist. Episc. Quinqueecl. I. 81. — Katona Hist. Crit. I. 247. — Czinár Monast. I. 188. — Fejér Cod. dipl. I. 304. — Gebhard (Gesch. Ungr. 430.) diplomatis authenticam ob appensionem sigilli in corrigia, quod ante sec. 13. moris non fuisse putauit, in dubium vocat; ast Pray (Syntagma de sigillis 47) pluribus exemplis corrigias has iam sec. X. in usu fuisse ostendit.

1) Piter: Episcopus Parochianus.

2) Piter: agris, placitis

3) Idem: Vzonibus.

4) Idem: Spinolorum.

## 15.

Ca. 1028—30. — Arnoldus monachus Ratisponensis Strigonium ad Astricum Archiepiscopum venit.

Erat quaedam necessitas, pro qua in Pannoniam me direxerat meus abbas. Cumque periclitarer sepius in profundis Danubii decursibus, apud Pogicam caribdin, ubi esse videtur mortis hospicium, maximum experiebar periculum. — — Tum cursu prosperato tertia die advehebar Pannoniae solo. Qua me Anastasius archiepiscopus ceteris suscepit humanius et affatur familiaris. Is cum beati Emmerammi veterem illum et viciatum legeret librum, materiam probavit cum sententiis; sed harum seriem cum veste reprehendit pondere rationis. Apud quem sex ebdomadas manens, memoriae sanctissimi patroni antiphonas aliquantas cum responsoriis composui, non tam fretus ingenio, quam dedito laudibus martiris animo. Has prefatus episcopus (sic) monachos et clericos suos fecit discere et in ecclesia die ipsius natali publice celebrare, secundum quod scriptum est: Recedant vetera de ore vestro, deponens veterem illius cantum, quem nostri potius cantant ex antiquitatis usu, quam ullo auctoritatis ausu.

Arnoldus de s. Emmerammo. Pertz SS. IV. 347. — Petz Thesaurus Anecd. IV. 6. — Canisius III. 91. — Katona Hist. AEpisc. Coloc. I. 153. et Hist. Crit. I. 423. — Hormayr Archiv 1827. 606. — Fejér Cod. dipl. VII. IV. 43.

## 16.

1035. — S. Stephanus leges in comitiis latas Strigonii promulgat.

Explicit decretum s. Stephani regis promulgatum Strigonii a. 1035.

Sic habet epilogus legum harum, quae in Corp. Juris Hung. Decretorum s. Stephani Libri secundi nomine veniunt. Natalem decreti locum alii Tolnam statuunt, annum vero 1016. Promulgatas tamen Strigonii fuisse, omnes consentiunt. (Katona Hist. Crit. I. 203. 239.)

## 17.

Ca. 1036. 12. Nov. — Astricus Archiepiscopus Strigon. in fama sanctitatis obiit.

Strigoniae in Hungaria depositio sancti Anastasii Episcopi et Confessoris, magnae sanctitatis viri.

Sic habet Martyrologium Benedictinum ad diem hunc. (Mabillon Acta SS. l. c. 68.) Hugo Menardus autem in Martyrologio SS. Ord. Ben. Paris. 1629. ad 12. Nov. haec scri-

bit: „S. Anastasius, fuit primo Abbas Breunov. a. s. Adalberto Mart. constitutus, postea Episcopus Strigon. in Hung.“ — Quoad annum emortualem scriptores non conveniunt. Sic Mabillon (l. c. et Annal IV. 191.) paulo post concilium Francofordiense, cui a 1007. subscripsit, mortuum putat. Inchoffer (Annal. 353.) a. 1034., tum mutata sententia a. 1044. decessisse scribit. Timon in sua Epitome Chron. opinatus est eum iam a. 1004. demigrasse, (Acta Sanct. Hung. I. Append. 86.) ast in editione Claudiopolitana a. 1764. illum ad a. 1014. adhuc commemorat. Bucelinus (Menologium Ben. 891.) paulo post reditum Colocam obiisse, alibi autem (Annal. Ben. I. 215.) illum ad a. 1029 iterum commemorat. Spangár a. 1035., alibi 1034. aut 1046. (Krónika IV. 117. 134); Tarnóczi autem (Indicia Sanct. 48) et qui eum sequitur Katona (Hist. Crit. I. 423. 693.) a. 1034. decessisse scribunt. Cui horum magis credendum, deficientibus fontibus determinare non valemus. Certum tantummodo est, eum nec ante a. 1028., quo Arnoldum liberaliter excepit, (vide Nrum. 15) vivere desiisse; nec ultra a. 1037., quo iam successor ecclesiam rexit, vitam produxisse. Inchoffer illum pag. 354 septuagenario non minorem, tum seipsum corrigens, pag. 382. prope nonagenarium fuisse asserit. Et revera si ea, quae de Adalberti aetate superius relata sunt, expendimus, octvagenario maior, aut plane nonagenarius fuerit. — Dubravius (Hist. 156.) illum tantae sanctitatis et virtutis virum nominat „ut mortuum discipulum precibus suis a morte excitaverit.“ Inchoffer etiam e manuscriptis antiquis — ut ipse in Additamentis affirmat — mortem eius describens, haec adiicit: „Funus honorifice, ut debebat elatum, omniumque ordinum concursu in sua Ecclesia depositum, post paucos annos, ut in loco dicemus (nullibi tamen dicit) meritis et virtutibus commendantibus, publicae ad aras religioni locum fecit.“ Hinc Astrico titulus Sancti, ut vidimus, passim adscribitur, quem tamen — ut bene Katona (Hist. Eccl. Coloc. I. 145.) et iisdem plane verbis Fejér (Init. Rel. 112.) observant, Ecclesiae iudicio nusquam ei decretum et approbatum fuisse legimus.

Quanti apud s. Regem nostrum Stephanum fuerit, ac quantopere is prudentiae eius, agendique dexteritati confiderit, inde vel maxime apparet, quod legationis romanae, in cuius prospera executione stabilitas et independentia Regni quam maxime tunc posita erat, onus humeris Astrici nostri imposuerit; dignior certe Adalberto et omnibus aliis, cui, cum post s. Regem Stephanum omnium maxime conversioni gentis nostrae insudaverit, titulum Apostoli Hungariae impertiamur.



## II.

## DOMINICUS.

1037.

Memoria huius unica solum vice in Diplomate s. Stephani Abbatiae de Bakonybél a. 1037. dato, sic occurrit: „Existentibus Hungariae Primatibus: Dominico Archi-Episcopo, Modesto Episcopo, Urzyo, Chunzio, Tomoyno Comitibus.“ Dein post Monogramma Regis: „Dominicus Archiepiscopus Vice Cancellarius Pater est.“ <sup>1)</sup> Katona Dominicum hunc eundem cum Dominico praetensivo primo Archiepiscopo esse putat, quia autem Dominicum hunc primum, ut vidimus, eundem pariter fuisse cum Sebastiano contendit; sub tribus his unum eundemque Archiepiscopum latere dicit. <sup>2)</sup> Hanc opinionem nequaquam sustineri posse, supra iam ostendimus. — Dominicum tamen hunc reipsa distinguendum esse a Dominico vicecancellario, bene Mátyás observat. <sup>3)</sup> Dominicus enim noster in epilogo praecitati diplomatis primum inter Magnates Regni locum occupat, fuit ergo extra omne dubium Archi-Episcopus Strigon., cui primus hic locus semper tribuitur; alter autem Dominicus, quia munere Vicecancellarii cum dignitate Archiepiscopi Strigon., ut vidimus, incompatibili functus est; alius a nostro Dominico, et quidem idem fuerit, qui iam a. 1001. ut vicecancellarius comparet.

Reliqua omnia, quae Schmitthius <sup>4)</sup> de Dominico hoc profert: quod nempe mortuo s. Stephano Basilicam Albensem prius sacraverit, ac lugubres dein sanctissimi Regis exsequias peregerit; quod Petrum Regio diademate incinxerit; quod tandem profligato Aba Rege, ab Hungaris veteri superstitione captis obtruncatus fuerit; tantum adiunctis conformiter enarrata sunt, quin historico quopiam fundamento inniterentur; Dominicus enim praeter diploma allatum nullibi memoratur.

---

1) Fejér I. 330.

2) Hist. Crit. I. 122.

3) L. c. 12.

4) Archiep. Strig. I. 24 — 25.

## 18.

1037. — Sanctus Stephanus Rex de Abbate Monasterii s. Mauritii Ordinis s. Benedicti per ipsum fundati statuit, ut „nullius Episcopi subiaceat potestati, nisi Strigoniensis tantummodo Archiepiscopi generali assistat Synodo, vt ibi salutaria monita audiendo, se suosque subiectos valeat salubriter instruere.“

Katona Hist. Crit. Regum Hung. I. 444., — Fejér Cod. dipl. I. 329; IV. 1. 412.

## 19.

. . . . . S. Stephanus Rex hospitale Cruciferorum S. Lazari Strigonii fundat.

Ordo s. Lazari, teste Francisco Quaresmio (Hist. Terrae Sanctae Elucidatio I. 656. 660). longe aute expeditiones cruciatae a d. Basilio conditus fuit; nemo ergo miretur, primum fors in Hungaria hospitale Cruciferis his a s. Stephano concreditum fuisse, quod Chronicon Poseniense probat, dum de filiis septem ex infelici ad Augustam Vindelicorum pugna reuersorum hungarorum haec adnotat: „Qui Zentlazar usque modo Zegini nuncupantur. Et he sic vocate, quod sanctus rex Stephanus omnes illicite procedentes corripbat, istorum generationes vidit per domos et tabernas cantare, ad ipsorum sectas et truffas voluit edoceri, qui per singula qualiter eorum patribus per communitatem acciderat, enarrauerunt. Sed beatus Stephanus considerans, quod sine capite et principe nemo bonus extitit, ideo eis commisit, ut ad subiectionem cruciferorum sancti Lazari de Strigonia subdere se teneantur et ideo vocantur Zant lasarzygini,“ seu Szent Lázár szegényei idest pauperes s. Lazari. Pray, e cuius Mscriptis Toldy Chronicon hoc edidit, pag. 25. loco cruciferorum legit: aversorum; sed nos vocem hanc ex ipso originali, licet recte in voce hac nimis difficulter legibili, correximus.

## III.

## BENEDICTUS I. ALIAS BENETA.

1046. Sept. — 1055.

Hunc Nicolaus Schmitth ac ceteri, qui Catalogos Strigon. Archiepiscoporum contexuerunt, usque Georgium Pray ignorarunt. Et Schmitthius quidem post Dominicum Nehemiam posuit eo, quod apud Péterffy legatur: „Constitutiones Ecclesiasticae sub Andrea I. Rege et Nehemia Archiepiscopo Strigon. editae circa a. 1048.“<sup>1)</sup> porro quod manuscripta quaedam de a. 1049. ab eodem Nehemia terram Luchen emptam fuisse perhibeant.<sup>2)</sup> Sed cum Péterffy nullum fontem indicet, inscriptio illa fidem non meretur; terram autem Luchen anno tantum 1251. comparatam suo loco videbimus et Nehemias ad a. 1048. tempus vehementer occuparet.<sup>3)</sup>

Benedictus hic diplomati Andreae I. Regis a. 1055., quo Abbatiam de Tihany fundat, primus omnium sic subscriptus legitur: † Signum Benedicti Archi-Episcopi.<sup>4)</sup> Eo tempore in Hungaria nullus praeter Strigoniensem Archiepiscopus erat, igitur hunc fuisse oportet.

Cuius antea Ecclesiae praefuerit, certo non liquet. Katona<sup>5)</sup> Podhradczky<sup>6)</sup> et Schmitth<sup>7)</sup> eundem cum Beneta arbitrantur, quem primi duo Episcopum Colocensem, Schmitth autem post Szörényium Vesprimiensem suspicantur. Eundem cum Beneta fuisse, analogia nominis sat clare ostendit. Podhradczky illum alias Benitum, Ponetum vocat. Benetae huius Legenda s. Gerardi hic meminit: Audito Andreae Regis adventu „s. Gerhardus, Beztrides, Budi, Beneta (episcopi) et Zonug comes, qui convenerant ad Albam Regalem cum maxima multitudine Christianorum, egressi sunt de Alba versus Budam, ut Endre et Leventhe honorifice susciperent, cumque praedicti episcopi festinanter venissent ad locum, qui dicitur Dyod (hodie praedium Diós in Comitatu Albensi ad Tétény) in Ecclesia s. Sabinae s. Gerhardus missam celebravit et exhortationis gratia de fide cath. premioque vite eterne solemnem sermonem populo assistenti fecit;

1) Archiep. Strig. I. 26.

2) Conc. eccl. Hung. I. 11.

3) Pray Hier. I. 159; Mem. Basil. 47.

4) Fejér I. 393.

5) Hist. Crit. I. 697. II. 116.

6) Chron. Bud. 96. 7).

7) Episc. Agr. I. 22.



in fine autem sermonis in lacrimas prorumpens, sic ait: Fratres et coepiscopi mei et omnes alii fideles, qui adestis, scitote nos hodie ad Dominum nostrum Jesum Christum cum corona Martirii in eterna gaudia perventuros; ego enim notum facio vobis archanum Dei, quod mihi in hac nocte revelatum est: vidi enim Dominum nostrum J. Christum in gremio sanctissime matris sue virginis Marie sedentem, nobisque ad se vocatis, de manu sua corporis et sanguinis sui ewkaristiam porrexit. Beneta vero episcopus cum ad eum accessisset, retraxit ewkaristiam Jesus Christus, unde ipse hodie consorcio Martirii nostri privabitur... Cum autem ad portum Pest venissent<sup>1)</sup>, Gerardus a seditiosis occiditur, „Budi quoque Episcopus lapidibus obrutus transiit ad gloriam. Bistridus autem episcopus vulneratus est ad mortem, qui tercio die migravit a seculo. Beneta vero episcopus per Endre ducem liberatus est. Zonuc quoque comes praeter Beneta cum omni multitudine et familia episcoporum interfecti sunt... Sicque propheta s. Gerardi completa est.“<sup>2)</sup> Chronicae patriae Benedictum nostrum sic mortem evasisse scribunt: „Beztricus autem et Beneta cum transissent Danubium navigio ad Endre et Levente, haeretici (cultui deorum addicti) qui in ulteriore littore erant, Beztricum Episcopum vulneraverunt, qui tertia die postmodum mortuus est. Endre autem Dux interim superveniens, Benetam Episcopum a manibus eorum liberavit, et sic propheta s. Gerardi inpleta est; omnes enim praeter Benetam martyrizati sunt.“<sup>3)</sup>

Cum haec episcoporum caedes 24. Sept. a. 1046. patrata fuerit, <sup>3)</sup> Benedictus noster paulo post ab Andrea Archiepiscopus Strigon. nominatus fuerit.

---

1) Batthyányi S. Ger. Scripta et Acta 348—351.

2) Marci Chron. pag. XLVIII. Thuróczi Chron. II. cap. XL. — Chron. Bud. 97.

3) Katona Hist. Crit. II. 7. 23. 25.

## 20.

1047. 15. Dec. — Benedictus Archiepiscopus Strigon. Andream Albae coronat.

Porro Dux Andreas a perturbationibus hostium securus effectus, in Regia Civitate Alba regalem coronam est adeptus, a tribus tantum Episcopis, qui in illa magna strage Christianorum evaserant. Coronatus est a. d. 1047.

Marci Chron. pag. XLIX. — Thuróczi Chron. II. c. XLII. — Tempus coronationis determinat Katona Hist. Crit. II. 31. — Cum tres episcopi caesi, tres autem coronationi interfuerint; „ex undecim sedibus episcopalibus, quas s. Stephanus erexit, quinque turbulentis illis temporibus vacaverint“ (Katona l. c. 35.), aut Praesules illorum alibi sublati fuerint. Cum autem Benedictum nostrum Andreas ipse liberaverit, certe hic coronationem peregit.

## 21.

1051. ineunte autumnō — Bretislaus dux Bohemiae Hungariam Strigonium usque depopulatur.

Maioribus peditum equitumque copiis ex Bohemia accitis se firmans Bretislaus, Pannoniam, seditionibus domesticis perturbatam, ingreditur et quantum inter flumina Vagum et Danubium spatii fuit, plana loca omnia populatur. Veniensque ad Danubii ripam e regione Strigonii, ibi demum turmas Hungarorum et cohortes, sed in altera ripa, conspicatur. Neutris ad traiciendum lincium copia praesto fuit, itaque vano invicem terrore aliquandiu se deterrentes, post retro pedem utrique ferre: Ac Bretislaus quidem cum tanta praeda, ut et militi ex illa, et architectis atque operis, a quibus Monasterium Regradense in Moravia aedificandum conductum erat, satis fieret.

Dubravius Hist. Boh. I. VII. p. 180. — Cosmas Pragensis brevius sic: „A. dom. inc. 1030. Dux Brzeccislaus magna caede prostravit Vngaros et terram eorum usque ad urbem Strigoniam devastavit.“ Annus tamen male apponitur. Bretislaus hic Henrici Imperatoris, hoc anno Hungariam hostiliter ingressi, confoederatus fuerit. (Katona Hist. Crit. II. 61.)

## 22.

Ca. 1050 — 1052. „Andrássi Josa quum Andraeae I. signa contra Henricum III. sequeretur, non praecul Strigonio . . occubuit.“

Katona Hist. Crit. VI. in dedic. — Fejér Cod. dipl. VII. III. 12.

## IV.

## DESIDERIUS VULGO DERSY.

Ca. 1067. usque circ. 1075.

Cuius antea Episcopatus Praesulem egerit, non liquet. Anno circ. 1064. in Chronicis nostris sic celebratur: „Rex autem Salomon, tamquam novus et necdum in regno roboratus, timens ne forte Geysa cum exercitu Polonico super eum irrueret, paulisper retrocessit cum suis, et in castro Musun munitissimo tuta statione resedit. Porro Episcopi et alii viri religiosi instanter satagebant inter eos pacem componere, maxime autem Desiderius Episcopus delinitivis ammonitionibus et dulcibus allocutionibus suis mitigavit animum Geysae Ducis, ut Salomoni, quamvis iuniori, regnum cum pace redderet et ipse ducatum, quem pater eius prius habuerat, pacifice teneret, cuius salubribus persvasionibus Geysa, deposito rancore paruit.“ (Marci Chron. pag. LVII. Thuróczy II. c. 47. Chron. Bud. 123.) De Desiderio hoc Katona (Hist. Eccl. Coloc. I. 159) haec observat: „Existimabam antea hunc Desiderium Jaurinensem episcopum fuisse; quum Turoczius eius sedem non exprimat et Jaurini pacem firmatam fuisse dicat. At Desiderium, nisi duo huius nominis Episcopi hoc seculo fuerint, Colocensem fuisse, regum diplomata docent.“ Duos omnino huius nominis episcopos fuisse, Desideriumque hunc a Desiderio Colocensi distinguendum esse, Nro 24. docebimus. — Ut Archiepiscopus in litteris fundationalibus Abbatiae de Zazty ca. 1067. occurrit, in quibus testes foundationis nominantur: „Rex Salamon, Dux Magnus (Gyejesa), Dux Ladizlaus, Archiepiscopus Dersy — —.“ (Wenzel I. 27). — Pray (Diatribae 66), Katona (Hist. Crit. II. 222. et Hist. Eccl. Coloc. I. 160), ac Fejér (VII. I. 120) Dersfy legerunt; sed nobis praeferenda videtur lectio Czechiana, quam Wenzel exhibet. — Pray (Hierarchia II. 4) in hoc Desiderium Episcopum Colocensem latere, et in Archiepiscopo mendum cubare existimat, sed coniecturam hanc refellit Katona (l. c.) et illum sedi Strigoniensi vindicat; erronee tamen a Desiderio, cuius nunc mentionem fecimus, distinguit, et Desiderium illum Colocensem fuisse Episcopum arbitratur. Fejér (VII. II. 264) Desiderium vulgo Derfi appellat, ac a. 1057—1067 Archiepiscopatui praefuisse dicit, sed non docet, neque docere potuit, cum usque a. 1067. ut Archiepiscopus nullibi compareat. Vitam, ut videbimus, ad a. usque 1074. produxit.



## 23.

1073. — Rex Salamon cum duce Gyejesa in Insula Strigon. pacis negotia tractant.

Post haec collectis exercitibus, nunciis frequenter missis, tandem Rex et Dux venerunt Strigonium, ibique ex conducto utrique eorum tantum cum octo hominibus inter Episcopos et principes navigaverunt in insulam civitati proximam ad colloquendum, ubi diu semet ipsos incusantes et excusantes, tandem, roborato foedere pacis, Geysa rediit in Ducatum, Rex autem venit in Albam.

Marci Chron. p. LXV. — Thuróczi Chron. II. c. 52. — Katona Hist. Crit. II. 255.

## 24.

1074. 25. Dec. — Desiderius Archiepiscopus Gyejesam Regem, ut Salamoni Regi reconcilietur regnumque ei restituat, gravissima exhortatione persvadet.

Rex autem Magnus (Gyejesa) eo tempore natale Domini in Zugzard celebravit, quo petente Archiepiscopus Desiderius sollempnem missam celebravit et sermone lucidissimo animum Regis delinivit et ad bonum pacis inclinavit. Celebrataque missa, omnibus rite peractis, praecepit Rex, ut omnes egrederentur, praeter Episcopos et Abbates. Tunc Rex cum lacrimis prostratus est Archiepiscopo et aliis ecclesiasticis personis seu Praelatis, dicebat se peccasse, quia regnum legitime coronati Regis occupaverat, promisitque Regnum redditurum Salamoni, cum pace firma hoc modo: quod ipse coronam iure teneret, cum tertia tamen parte regni, quae ducatu appropriata erat, Salamon quoque duas partes Regni coronatus teneret, quas prius detinebat. Episcopi vero laetas Deo gratias egerunt, quia Regem spiritus sancti gratia, visitatione, compunctum et illustratum esse videbant. Tunc Rex Magnus missis nunciis ad Regem Salamonem, explicavit ei per litteras modum pacis praetaxatum. Incurrentibus itaque nunciis et super hac diversis diversa sentientibus, consummatio reconciliationis effectum sortiri non potuit.

Marci Chron. pag. LXXV. Thuróczi Chron. II. c. 55. Chron. Bud. pag. 159. — Bonfinius (Dec. II. l. 4. pag. 223.) Desiderium hunc expresse Strigoniensem Metropolitam vocat, Pray autem (Annal. I. 77.) Colocensem Archiepiscopum asserit. Eidem sedi illum tribuit, ast cum titulo tantum episcopi, Katona (Hist. Crit. II. 374); ambo hi ideo, quia praenarrata a. 1076. evenisse putarunt: atque hinc Katona ita argumentatur: „Ex Geisae litteris, anno superiore (1075.) recitatis, constat, Nehemiam archiepiscopum Strigon. fuisse, quem titulum etiam anno sequente s. Gregorius eidem, ut videbimus, dedit. In iisdem Geisae litteris Desiderius Colocensis quidem, sed tantum Episcopus, dicitur, qui rursus

eodem axioma legitur ornatus in diplomate s. Ladislai, quo privilegia Quinqueecclesiensis Episcopus confirmantur a. 1093. Quare hic Thuróczius ad morem aetatis suae, qua iam Colocensis archiepiscopus erat, loquutus fuisse videtur. Rectum hic Katona haberet, si quae de Desiderio attulimus, reipsa a. 1076. evenissent. Sed quia Chronicae nostrae Desiderium Archiepiscopum, qui unicus tunc in Hungaria erat, et Bonfinius plane Metropolitam Strigon. expresse vocant, illa ante annum 1075., quo iam Neaemias Metropolita erat, evenire debuerunt. Chronicae Gyejsam regem „eo tempore“ se abdicare voluisse scribunt, dum s. Ladislaus Salamonem Posonii oppugnavit, e Lamberto autem Schafnaburgensi et Joanne Thuróczi scimus Henricum IV. Imperatorem, a Salamone interpellatum, a. 1074. sub medium Julii expeditionem in Hungariam suscepisse et Vacuum usque penetrasse. Ast exercitus eius — ut idem Lambertus ait — „qui ad tanti belli administrationem nihil sumtuum praeparaverat, gravissima statim laborabat inedia, adeo, ut homines plerosque, animalia poene omnia, brevi pestilentia et fames consumerent. Qua necessitate compulsus rex, nullo insigni facinore perpetrato, Vngaria excessit, et post festum Michaelis Wormatiam reversus, — Ratisbonam rediit.“ „Rex Salamon autem — ut Thuroczius prosequitur — spe fraudatus, gemebundus ac moestus, collegit se in Poson“. (Katona l. c. 339—346.) Rex Gyejsa inopinate ab hoste liberatus, per fratrum suum Ladislaum Salamonem illico Posonii oppugnari curavit; quod quidem ex allatis adiunctis multo verisimilius est, quam oppugnationem hanc cum Katona ad a. 1076. relegare. Sic ergo oppugnatio haec, mense circiter Octobri inchoata, ad natale usque festum, quo Gyejsa resignare voluit, perdurare potuit. Quo facto nihil obstat, quominus Desiderium Chronicis confirmiter Archiepiscopum Strigon. statuamus, pro ut etiam Lendvay in Catalogo suo illum a. 1067—1074. Archiepiscopum Strigon. statuit. Distinguendus ergo est a Desiderio Episcopo ab a. 1075. Colocensi. — Fuit Desiderius noster — ut Katona observat — bene de gente Hungarica meritis, quod eloquentia sua dissidentibus principibus arma feliciter excusserit et effusioni Christiani sanguinis occurrerit. (Hist. Eccl. Col. I. 159.)

## V.

## NEAEMIAS.

1075 — 1077.

De Archiepiscopo hoc Schmitthius (Arch. Episc. Strig. I. 26.) multa narrat, quin tamen asserta comprobaret, eumque iam ab a. 1048. Metropolitam egisse prorsus erronee scribit. Aberravit et Katona, dum eum tempore iam Salamonis Regis Archiepiscopum fuisse dicit. (Hist. Crit. II. 279. 378.) Cui ecclesiae ante hanc susceptam praefuerit, non constat. Memoriam eius solum Nri 25. et 26. conservarunt, e quorum altero concludere licet, s. Ladislaum per hunc Archiepiscopum corona cinctum fuisse. Quousque vitam produxerit, incertum.





## 25.

1075. — Gyejcsa I. Rex Abbatiam sancti Benedicti de iuxta Grón fundat et dotat.

† In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis, Patris et filii et spiritus sancti. Ego magnus, qui et Geisa in primis <sup>1)</sup> hungarorum dux, postea uero gracia dei rex consecratus, Bele regis filius, Cernens huius seculi bona esse momentanea, superna autem perpetua, magno amoris desiderio ecclesiam construere adoptaui, ad laudem dei et sancte marie semper uirginis, sanctique Benedicti, piissimi monachorum patris ac ducis, ibique fauente deo monasterium constitui. Igitur ipso opitulante, qui omnia fecit, ad predictum sancti Benedicti monasterium hereditates in terris cultis et incultis, uineis ac uinetis, pratis ac pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscinis et piscaturis, seruis et ministris, adque tributis, ceterisque bonis subsequentibus contuli adque dedi. Et hoc omnibus episcopis, abbatibus, necnon et principibus regni mei notum fieri uolui.

Terram, per cuius medium transit flumen, quod uocatur Gran, ubi etiam ecclesiam sancti Benedicti construxi, cum siluis, uenacionibus, aquis piscacionibus, cumulonibus ac omnibus commoditatibus utilitatibusque in predictis siluis, aquis et terra, que nunc sunt et in futurum fieri poterunt, dedi, cum propriis certis metis et terminis. Prima igitur meta, seu terminus est rupis, ad quam per quoddam uadum iuxta uillam castrensiū de Borsu, Braian nomine, transitur; Deinde uersus occidentem transeundo ad uerticem montis plesi uice; Exinde in uallem et post ascenso alio monticulo, currit per siluam iuxta latus cuiusdam alterius montis ad metam terreā arenosā; abinde descendit in profundam uallem, et inde ascendendo, transit ad metam terreā, que est iuxta ciuilem uiam; Exinde pertransit uallem, eundo ad magnam terreā metam, et ab eadem meta usque ad locum, ubi ab inferiori parte ecclesie beate uirginis de uilla knesecz <sup>2)</sup> riulus, nomine sarraezka, decurrit in aquam sitouā est terminus; Postea ipsa sitoua terminus est usque ad montem, unde exit; Deinde transeundo directe, caput est riuli, nomine feniosaunicza et post ipse riulus decurrens iuxta fonticulum, qui habet aquam quasi acidam, deriuatur sub montem, qui est uersus orientem et cadit in gran, ubi signum sancti Benedicti est in quadam arbore; Ex alia uero parte est riulus, nomine lisna, terminus usque ad cacumen montis, unde exit; Deinde per siluam huntiensem, <sup>3)</sup> que hungarice surkuscher uocatur, prope uillam, nomine baka, procedendo usque ad montem chus, et ab eodem monte per siluas directe transitur ad uallem, ad locum, ubi montes terminantur, riulo prestucz in parte sancti Benedicti remanente.

1) In transsumpto Uladislai II. a. 1505. imprimis.

2) Ib. Knesecz.

3) Ib. Huntiensem.

Postea dedi uillam, que uocatur sceulleus, <sup>1)</sup> ubi dedi uinitores et XV uineas, aratores, apiarios et terram ad LX aratra, cum terminis suis. Preterea sunt ibi VI domus ciuium de Borsu, quorum terra est ad tria aratra, hos non dedi.

Dedi eciam uillam piscatorum super ripam gran, nomine talmach, cum terra sua, pratis et insulis. Cuius terre primus terminus iungitur terre sceulleus in rinulo, qui dicitur gai; post hoc ad uiam, et de illa uia ad aliam uiam, per quam itur in Bors, iuxta quam lapis pro signo positus est, deinde sulko diuiditur a terra castrensi usque ad caput laci, qui orduksara uocatur; Post hec ad predictum uadum, quod iuxta uillam braian, quam supradixi predictorum castrensi, transitur; Tandem a predicto uado ascendendo ad supradictam rupem, que est secus litus eiusdem fluminis gran, ultimus terminus est.

Intra quos eciam terminos est uilla kouachi nomine, quam dedi, cuius uille homines ad omnia genera seruitutum, que uoluerit abbas, deputentur. In quibus terminis, quos omnipotenti deo, beate marie semper uirgini, sanctoque Benedicto obtuli, nullus extraneus aliquid iuris uel utilitatis sibi occupare presumat; Abbas uero quotquod uoluerit, homines locare poterit, longi enim latique sunt et magni.

Dedi autem et terram in susolgi cum siluis, uenacionibus, aquis, piscacionibus et fenetis. Cuius terre primus terminus est riuulus, nomine tapla, currens in grana, qui grana terminus est, ascendendo usque ad riuulum radmera: insule uero fluii gran in partem sancti Benedicti deueniant; riuulus autem radmera terram sancti Benedicti diuidit ab aliis. Deinde illius riuuli caput, quod in monte wydrizki est, signum est. Postea autem ultimus terminus est supradicti riuuli caput tapla.

Dedi et aliam terram, nomine sikua, ad XVI aratra, et ipsum riuulum sikua, cum pratis ac pascuis et XII domus servorum, siluamque magnam cum propriis terminis.

Dedi eciam uillam bissonorum ad arandum, nomine tazzar, super sitoua, cum terra XX aratorum, et magnam siluam uersus orientalem et meridionalem plagam cum pratis et pascuis, et decem domus carpentariorum, terminatam propriis terminis.

Insuper uero dedi aliam uillam hudwordiensium bissonorum, ad arandum super eandem aquam sitoua, cum terra septuaginta duorum aratorum. Item aquas ad piscandum, scilicet Nitra, tarmas et sitoua, cum pratis et pascuis, que inter predictas aquas habentur, latissima enim et longa sunt ad pastum animalium, equorum, ouium, boum, et magnam siluam ultra uallem, inter orientalem et meridionalem plagam cum propriis terminis.

Hudwordiensium aliam terram ad quadraginta aratra et XX domus ser-

1) Ib. Sceullews.

uorum super mercatum, quorum seruitus, prout placuerit abbati, sit, ubi et curiam meam, necnon et capellam, que in honore sancti martini est, dedi.

In uilla, que uocatur pagran, separatim ab aliis uersus orientem et meridiem, dedi XV domus seruorum et XVI uineas cum siluis, pratis, et terram ad sex aratra, quorum seruitus, prout placuerit abbati, sit.

In Sari terram unius aratri, cum silua et fenetis.

In taina terram ad duo aratra cum pratis et silua.

In fius terram ad duo aratra.

In bilegi terram duorum aratrorum.

In uilla balwan quatuor aratrorum terram.

In uilla ludan decem domus seruorum cum pomerio et terram ad V aratra et cumulonem mixtim cum uilla et nemus.

Dedi eciam uillam Semlar et terram ad XVI aratra et nemus magnum super ripam Gran, cum piscacione, quantum in terminis illius terre est, terminatur autem hec terra super aquam compa.

In Saroufalu a superiori parte dedi terram ad quatuor aratra.

In mikolafalu terram unius aratri.

In kokot dedi X domus nautarum a superiori parte et terram ad tria aratra.

Iuxta siluam nazal dedi unum aurificem, nomine nesku,<sup>1)</sup> cum fratribus suis, et terram ad V aratra.

Ultra danubium dedi XX uineas cum uinitoribus, et terram ad XV aratra, necnon in kestelci VII uineas et V uinitores et terram ad duo aratra.

Infra wag uero dedi uillam nomine samko, et terram ad LXVII aratra, cum pratis et pascuis, et siluam magnam prope danubium cum ipsa aqua danubii et quadraginta domus agasonum, terminatam propriis terminis.

In camarum trium aratrorum terram, secus flumen danubii, et piscacionem in eodem danubio, in loco, qui dicitur wage tuin.

In sitouatuin dedi undecim domus piscatorum et terram ad quatuor aratra, et piscacionem in danubio in eodem loco, qui sitouatuin dicitur.

Iuxta wag dedi uillam Gegu nomine, et uiginti domus piscatorum et piscacionem liberam ubique in wag, nitra et danubio.

In piscina uero, que woioser uocatur, dedi duas partes; nam pars tertia est abbatisse de tornowa.

In confinio Bichor ciuitatis dedi uillam, que rikachi artand uocatur, centum XX domus, cum insula, sibi adiacenti, quorum seruitus sit, dare omni anno XII porcos V annorum et XII modios mellis, et quod quilibet mo-

1) Ib. Neskev.



dius sit trium ydriarum et tantundem cumulonis, et tam estate, quam hyeme duobus equis abbati semper seruire.

Terram, que sita est super aquam fizegi, dedi cum propriis terminis. Qui termini ita diuiduntur: Primum in monte geohlu <sup>1)</sup> fouea facta est, in parte sancti Benedicti inter zyla; Dehinc per ortum besenendi usque ad piscinam fizeg puteus in ipsa aqua fizegi per locum feni usque ad uadum pote, ubi aquam transeunt; a predicto ergo uado feni usque ad aliud uadum, quod uocatur fizeg, media pars in hereditatem sancti Benedicti deuenit, ibique fouea facta est; Deinde ubi segregantur due uie, postea per uiam in circuitu, usque dum finiuntur arbores, ad quendam montem, in cuius cacumine in parte sancti Benedicti fouea facta est; Dehinc per medios agros urbanorum albensium; Exinde ad fluuium bocur; Postea ad puteum hotuandi; Deinde ad puteum dirsidei, qui assignatus est in medio uille; Exhinc ad sepulturam gunreidi in monticulo, ubi antiquorum corpora sunt sepulta. Dehinc uallis est usque ad cocudi et ad duos monticulos, iuxta quos in termino sancti Benedicti fouea facta est; Deinde ad piscinam, que est inter urbanos noue ciuitatis et zilam; Exinde in angulo aruch terra diuisa est prope archisti, ubi etiam terminus sancti Benedicti designatus est.

Dedi etiam terram, que adiacet circa aquam, que uocatur tiza, cum ipso fluuio tiza, super quam terram est uilla piscatorum nomine . . . <sup>2)</sup> habens ecclesiam parochialem constructam in honorem salutifere crucis ihu. xpi., qui piscescantur tiza. In eadem autem terra ex utraque parte tize sunt piscine, quarum hec sunt nomina: Ostra, Wolue, Sarustou, keubi, Haperies, Sulmus, Ecetoua, Filu, <sup>3)</sup> Ertue, Nandurto. Huius terre termini hii sunt: Piscina zirega diuidit terram sancti Benedicti ab aliis; Deinde pars terre sancti Benedicti in monte presbiteri iuxta uillam centurionis, qui uocatur deucha; Item a piscina, que dicitur rotunda, Item alia lutea piscina partem sancti Benedicti separat a uilla martini; Item de michaeli quodam wztura signum diuisionis est alia piscina wolue, que etiam in partem sancti Benedicti deuenit. Item a fluuio hucu, qui separat cernigradenses, cuius fluuii pars sancti Benedicti est dimidia. Item cunuto, que est in parte sancti Benedicti cum gehgi, super ripam tize, ubi finiuntur partes terre sancti Benedicti.

Dedi et aliam terram circa eandem aquam tiza, que uocatur alpar cum propriis terminis, Qui termini ita diuiduntur: Primum a ripa tize procedendo ad quasdam arbores, est terminus cum episcopalibus sancte marie waciensis ciuitatis; De predicto termino sinistra pars est sancte marie

1) Ib. Geohlu.

2) Vox hic extrita ib. legitur: Chan i.

3) Ib. filii.

waciensis, dextera autem pars deuenit in partem sancti Benedicti, mediante uia, usque ad monticulum, in cuius uertice fouea facta est; Postea cum Beche, fratre drusba, separata est terra iuxta magnam zecum, unde et sulko diuiditur in duas partes, usque ad arbores tergudi, ubi finiuntur partes cernigradensium ciuium, in uia zounuk; Exinde uero cum zezin, qui equos regis custodit, in superiori parte iuxta eandem uiam terminus est; Deinde per puteum quendam, ubi salices sunt, accipimus (sic) usque ad uineas, que in partem sancti Benedicti deueniunt; Deinde partes diuiduntur inter comitatum cernigradensium et episcopatum sancte marie waciensis, ubi erant arundines regis et fenum, atque uirge; Postea per surchuer, idest aquam, pars sancti Benedicti est, in cuius capite fouea facta est; Deinde iuxta aquam maioris alpar sancti Benedicti terminus est; Exinde super caput eiusdem secus uiam fouea facta est; posthec super ripam tize; postea salices nandirdi in partem sancti Benedicti deueniunt, usque ad uadum quoddam, ubi adaquantur equi; Deinde autem circuit angulos tize, pertransiens prope quandam insulam usque ad siluam salicum, que tota cum insula predicta deuenit in partem sancti Benedicti usque ad uadum, ubi in uillam kurth transitur, ibique terminantur mete sancti Benedicti. Iuxta quam eciam siluam unum hudwornicum meum, Bocz nomine, quem ad seruiendum cum duobus fratribus suis predicto monasterio sancti Benedicti obtuli, manere constitui, legem sibi statuens, ut terminos eiusdem terre alpar, quia magni et longi sunt, populosque et piscinas, intra eosdem existentes, defendat et custodiat.

Ex alia uero parte tize uillam, que dicitur Sagi, cum terra sua, mercatumque in eadem, cum uado libero; nullusque de hoc participetur, nisi solus abbas, dedi cum propriis terminis, qui termini ita diuiduntur: Primum ubi fluuius huger<sup>1)</sup> de aqua tiza egreditur, qui circuit totam partem aque kesekun iuxta aruch, dividens usque, ubi stat scilu piscina, que cum tota insula in partem sancti Benedicti deuenit; Deinde takamons terminus est usque ad alium montem, nomine sorul; Exinde ad quendam fontem, cuius decursus terminus existit, quoadusque circumueniens, intrat ad eundem fluuium huger; Postea donec idem fluuius huger, decurrens prope uillam kurth, quam supradixi et cadit in tiza, ultimus terminus est.

Predicti uero alparienses quasdam piscinas, que in ipsorum terminis uersus decursum tiza ascendendo existunt, quarum nomina sunt hec: kustiza, ke-rektou, Sokord, kektou, horgas, halastou, feirtou, Egres, et hosiouer, ac fluuium tiza cum profunditatibus suis, quantum in terminis pre-

1) Ib. Huger.

dictarum terrarum alpar et Sagi existit, sicut antea consuetudo fuit, cum ipsis hominibus de sagi, quociens abbati placuerit, comuniter piscabuntur; alias autem piscinas, que infra decursum eiusdem fluvii tiza existunt, predicti alparienses per se ad preceptum abbatis piscabuntur.

Terram pelu ultra tizam, supra portum aque kengelu, dedi cum propriis terminis, Cuius terre prima pars diuiditur ciuibus zounuk; Deinde zecu; postea per medium campum terminus est inter uillam sancti Benedicti et inter uillam urbanorum zounuk; Deinde inter uillam sancti Benedicti et uillam albensium, in medio campo fouea facta est, quam andreas iudex foueam fodit; Dehinc lugtha, terre sancti Benedicti particule sunt separate in uia, que ad uillam illorum uadit; Iterum iuxta arbores pro illorum diuisione, qui cehti dicuntur, fouea facta est; Deinde secus portum kengelu inter eosdem cehti terminus est sancti Benedicti, ubi fenum secat populus sancti Benedicti. Item ipsa aqua kengelu per medium diuiditur in una uia, ubi eciam fouea sancti Benedicti est.

Item super aruch cum illis, qui wosciani dicuntur, propter diuisionem fouea facta est; Circuit enim idem aruch totam partem terre ex parte wossicianorum et unuri<sup>1)</sup> usque ad terram zunde; Deinde in colle separatur terra unuri; Postea sepultura uetendi<sup>2)</sup> est in ualle Zebeli, fouea sancti Benedicti est.

Juxta Zounuk super aquam, que uocatur meler, dedi XV domos seruorum cum terra sua, que magna est, terminatam propriis terminis, et ipsam aquam ad piscandum, quantum in termino illius terre est.

Terram sapi simul cum arboribus, in heridetatem monasterio sancti Benedicti dedi, quam circumtenet aqua, que nominatur cundura, usque ad curice flumen, sicque diuiditur ab aliis.

Terram, que<sup>3)</sup> dicitur melinhalmu, dedi cum propriis terminis.

In caztech VII domos dedi et terram ad quinque aratra.

Iuxta Bichari terram, in qua manent XX-ti domus ministrorum, dedi.

Isti autem et aliis supradictis uillis statui, ut fenum secant abbati, cumulonem colligant, curiam et domus curie parent, uinum portent, in hieme duos abbatis equos nutriant.

Piscine uero, quas dedi monasterio, magne parueque, sub custodia abbatis sint. Piscatores autem chonienses, alparienses et de Sagi, ex ticia; Gegmensenses<sup>4)</sup> camarienses, et de sitouatuin, ex wag, nitra, Sitoua et danubio pisces fratribus acquirant, ut inde nutriantur.

1) Ib. vnuri.

2) Ib. uetendi.

3) Ib. erronee: terram que.

4) Vel: Gegnienses, non bene distinguitur.



In hiis etiam hereditatibus, scilicet uillis, terris, siluis, uenacionibus, aquis, piscinis et piscaturis, pratis et pascuis, adque tributis ceterisque bonis, quibus predictum sancti Benedicti monasterium, ad laudem dei et sancte marie semper uirginis dotare potui, nulli omnino aliquod ius uel utilitatem aliquam percipiendi, nisi ipsi monasterio et suo abbati reliqui.

Vltra siluam ad castrum, quod uocatur turda, dedi tributum salinarum, in loco, qui dicitur hungarice aranas, latine autem aureus, scilicet medietatem regie partis.

Tributum autem unius mercati, quod uocatur hungarice Zobuzlou wasar, eodem modo; Tributum transitus super tizam, qui nuncupatur benildi; eodem modo: Tributum super aliam aquam, que dicitur curicea, eodem modo.

Super fluuium, qui nuncupatur crys, in uilla, que uocatur duboz, tres <sup>1)</sup> domus seruorum, porcos sancti Benedicti custodiencium, dedi, cum terra ipsorum, quibus legem dedi, et statui, ut quocumque porci regis ad pastum ierint, illuc eant et porci abbatis sancti Benedicti.

Tributum lignorum, que feruntur super gran, solus abbas habeat, nullus hoc participetur. Tributum in Borsu et in omnibus foris eiusdem ciuitatis, necnon et aliis tribus uillis, scilicet Goznucha, Gelednuk et kerestur, in qualibet earum medietatem regie partis. In lelu super danubium tributum eodem modo.

In supradictis uero terris in hungaria, scilicet in meler, Sapi, Pelu, Sagi, alpar, Chonu, et fizeg, quotquod uoluerit abbas, homines cum aratris ponat, late enim longeque sunt et magne.

Domum etiam dedi deo et sancte marie, sanctoque Benedicto, ego rex magnus, statuens auctoritate regali, Quod omnis uagus et profugus, siue homo, siue iumentum, siue quodcumque animal sit, si in monasterium aut inter familiam, seu inter bestias sancti Benedicti deuerint, in illis non habeat potestatem nuncius regis, neque ducis, neque cuiusquam comitis, aut primatis, sed sint in potestate sancti Benedicti et sui abbatis, et secundum consuetudinem hungarorum faciat abbas et iudicet.

Preterea ego magnus, qui et Geisa, gracia dei pannonicorum rex consecratus, auctoritate regali concedens statui, ut ecclesia illa decimas suas omnes et omnium hominum suorum, tam liberorum, quam seruorum, ubique hoc in regno existencium, habeat. Et parochiam, ecclesiam uidelicet beate marie semper uirginis, de uilla knesech, quam antea, dum capella lignea esset, habuit, quia regalis fuit, habeat, quinquaginta scilicet uillas ex ciuibus, seu aliis uicinis hominibus, quartam uidelicet decimarum partem pro saluacione anime mee et fratrum meorum, necnon et filiorum meorum, parentumque meo-

1) Ib. tres.

rum, Quas eciam uillas abbas sub cura sua habeat scire, et nulli episcoporum liceat ex hiis uillis aliquam auferre et alii ecclesie dare.

Anno domini millesimo septuagesimo quinto. Presente Ladizlao duce, germano carissimo; Neemia archiepiscopo Strigon. existente; Desiderio autem Colocensi, aliisque Episcopis, scilicet aaron episcopo, francone episcopo, Getico episcopo, lazaro episcopo Episcopatus suos feliciter gubernantibus. Julia comite meo palatino, ceterisque regni mei principibus, quorum consensu et consilio statui, ut quicumque contra hanc meam regalem institutionem ire temptauerit, et que superius sunt decreta et stabilita infringere seu uiolare conatus fuerit; nisi digne et satisfactione <sup>1)</sup> resipuerit: anathematizetur a deo patre omnipotente et filio et spiritu sancto et a dei genitrice semperque uirgine maria et ab omnibus sanctis, ab omni xpianitate, et insuper soluat purissimi auri libras mille, medietatem regie camere et medietatem predicto monasterio sancti Benedicti.

Et ut mea regalis institutio futuris temporibus firmitatem obtineat; manu propria subter firmaui et sigillaui.

E transumpto Andreae II. Regis a 1217. vide Nrum 220. — Extr. Pray Specimen Hierarchiae Hung. I. 332., Katona Hist. Crit. I. 366. Integre sed nimis erronee Fejér Cod. dipl. I. 428. et II. 67.

## 26.

1077. 9. Junii. — Gregorius PP. VII. „Nehemiae Strigoniensi in Hungaria archiepiscopo“ nuncium Roma remissum commendat, tum subiicit: „De cetero admonemus fraternitatem tuam, ut regem (s. Ladislaum), qui inter vos electus est, cum aliis tuis confratribus et principibus terrae alloquaris, notificantes et consulentes sibi, ut apertius nobis suam voluntatem et erga reuerentiam sedis apostolicae debitam per idoneos legatos denunciet deuotionem.“ — — Data Carpinetae V. Idus Junii, Indictione XV.

Fejér Cod. dipl. I. 442.

## 27.

1086. — Seraphinus Cancellarius S. Ladislai regis.

„Ne scrupulus remaneat, huius cartule scriptor extitit Seraphin Capellanus Regis Ladizlaj, qui postea Dei electione ordinatus est

<sup>1)</sup> Ib. satisfaccioni.

Archiepiscopus. — — — — Et ne scrupulus remaneat, huius cartule scriptor extitit Seraphim capellanus Regis Ladislai, qui postea Dei electione ordinatus est Episcopus et Archiepiscopus.“

In diplomate s. Ladislai Regis pro Abbazia Bakonybél. Vide Wenczel Cod. dipl. Arpad. I. p. 35. 37. — Diploma hoc, ut in primis eiusdem verbis dicitur: „Scriptum est anno dom. Inc. 1086. regnante et annuente Ungarorum Rege piissimo Ladislao.“ Tardius tamen in formam autenticam redactum, aut ut ibidem dicitur, „proprio sigillo“ eiusdem regis sigillatum esse, verba de Seraphino praecitata, ultro ostendunt; quia tamen Ladislaus iam 1095. 29. Jul. obiit, 1094. autem, ut videbimus, Acha Archiepiscopatum rexit, expediri intra a. 1094—1095. debuit.

## 28.

Ca. 1087. — Gutlen serviens s. Ladislai Regis res suas in Palaznak Capitulo Vesprimiensi legat, una notificat, „quod huius cause liberum arbitrium mihi ordinandi rex concessit ex curia Dimisiensi, dum theutonicos in hyemali tempore devastaturus pergeret. Huius vero deliberacionis mee et institutionis Guren Strigoniensis Comes — — et ceteri Primates tocius Pannonie testes habentur.“

Fejér Cod. dipl. IX. VII. 703. — Diploma hoc omni prorsus nota temporis caret, attamen s. Ladislao tribuendum esse, inde patet; quia Ladislaus II. ut intrusus rex sex tantum menses regnavit, Ladislaus III. infans extra regnum est mortuus; antequam autem Ladislaus IV. thronum conscendisset, Comitis supremi Strigon. munus iam Archiepiscopis Strigon. delatum fuit. Cum porro s. Ladislaus nullum cum teutonicis bellum gesserit, non aliud hic designari potest tempus, quam a. 1087., quo Ladislaus Principibus Germaniae contra Henricum IV. in favorem Papae viginti mille equites promisit. (Katona Hist. Crit. II. 527.)

## 29.

1089. 26. Jun. — Gebhardus, Pragensis episcopus, Jaromirus antea dictus, Strigonii moritur.

Exorta inter Gebhardum Pragensem episcopum et fratrem eius Wratislaum ducem discordia, dux iterum intronizat capellanum suum Wezlonem, ut in territorio Moraviensi episcopum (Olomucensem). Pro qua iniuria praesul Gebhardus iturus erat Romam. — Sed consilio cum suis familiaribus inito, prius adit antiquum amicum Wladislaum Regem Pannonicum, et patefaciens ei suae Ecclesiae damnum, postulat ab eo ad Romanum iter auxilium. Inscius heu factum sibi iam superesse propinquum. Nam prima die, qua Regem adiit, ni-



miam corporis incidit molestiam. Et quia prope urbem erat Strigoniam, illuc mittit cum Rex navigio, comittens curam eius illius urbis Episcopo. Pertulit heu quales sex lucibus ipse dolores, impediore lacrymis, nec possum promere dictis. Septima die iam advesperascente, sol iulii senas quae tangit luce kalendas — — mundo migravit ab isto.

Annal. Saxo ad h. a. — Cosmas Prag. l. 2. pag. 178. et ap. Pertz Mon. SS. IX. 95. — Dubravius (l. 9. pag. 233.) ait: Romam igitur quaeribundus ire parat, itinere in Pannoniam deflexo, ut inde mari Adriatico in Italiam transiret; sed vix aeger Strigonium attingit, ibique ex eadem aegritudine vitam finivit suam.“ „Defunctus est — addit Annal. Saxo — in urbe Strigonia 6. kal. Jul.“ — Gebhardus hic, ut Dubravius praemittit, ius haereditatis filiorum Ottonis ducis Olomucensis fratris nempe sui defuncti, quos e sorore s. Ladislai regis susceperat, tutabatur, haecque fuerit causa itineris sui in Hungariam (Katona Hist. Crit. II. 546.) — Sedes Strigoniensis ergo tunc non vacabat, sed an Neaemias, an vero Stephanus I. illum exceperit, dicere non valemus.

### 30.

1091. 20. Dec. — S. Ladislaus Rex iura Abbatis de Szala, a s. Stephano Rege obtenta, confirmat.

In nomine sancte Trinitatis et Individue Unitatis, Ladislaus deus gratia Hungariae Rex, omnibus christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presentes litteras Inspecturis, Salutem in vero omnium salvatore. Ad Universorum serie presentium noticiam volumus pervenire, quod cum causa devotionis ecclesiam beati Adriani preciosi martiris christi de Insula Saladiensi visitare disvertissemus, Religiosus vir Stephanus <sup>1)</sup> et fratres eiusdem ecclesie populos suos per diversorum Collectorum exactores miserabiliter fuisse aggravatos, nobis conquerendo significare curaverunt, petentes, ob anime nostre salutem ipsis populis sic aggravatis et per executores graviter afflictis, releuacionis remedium ex debite sollicitudinis officio adhiberi dignaremur, litteras quasdam priuilegiales Sanctissimi Regis Stephani, predecessoris nostri, exhibendo. Quarum tenoribus perlectis, reperimus euidenter et fide oculata Inspeximus In eisdem, primo videlicet, quod Idem Sanctissimus rex predictam ecclesiam siue monasterium, quam ipse anno millesimo decimo nono ob anime sue remedium et pro stabilitate Regni construxerat et fundauerat, ex Regia largitate ac pietate donationibus, possessionibus, et decimatione copiose et large decorauit et dotauit. Secundo conspeximus et comperimus, quod ex forma Indulti eiusdem Sanctissimi Regis, similiter Anno domini Millesimo Vigesimo

1) Piter addit: abbas.

quarto, <sup>1)</sup> ipsum Monasterium et ipsum populum ab omni Inquietudine debere esse semotum. Nos igitur eiusdem Sanctissimj Regis, Stephanj felicibus vestigijs Inherentes, concessimus In secula statuendo, vt quemadmodum a Iudicio et potestate ac Jurisdictione omnium Iudicum et Vniuersorum Comitum parrochialium, seu Viceiudicum et Curialium Comitum eorundem ex forma litterarum priuilegialium supradictarum expediti sint penitus et exempti populi Monasterij sepe dicti, ita et a vexatione, molestijs, Inquietatione et grauaminibus, que per Collectores tam Victualium, quam denariorum seu quarumlibet aliorum manerierum possent eis Imponj et mandarj, predicti Abbas et Conuentus, eorundemque populus expediti habeantur penitus et exempti; ne ipsum Monasterium per huiusmodi grauamina ad paupertatem exinanicionem redactum, quod absit, in eo per subtractionem necessariorum aut alimentorum, diuine laudis organa suspendantur. Vt igitur presens nostra ordinatio Iamdudum ordinati negocij salubris Innouatio robor obtineat perpetue firmitatis, nec per predictos Iudices, Comites, seu Rectores Comitatum et Collectorum exactores valeat aliquatenus Immutari, presentes ipsi Monasterio ac suis Rectoribus super hoc ob reuerenciam beati Adrianj in priuilegium firmitatis perpetue concessimus litteras, sigilli nostri munimine roborando. Datum in Simidio Terciodecimo kalendas Januarij Anno domini Millesimo centesimo primo, Regnj autem nostri Anno vigesimo.

E copia simplici Conuentus de Kapornak a. 1514. In Arch. Prim. sec. Lad. U. Nr. 172. — Piter Vita s. Guntheri 165. — Katona Hist. Crit. II. 565. — Czinár Monast. I. 190. — Fejér Cod. dipl. I. 466. — In dato anni manifestus error cubat, s. Ladislaus enim iam a. 1095. regnare desiit; descriptor numerum decenarium transilisse videtur, rescribendumque est MXCI. Annus regiminis pariter erronee adscribitur.

---

1) Vide litteras has Fejér I. 307.

## VI.

## STEPHANUS I.

1093.

Schmitthius Neemiae in serie Archiepiscoporum Desiderium Colocensem, ut illi quidem videtur, Archiepiscopum ab a. 1078. usque 1084. successisse scribit; (Archiep. Strig. I. 37.) sed opinionem hanc subsistere non posse, inde nullo negotio confit, quod Desiderius hic et a. 1075. et 1093. Episcopus Colocensis uocetur. (Fejér I. 439. 481. Vide etiam Nros. 25. et 31.) Nunquam ergo Desiderius hic metropolitanam hanc sedem conscendit. — Iam de Stephano nostro praeter ea, quae Nrus 31. exhibet, nil aliud constat; illud tantum certum est, eum vitam ultra hunc annum non produxisse.






## 31.

1093. 17. Apr. — S. Ladislaus Rex „et omnes optimates eius, St. quoque Metropolitane urbis Archiepiscopus cum omnibus suffraganeis suis,“ fines orientales Dioeceseos Quinqueecclesiensis contra Desiderium Episcopum Colocensem, qui eosdem invasit, ad normam constitutionis s. Stephani reformant. „Cuius controversie executores Comites duo presint. — — Capellani Thimotheus et Laurentius — — Anno dom. inc. 1093. epacta XX. concurrentibus quinque, Indiccione prima, dominice resurrectionis quindecimo Kal. Maij. — — actorizantibus episcopis Fabiano, Cosma, Stephano — —.“

Koller Hist. Episc. Quinqu. I. 174. — Fejér I. 481. — Nomen Archiepiscopi per St. solum exprimitur, sed legendum esse Stephanum, Koller (l. c. e) sic docet:.. Iisdem enim elementis litterarum paulo ante Stephani Quinqueecclesiensis nomen designatur.



## VII.

# ACHA.

1094.

In unico Feliciani Archiepiscopi Strigon. de a. 1134. diplomate his verbis memoratur: „Regnante nobilissimo rege Iadislauo, Strigoniensis vero ecclesie primatum Acha gubernante, — — predictus rex — — Zagrabiensem constituit Episcopatum.“ (Vide Nrum. 59.) Attamen annus foundationis non exprimitur. Timon ad librum, qui inscribitur Topographia magni regni Hungariae provocando, in quo tamen verba citata non inveni, episcopatum hunc a. 1085. erectum ait,<sup>1)</sup> cuius sententiam Schmitthius quoque acceptat, eo magis, quod ex Inchoffero, qui hoc in Mss. e Tabulario Romano depromptis, se legisse testatur, didicerit, Acham successorem Desiderii a. 1085. creatum fuisse.<sup>2)</sup> Schmitthium dein etiam Katona secutus est,<sup>3)</sup> et sic et Schmitth et Pray<sup>4)</sup> Acham hunc Stephano in serie Archiepiscoporum praeponunt, quod et Koller approbat,<sup>5)</sup> episcopatum tamen Zagrabiensem a 1091. conditum fuisse censuit<sup>6)</sup>; sententiam tamen hanc datis ad Stephanum Katona litteris immutavit ac natales episcopatus huius ad a. 1093. retrudit, tum observat: „nodum, quem nequit Achae Archiepiscopus, ita seco: Anno 1093. Archiepiscopus Strigon. fuit Stephanus fide diplomatis a. 1093. Hunc non antecessit, verum ei successit verisimiliter eodem anno Acha, sub quo et Bacsensis conditus est archiepiscopus et Zagrabiensis episcopatus. Animadvertite, nullis niti tabulis, quae de Acha Archiepiscopo ante a. 1093. litteris prodita sunt.“ Huic sententiae deinde etiam Katona subscribit, pressius tempus sic definiens: anno 1093. dominica resurrectionis Fabianus Bacsensis adhuc inter episcopos recensetur (Vide Nrum. 31.) „paulopost igitur (quia nempe Fabianus in citatis Feliciani Archiepiscopi litteris iam Archiepiscopus nominatur) primum quidem archiepiscopus Bacsensis, tum episcopatus Zagrabiensis, uterque tamen ante pium s. Ladislai regis obitum, qui 29. Jul. 1095. contigit, erectus est. Ita fit, ut

1) Imago Novae Hung. Viennae 1762. pag. 35.

2) Arch. Str. I. 40.

3) Hist. Crit. II. 492.

4) Hierarchia I. 159.

5) Hist. Ep. Quin. I. 174. e)

6) Ib. pag. 163.

initium Fabiani Bacsensis archiepiscopi defigere debeamus inter a. 1093. et 1095.<sup>1)</sup> Adeoque etiam Acha intra hoc tempus ecclesiae Strigon. praeesse debuit, nec, ut ultro apparet, Stephanum praecedere potuit. Nos medium tenentes, annum illi 1094. assignamus. — Szörényius meminit se in autographo quodam legisse, Acham Palatinum Regni Hungariae genuisse filium cognominem, atque eum ordini ecclesiastico adscriptum sive in Hungaria, sive Romae in Collegio Canoniorum litteras perdidicisse, in eamque opinionem venit, hunc Acham Palatini filium Archiepiscopatum Strigon. post mortem Desiderii, ut illi quidem videtur, obtinuisse. Hac super re — ut verbis Schmitthii loquar — quid sentiam, non habeo dicere. Certum tamen est Acha comitem a. 1091. occurrere.<sup>2)</sup> Porro Inchoffer in suis Manuscriptis existimat legationis, quam s. Ladislaus ad salutandum Urbanum II. delectum Papam Romam destinavit, caput principemque Acham nostrum exstitisse.<sup>3)</sup> Unde haec hauserit, adnotare neglexit.

---

1) Hist. Col. Eccl. I. 14. 173–175.

2) Fejér I. 469.

3) Schmitth I. c. 41.



## VIII.

## SERAPHINUS.

1095 -- 1104.

Szörényius, <sup>1)</sup> Schmitthius <sup>2)</sup> et Palkovics <sup>3)</sup> initia Archiepiscopatus Seraphini ad a. 1089. retundunt. Péterffy <sup>4)</sup> synodum Szabolcsensem a. 1092. a Seraphino et Ladislao Rege collectam asserit post Otrokocsyum. Lendvay <sup>5)</sup> autem a. 1093. propugnat. Opiniones has subsistere non posse, ea, quae de Stephano I. et Achæ narravimus, abunde ostendunt, ex quibus simul patet, Seraphinum hunc eundem cum Stephano I., ut Palkovicsio placet et Katona admittit, <sup>6)</sup> haberi minime posse. Illum prius Capellanum Ladislai regis egisse, diploma eiusdem regis, quo a. 1091. Abbatiam de Simighio fundat, his verbis testatur: „Dator istius precepti rex Ladislaus. Testes, qui cum eo fuerunt: Dux Lambertus frater eius, ... Michael, Seraphin, Copan, capellani eius“ <sup>7)</sup>. Archiepiscopatum tamen vivente adhuc Ladislao rege, adeoque vel 1094., aut certe 1095. obtinuit, postquam prius episcopatum quemdam nobis non cognitum rexisset, ut Nrus 27. clare ostendit. Quare consideratis iis, quae de Achæ Archiepiscopatu protulimus, Archiepiscopatus Seraphini initium tuto ad a. 1095. figere possumus.

1) Nova series 4.

2) Arch. Strig. I. 42.

3) Annal. Eccl. Strig. Mss. I. 33.

4) Conc. I. 14.

5) Catal. mss.

6) Hist. Crit. II. 754.

7) Fejér I. 469.

## 32.

1097. mense Maio. — Seraphinus Archiepiscopus Colomannum Regem cum Busilla Rogerii Siciliae Comitis filia matromonio iungit.

Per totam Pannoniam nuptiae regis praeconizantur, undique cum enceniis concurritur, et, quum semper frequens et numerosa manus ex more cum rege sit, innumerabilem turbam plus solito rumor nuptiarum et novae reginae visendae appetitus conflavit. Die determinato, praesentibus archiepiscopis et episcopis et diversis ordinibus, dos puellae legali more in publico protestatur, rex et regina catholice pariter desponsantur, solemnesque nuptiae in tentoriis et ex viventibus ramis tabernaculis factis celebrantur. Nam nullae domus tantae multitudini sufficebant.

Gaufredus Malaterra ap. Muratori Script. Rer. Ital. V. pag. 599. — Katona Hist. Crit. III. 55. — Cum tempore hoc Seraphinus Archiepiscopi Strigon. munere fungebatur, ille extra omne dubium Regem matrimonialiter copulavit.

## 33.

1099. 11. Jun. — Seraphinus Archiepiscopus Strigon. Hermannum electum Episcopum Pragensem et Cosmam Pragensem Annalistam Bohemorum, Strigonii in presbyteros ordinat.

Occurrens (Bretislaus dux Bohemiae) Pannonico Regi Cholomanno in campo, qui dicitur Luczko, — — ibi dux Braczislaus suum Electum Hermannum Diaconum comittit Seraphin Archiepiscopo ordinandum. Qui veniens ad sedem suam urbis Strigoniae tempore, quo sacri ordines celebrantur, III. Idus Junii ordinat eum Presbyterum, et me quamvis indignum, similiter ad eum promovit gradum.

Cosmas Prag. ad h. a. pag. 209. — Pertz Mon. SS. IX. 105. — Katona Hist. Crit. III. 61. — Dudik Gesch. Mähr. II. 500.

## 34.

1100. — Colomannus Rex iudicium ferri et aquae „nisi in sede episcopi et maioribus praepositis, ut Posonii et Nitriae“ celebrari permittit.

Decr. I. c. 22. — Certum ex hac lege est, Praeposituram Poson. Sec. iam XI. conditam fuisse. Eius auctorem Pray (Hierarchia I. 6.) S. Ladislaum opinatur. Cui et Katona (Hist. Crit. II. 553. 668.) consentit, dum ad a. 1090. sequentia observat: „In gratam fortassis relatae de Cumanis victoriae memoriam s. Ladislaus princeps Posonii

templum. D. Martino sacrum, e quadrato lapide posuit.“ — His in contrarium Bärnkopf (Praepos. Posen. pag. 12. §. 19.) Praepositurae huius fundatae laudem ad ducem Moravorum Zventibaldum (870—894.) pertinere coniectat. Caeterum quaestio haec direpto per Bohemos a. 1271. Capituli tabulario, non amplius definiri potest.

---

### 35.

1100. — Colomannus Rex „denarios, qui per universas Ungariae partes colliguntur,“ a singulis comitibus „nominatim sub certo scribentes numero Strigonium usque festum s. Michaelis“ mittendos decernit.

Decr. I. Col. cap. 79. — Erat nempe Strigonium, Buda nova nondum tunc erecta, locus opportunissimus, ad quem ex omni parte regni huiusmodi pecuniae comportari facile potuerint. Katona Hist. Crit. III. 118.

---

### 36.

1100. — Albricus iubente Seraphino Archiepiscopo Strigon. Decretorum Colomanni Regis libros conscribit, eique dedicat.

Praefatio ad Seraphin Archi Praesulem Strigon. — Dei gratia Seraphin Archi Praesuli divinarum igne virtutum ardenti, Albricus quamvis unus ex minimis tamen servus sanctitatis nuncupatus, in palatio coelestis contemplationis. — — Cum specialis gratiae inspiratio mentem tuam coelestis sapientiae thesauro ditaverit et quam plurimis disertis ad didascalici meriti lucidas contubernii tui officinas quasi totidem gemmis ornaverit; haud parum ingenioli mei reformidat rusticitas, dum me, ut ita dicam elinguem — — iubes o Praesul Regalium instituta collationum recolare, vel senatoria totius Regni decreta, ieiuna oratione recapitulare. — — — — Verumtamen tui Domine, qui in huius populi linguae genere minus me promptum consideras, si quid calamus a suscepti itineris tramite declinaverit, tua quaeso in me benevolentia solita et supervacua reseces et imperfecta suppleas, errata corrigas, commode dicta paterna gratia provehas et antequam in aures prodeant publicas, curae tuae digitum dignanter imponas, et quae tuo dumtaxat doctissimo digna constitui examine, tuo etiam iudicio a detrahentium muniantur livore.

Corp. Jur. Hung. Decr. I. Colom. — Péterffy Conc. I. 41. — Katona Hist. Crit. III. 63. — Albricum hunc Horányi (Memoria Hung. I. 20.) Canonicum Strigon.; Batthyányi (Leg. Eccl. I. 450) monachum Cassinensem; Katona autem (Hist. Crit. III. 63) Seraphino Archiepiscopo „a sacris domesticis ministrum“ faciunt; quidpiam certi hac in re statui non potest.



## 37.

1103. 8. Dec. — Paschalis PP. II. Monasterio s. Martini, „in monte supra Pannoniam“ sito, inter caetera confirmat: „In Archiepiscopatu Strigon. Ecclesiam Sancte Marie in Uuaga.“

Wenzel l. c. VI. 73. Extr. Fejér Cod. dipl. II. 40.

## 38.

1103. — Seraphinus Archiepiscopus Strigon. exortas similtates inter Mathaeum episcopum Vesprimiensem et Petrum Abbatem Montis Pannoniae amicissime componit. Disceptationi intererant Ugolinus Colocensis, Sixtus Varadiensis et Arduinus Iauriensis Episcopi.

Schmitth Arch. Strig. I. 46. et hinc Wenzel I. 45. — Schmitthius illud e quodam diplomate, hucdum latente, hausisse videtur.

## 39.

Ca. 1103—1104. — Forco hospes, qui „primo adventus sui tempore Almo Duci studio servitutis claricalis adhesit, post eius discessum Archiepiscopo Seraphino, dein vero Vespurgensis (Vesprimiensis) Ecclesie Pontificibus, Matheo scilicet et Nane, Martyrio, Petro et Paulo — — memoriter iocundeque servivit.

E testamento eiusdem Forconis a. 1146. condito. Wenzel l. c. I. 58. — Pray Epist. Exeget. 36. — Fejér Cod. dipl. VII. IV. 62. — Álmos dux iuxta Stephanum Katona circa a. 1103—1105. prima vice Passavium discessit (Hist. Crit. III. 223) Et revera discessus hic ultra a. 1104. ideo differri non potest, quia anno, 1105., ut vidimus, iam Laurentius Archiepiscopus Strigon. comparet.

## 40.

Ca. 1104. — Seraphinus Archiepiscopus Strigon. moritur.

Functus legatione apud Boleslaum Poloniae Ducem, ut testantur Mss., postquam aeger in Hungariam rediit, diem ultimum currente a. 1104. vixit.

Schmitth. Arch. Strig. I. 47. — Cum fontem propius non indicet, nec alibi id occurrat, legatio haec incerta; annus tamen emortualis, ex iis, quae mox proferemus, recte adnotata videtur.

## IX.

## LAURENTIUS.

1105—1116.

Etiam Laurentium hunc Capellanum antea regium fuisse, Nrus. 31. ostendit. Num et quali ecclesiae praefuerit, antequam metropolitanam sedem conscendisset, dicere non valemus. Schmitthius <sup>1)</sup> quidem inter Chronographos omnino convenire ait, Laurentium a gubernata Agriensi Ecclesia Colomanno notum, Seraphino in munere pastoralis successisse. Sed alibi ipse fatetur, hoc non usquequaque certum esse, simul fontem his verbis indicans: „Laurentium Agriensi dioecesi iure episcopi fuisse praepositum P. Martinus Szentiványi — — suo in catalogo prodidit, cui suffragatur P. Alexander Szörényi in Mss.; sed fontem, ex quo id hausere, non indicant. Hos duumviros secutus sum in editione Archiepiscoporum Strigon., rectene an secus; apud animum statuere nondum possum <sup>2)</sup>.“ Nos equidem nullum, quo hoc firmaretur, diploma offendimus. — Laurentius hic Stephanum II., Colomanni Regis filium, coronaverit quidem, ut Schmitthius <sup>3)</sup> contendit, sed num, prout idem prosequitur, Regnum cum Joanne Palatino, dum Stephanus adolescat, gubernaverit, doceri non potest. Idem auctor porro Laurentium nostrum Ecclesiae Regnique curis fractum a. 1118. diem ultimum obiisse scribit; sed unde hoc hauserit, non adnotat. Chronicon minus Posoniense sec. XIII. mortem eius ad a. 1114. figit. <sup>4)</sup> Certum est, illum a. 1116. superfuisse et viribus adhuc valuisse, cum in castris Regiis versatus fuerit (vide Nrum. 53.); quo postea anno vitam clauserit, incertum.

---

1) Arch. Strig. I. 47.

2) Episc. Agr. I. 48.

3) L. c. 51.

4) Endlicher Mon. 56.

## 41.

Ca. 1105. — Laurentius Archiepiscopus Strigon. per legatum suum interest Synodo Jaderensi.

Ego Gregorius Abbas s. Petri recordationem facio, qualiter interpellavi cum Teobaldo Preposito Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi in Synodo Jaderensi, coram Archiepiscopo Crescentio et Gregorio Jaderensi Episcopo — — et alii plures, qui ibi interfuerunt.

Farlati Illyr. S. V. 53. — Katona Hist. Crit. III. 234. — Fejér Cod. dipl. VII. I. 139. Hi ad a. 1108; Carrara Archivio Capitolare di Spalato. 64. Wenzel l. c. VI. 75. autem ad a. 1103. ponunt. Annus certe non constat; sed ante a. 1005. ex eo servari non potuit, quia hoc tantum anno Colomannus Rex Jadram Venetis eripuit et civitatem hanc prima vice intravit (Farlati Illyr. S. V. 53.), qua occasione etiam synodus haec celebrata fuerit, quia Colomannus, ut Bonfinius testatur (Dec. 2. libr. 5. pag. 239.) „recepta Iadra, ceteros paulo post Dalmatas recepit, quos ut maiori diuturnioreque beneficio sibi obstringeret, ultro libertate donavit, item urbium templa donariis amplissimis excoluit,“ ac ut Farlati (l. c.) ait, praeter ius confirmandi episcopos et Comites, nihil fere sibi reservavit. Facile ergo hunc in finem synodus haec convocata fuerit, e cuius actis praeter fragmentum citatum nihil superest. — Farlati circa hanc synodum sequentia observat: „Aduit itidem Theobaldus Praepositus, idest locum tenens, seu legatus, seu vicarius Laurentii Archiepiscopi Strigon., ex quo intelligere velim, iam tum Archiepiscopos Strigon., qui Apostolici Legati munere fungebantur in universa Hungaria, conari coepisse provinciam Spalatensem sub suam potestatem redigere, cum primum Dalmatia iuris Hungarici esse coepit“ (L. c. et. III. 165.)

## 42.

1107. — Laurentius Archiepiscopus Strigon. ecclesiam Dömösiensem praesente Colomanno Rege consecrat, eumque a capiando Almo duce dehortatur.

Dux autem (Álmos) construxit monasterium de Demes, rogavitque Regem, ut ad consecrationem veniret, et sic factum est. Postquam palatini accusabant Ducem, quod insidias praeparasset, ut interficeret Regem in consecratione monasterii sui, quod et forte fecisset, nisi amici Regis ipsum vigilantissime custodissent. Rex autem iratus, voluit capere eum, sed Reverendissimi Episcopi et alii boni principes, scientes falsum esse, quod ex confictione inimicorum Duci inponebatur, intercesserunt pro eo apud Regem et pacificaverunt eos iuramento, dimisitque Ducem in pace, ut in Bokon venaretur.

Marci Chron. pag. LXXXV. — Thuróczi Chron. II. c. 61. — Katona Hist. Crit. III. 225. — Cum hoc tempore Laurentius Strigon. Archiepiscopatu praefuit, consecrationem huius ecclesiae, Strigonio adiacentis, ille procul dubio peregit.



## 43.

1108. 25. Maii. — Colomannus Rex privilegia Traguriensium iureiurando firmat. „Hoc autem Sacramentum a rege et ab Archiepiscopo (Strigon.) Laurentio et Comitibus Hung. confirmatum est.

Lucius de R. Croatiae 167., Farlati Illyric. Sacr. VI. 323. (sed exmisso Archiepiscopo.) Katona Hist. Crit. III. 229., Fejér Cod. dipl. II. 45.

## 44.

1109. — Colomannus Rex diploma graecum s. Stephani Regis pro monialibus de valle Vesprimiensi confirmans, ait: „Et eadem Dominae in consecratione Chrismatis et olei Ecclesiae s. Strigoniensi pertineant.“

Szerdahelyi Dipl. graec. s. Steph. Budae 1804. pag. 38. — Pray Vita B. Margarethae 222. Katona Hist. Crit. III. 263. Fejér Cod. dipl. II. 46., sed ultimus hic male ad a. 1108. et iterum, sed iam ad a. 1109., VII. I. 141.

## 45.

1111. — Colomannus Rex Hung. iura Ecclesiae Arbensis in Dalmatia confirmat. „Indictione IV. datum est hoc privilegium dictae Arbensi Ecclesiae per manus venerabilis Laurentii, Strigoniensis Archiepiscopi.“

Lucius de R. Cro. 188. Farlati Illyr. S. III. 166. et V. 236., Katona Hist. Crit. III. 276., Fejér Cod. dipl. II. 56.

## 46.

Ca. 1111. — Laurentius Strigon. Archiepiscopus libertatem Dalmatiae Regno a Colomanno rege concessam, cum eodem Rege ante Iadram constitutus, iuramento firmat.

Wenzel Uj Magy. Muzeum 1853. pag. 538. tum Tört. Tár II. 170 et Cod. dipl. Arpad. I. 43., qui diploma hoc a. 1102. exaratum putat; ast illud certocertius a. 1111. datum fuisse id probat, quod omnes episcopi et Comites, in eo occurrentes, etiam in alio eiusdem Colomanni diplomate a. 1111., quo iura ecclesiae Arbensis confirmat, eodem prorsus ordine enumerentur (Farlati Illyr. S. III. 166. V. 236., Fejér II. 56.) Iam autem quis credat, inter omnes hos episcopos et Magnates inde ab. a. 1002., quo nempe diploma hoc exaratum asseritur, usque 1111. nullam prorsus mutationem intervenisse? Sed exarari diploma hoc a. 1002. iam vel ideo non potuit, quia Laurentius, ut vidimus, ante a. 1005. Archiepiscopus Strigon. nondum fuit.

## 47.

1111. — „Temporibus victoriosissimi Regis Colomanni, — — sed et Illustris Archiepiscopi Strigoniensis Laurentii, viri opulentissimi, Philosophiae rivulis gratanter perfusi, facta est discussio de donariis, quibus sanctissimus Rex Stephanus dotaverat monasterium S. Hypoliti de monte Zubur. — — Cumque — — pio rege annuente, causa ventillaretur coram praefato Laurentio Archiepiscopo, inventum est, de totius Nitrie Thelonijs — — — sanctum Regem Stephanum tertiam partem dedisse beato Ypolito. — — — Regnante Colomanno — —, praesidente Strigon. sedi domino L. Metropolitano confirmatum est hoc privilegium s. Ippoliti. — — De aliis Episcopis, qui confirmatores fuerunt, D. Paulus Colocensis — —, D. Marcellus Waciensis, — — D. Felicianus Praepositus Albensis, Robertus Praepositus Strigoniensis — —.“

E Mss. sec. 17. Bibl. Vien. Fejér Cod. dipl. VII. IV. 57.

## 48.

1112. — „Temporibus gloriosissimi Colomanni Regis — — et illustris viri Laurentii, Strigon. Archiepiscopi, — — seditione Acha Ducis Moraviensium sedata,“ Godofredus Abbas Zuburiensis prout potuit, requisivit Colomanum Regem et Laurentium Archi Episcopum quoad rectificandas metas praediorum suorum, quod et factum est. „Regnante Colomano rege piissimo Hung., praesidente Strigoniensi sedi domino Laurentio Metropolitano confirmatum est hoc privilegium s. Ypoliti. — — De aliis Episcopis confirmatores erant: Dominus Paulus Colocensis, — — D. Marcellus Vaciensis, — — Felicianus Praepositus Albensis, Robertus Strigoniensis (Praepositus) — —.“

E Transumto auth. Cap. Nitr. a. 1638. Pray Diatribe de s. Ladislao 31., qui documentum hoc pag. 40. a. 1113; tardius autem mutata sententia, a. 1106. exaratum putat. Katona autem Hist. Crit. III. 214. inter a. 1103. et 1110—1111. collocat. Fejér Cod. dipl. II. 41. et 58. epilogum diplomatis huius post Pray Syntagma de Sigil. 103. ad a. 1113. ponit. Et iterum V. I. 309. e transumto Sigismundi Regis a. 1410. ac tomo VII. V. 84. e transumto Belae IV. 1249. tomo autem VII. IV. 57. e codice sec. 17. ad a. 1111. collocat.

## 49.

Ca. 1112. — Laurentius Archiepiscopus Strigon. cum decem suffraganeis episcopis synodum celebrat.

Incipiunt capitula de synodalibus decretis domini Archiepiscopi laurencij Strigon. metropolitani et decem suffraganeorum suorum.

Cod. Mss. Bibl. Palat. Vindob. Nro. 3455. signatus pag. 99.<sup>b</sup> — 102.<sup>b</sup> — Syno-

dum hanc Pray (Diss. de s. Ladisl. 84.) defigit ad a. 1111., quin ullam causam, cur id faciat, insinuet. Péterffy (Conc. I. 54) eam ad principium a. 1114. collocandam esse demonstrare nititur. Katona (Hist. Crit. III. 283.) autem ad a. 1112. reducit. — E contrario Koller (Episc. Quinqu. I. 382.) eam Laurentio Archiepiscopo his verbis abiudicat: „Mihi videtur id non modo idoneo vetusti exemplaris suffragio destitui, verum etiam repugnare diplomatum fidei, quae iam s. Ladislai aetate praeter Strigoniensem, alterum metropolitanum produnt Baciensem, qui Strigon. Archiepiscopi suffraganeus certe non fuit.“ Batthyányi (Leg. Eccl. II. 120.) vero eam expresse sub Seraphino Archiepiscopo a. 1099. celebratam fuisse asserit. Ocskay autem (Régi M. nyelvéml. I. pag. LXXV.) Canones Codici missalis posoniensis insertos (huius nempe synodi decreta) e duobus, diversis temporibus celebratis synodis coaluisse, nec satis constare, utrum sub Seraphino aut Laurentio Archiepiscopis habitae fuerint, diserte docet, cui accedit Podhradzky (Chron. Bud. 176.) — Inscriptio illa reipsa non comparet in Codice illo missali, nunc Musaei Nat. Hung., ast in Cod. Vindobonensi memorato omnino adest, nec eam, ut Podhradzky (l. c.) vult, recentior manus adiecit, sed eadem quae, totum codicem conscripsit. Codex quidem hic sec. tantum XV. conscriptus est, sed quousque antiquius monumentum in contrarium productum non fuerit, standum pro hoc codice erit. Quare nos synodum hanc Laurentio adscribimus; nec difficultas ob Baciensem Metropolitam per Kollerium, ut vidimus, obmota, sententiae huic obstare potest, quia Archiepiscopus Strigon. qua Primas Hungariae synodum nationalem celebrare ultro potuit. Primas enim, ut Pázmány erudite ostendit, (ap. Péterffy Conc. II. 307.) ita praeest Archiepiscopis, quemadmodum Archiepiscopi sui suffraganeis praesunt. — In defigendo asservatae synodi tempore Stephanum Katona sequimur — Canones synodi huius ediderunt Koller (l. c.) Pray (Diatribae de s. Lad. 211.) Batthyányi (l. c.) et Katona (Hist. Crit. III. 299.)

---

 50.

1113. — Colomannus Rex Álmos Ducem et filium eius Belam obcaecat, ac in monasterio Dömösiensi recludit.

Anno domini 1113. Imperator propter Ducem Almus movit exercitum ingentem et venit in confinium Hungariae — — ut inter eas pacem firmaret. — — Post haec rex reduxit Ducem Almus ad pacem. Confirmata autem pace tandem rex cepit Ducem et filium eius Belam infantulum et obcaecavit eos. — — — Ductus est autem Dux Almus in monasterium suum in Demes. — — — Postea autem (nempe cum mortem sibi imminere rescivisset) iniit rex consilium cum sceleratissimis Mark filio Simae et Achille filio Jacob et cum aliis comitibus, quorum consilio Ducem et filium eius de gremio matris sua extractum, excaecaverat; misitque ex eis quemdam nomine Benedictum, filium Both, apprehendere Ducem, ne forte mortuo rege, ipse ei succederet. — — Cumque Benedictus recessisset, Dux ante monasterium sedebat, plangens dolorem proprium. Qui cum audisset, quod equites festinanter venissent, praesensit animo sibi periculum imminere, et fecit se introduci in monasterium et tenebat manibus altare sanctae Margaritae Virginis, ut saltem pro reverentia Dei et Sanctorum eius eum



inde abstrahere non praesumerent. Benedictus autem, per antiphrasim dictus, sacrilegas manus iniecit in eum et tenentem altaria, violenter extrahebat. Dum quoque sic conaretur extrahere, divulsa est cutis manus Ducis et infectum est altare sanguine. Sacerdotes autem observabant ostia Ecclesiae et volebant illum Benedictum capere. Ille autem hoc percipiens, corde furibundo, quomodo potuit, exivit, et dum festinanter equitaret per silvam Pelys, cecidit de equo et cervice fracta mortuus est et canes eius, qui sequebantur ipsum, devoraverunt carnes eius et ossa.

Marci Cron. pag. 86.; Thuróczi Cron. II. c. 62., Katona Hist. Crit. III. 331. — Álmos hic tardius, regnante Stephano II., in Graeciam fugit ibique mortuus est, ut Chronica sic testantur: Dux Almus saevitate regis Stephani minoris (seu II.) mediam capitis sui diminutionem passus fuerat. Quamvis fuisset obcaecatus, tamen mortem timens de rege Stephano, fugerat in Graeciam. Qui ab Imperatore honorifice susceptus, imposuit sibi nomen Constantinus, qui et ibi iam pridem edificaverat civitatem Constantinam in Macedonia. Et multi Hungari, atrocitate regis Stephani, fugerant ad ipsum. Quo mortuo corpus eius, praecepto regis, Fulbertus episcopus reportavit et in Albensi ecclesia sepelivit.“ Thuróczi II. c. 63., Katona I. c. 417.

## 51.

1113. — Fragmentum litterarum Colomanni Regis de villa Kér.

Item nota, quod in littera Bele regis etc. <sup>1)</sup>: in anno dominis M.<sup>mo</sup> ducentesimo <sup>2)</sup>tercio decimo. Concurrente VIII<sup>o</sup>, <sup>3)</sup> epacta vndecima <sup>4)</sup>, indiccione VI., regnante Colomanno, rege pijssimo Hungarorum, Inter alia hec clausula continetur: In villa Keer est terminus de suburbanis Keer lapis, et alter terminus est in monte, de terra factus; de villa Zelevs est terminus quidam fluuyus Wlscit. Ex alia parte fluij (sic) communem habemus Siluam cum omni prouincia, nomine prudas, et habemus tres Insulas communes similiter, vna Insula Trusmar et aali Insula Syrmit; de villa Iuch est super fluuium Cynrit terminus, terra factus. Super rippam Nytrie est terminus fouea; de villa Scobol sunt termini, de terra facti; de villa Quescu est terminus mons mundi, et de villa kezew est terminus fouea; de villa Thanarnt Iterumque alia villa Thanarnyt et suburbana Kezew; cum hijs villis Comitibus (?) est villa sancti Ipoliti.

E regesto a. 1431. Orig. membran. in Arch. Primatiali Seculari Lad. K. Fasc. 5. Nro. 52. — Edidi Codex dipl. Eccl. Strigon. I. 7.

1) Nempe: continetur.

2) Manifestum hic lapsum calami pro centesimo latere, sequentia ultro ostendunt.

3) Rectius: II.

4) Rectius: I.

## 52.

1103—1113. — Vestigium asservatorum Strigonii ordaliorum.

Quando Nitriensis Comes, nomine Moyses predium, quod Beato Martino (Montis Pannoniae) sancti Stephani Regis gracia concesserat, auferre uoluerat, data est potestas domino Geruasio, eiusdem loci Episcopo, causam discutere — — Inquisitis autem omnibus aduersariisque resistere uolentibus, in urbem Strigoniensem nobis arbiter iudicium ferri iudicauit, ut Deus iustus et immunis iudex iustis iusticiam ostenderet, aduersariosque Sancte domus offenderet. Illa namque luce, in qua ferrum portaretur, nemo illorum, ut lex obuiare constituit, uenit, nosque ilico teste Archiepiscopo Laurencio, ebdomadario presbitero nomine Alberto, Diacono Andrea et Subdiacono Roteno ceterisque testibus, scilicet eiusdem rei arbitro Vidisdino, atque binis religiosi viris, Fiure et Zemera, ad iudicem reuersi fuimus, narrantesque sibi ea, que facta erant cum ipso teste, in siluas — — intrantes, — — metas recuperauimus.

E libro sic dicto rubro Montis Pann. pag. 23. Wenzel l. c. VI. 77. —

## 53.

1116. 13. Maii. — Stephanus II. Rex et Laurentius Archiepiscopus Strigon. e pugna cum Wladislao Bohemorum duce aduerso Marte inita vix fuga saluantur.

Anno dom. inc. 1116. Vngara gens viribus ingens, opibus pollens, armis bellicis praepotens et cum quouis Rege terrarum pugnare sufficiens, Regis sui Colomanni post obitum Principes eius mittunt ad ducem Vladislaum, quatenus cum Rege novello suo Stephano renovaret et corroboraret antiquam pacem et amicitiam. — — Ventum erat Olzawam ad rivulum, qui tam Pannoniae, quam Moraviae dirimit Regnum. Et iam Ungara gens immunerabilis, velut *harena* maris aut pluviae stillae, in campo Lucsko totam superficiem terrae cooperuerant, sicut locustae; dux autem alia ex parte praedicti amnis metatus est castra. Sed sicut ait scriptura: Vae terrae, cuius est puer rex, principes eius per innotatam sibi superbiam aberrantes, ad pacifica ducis verba remittunt responsa magis rixam provocantia, quam pacis osculum ferentia; unde dux illa die ad placitum distulit ire. Illi autem hoc indigne ferentes, et aliter fieri suspicantes, tres armatas, quas vocant hospitum legiones, iubent extra castra ire et pro defensione sua stare ex adversa parte amnis. Dux autem aestimans eos ad pugnam prorumpere, iussit suos arma capere et cicius dicto contra eos terminalem transiliunt amnem. Mox inopina et inprosperata, nec praecogitata atrox et cruenta conseritur pugna — — 3 Idus mense Maio. Ast aliis terga vertentibus etiam ipse dux est in

fugam compulsus. Otto autem et Sobezlau (fratres ducis) — — circuierunt monticulum, qui eos forte dirimebat et repente irruerunt magno impetu super Ungarorum castra, ubi rex et sui procures cum episcopis, nihil scientes de pugna, quae facta fuerat, sedebant, et bibebant et epulabantur splendide. Quid multa? Nisi archiepiscopus Laurentius cum rege citius aufugisset, nec ipse periculum mortis evasisset.

Cosmas Prag. ap. Pertz Mon. SS. IX. 122. — Causam inopinati huius eventus Dubravius (Hist. Boh. I. 11. p. 280.) sic. refert: „Erat tunc Hungarus quidam, sermonis Bohemi gnarus, Solthum vocabant, depravata mente hominem, (qui, ut ait Thuróczi, propter iniquitatem suam de Hungaria fuerat expulsus) cum in utrisque castris libere versaretur, Stephanum Regem, Uladislauque mutua suspitione implevit, quasi per simulationem colloquii alter alterum circumvenire cogitaret.“ Tum enarrans pugnam, addit: „Hic Sobieslaus cum Vacecone (qui Moravis praefuit) e saltu magno boatu erumpunt, ad quem Stephanus Rex primum, mox Laurentius Archiepiscopus Strigon. terga vertunt. — — Comprehensus inter alios impostor, qui in frandem Hungaros Bohemosque illaqueaverat, atque vinctus ad Regem Strigonium perductus est, ut arbitrio suo Rex ab authore infaustae et inexpectatae cladis ultionem exigeret. Quatuor equis ad singulas manus pedesque alligatis, in quatuor partes illum distrahendum, dilacerandumque tradidit.“ — Thuróczi (Chron. II. c. 63.) de diro hoc Solthi supplicio tacet et regem tantum doluisse scribit „quia Solth in eodem praelio mortuus non fuit, qui tanta mala mendaciis simulabat.“ Addit tamen, quod Cosmas et Dubravius reticuerunt, Ianum Palatinum in Bohemos castra Hungarorum devastantes impetum fecisse, „contrivitque Dominus eos in ore gladii Hungarorum et dira morte sauciavit.“





## X.

## MARCELLUS.

1124.

**M**arcellus ante hanc infulam Vaciensi Ecclesiae Pastor praefuit 11 annis; qua vero solitudine, charitate, ex eo colligas, quod ei Ecclesiae omnem domesticam supellectilem, et fundos aere suo comparatos liberali sane animo transcripserit. Haec e Mss. Hevenesianis Schmitthius <sup>1)</sup>, qui in vetustissimo Catalogo e Mss. confecto haec contineri ait: „A. 1119. Marcellus episcopus Vaciensis fit Strigoniensis.“ At quae haec Mss. fuerint, non addit. Katona <sup>2)</sup> illum e Mss. Szörényianis catalogum hunc sumtum suspicatur, ubi plures e vicinis tantum temporibus elenchos episcoporum confectos exstare novit. Catalogus ergo hic nihil probat. Marcellus quidem a. 1111—1112. episcopus Vaciensis erat (Vide Nros. 47,48.) sed quamdiu ecclesiae huic praefuerit, quoque anno metropolitanam sedem conscenderit, quandoque diem ultimum clausit, hucdum eliquatum non est, cum memoria eius ad a. solum 1124. occurrat.

---

1) Arch. Strig. I. 53. — Episc. Agr. I. 58.

2) Hist. Crit. III. 383.

---

## 54.

1124. — Stephanus II. Rex litem inter Henricum abbatem S. Benedicti et Othmarum Comitem Barsiensem, super silvis et aquis exortam, Marcello Archiepiscopo Strigon. discutiendam comittit, ac Nrum 25. transcribit et corroborat.

† IN nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Stephanus, dei gracia Hungarie, dalmacie, Croacie, Gallicie, Bulgarieque Rex, Colomanni regis filius, omnibus, presentes litteras inspecturis, salutem in perpetuum. Quoniam sancte religionis indicium <sup>1)</sup> sanctam iussit opibus ecclesiam condonari, donataque pacifice et integra conseruari, ne ibi deum contemplantes propter ciborum uel potuum defectum, aut eorum, que fragilibus necessaria sunt corporibus, relicto diuine contemplacionis affectu, uitam redire cogantur ad actiuam. Proinde omnium sancte dei ecclesie fidelium, tam presencium, quam futurorum, uolumus adtendere noticiam, Quod lis orta fuit super siluis, uenacionibus, aquis et piscacionibus, inter othmarum Borsensem comitem et hericum abbatem monasterii sancti Benedicti de grana, pro quibus idem abbas de conuiuenencia (sic) sui conuentus predictum comitem ad nostram adtraxit presenciam, nobis super occupacione siluarum et aliarum utilitatum, ad predictum monasterium sancti Benedicti pertinencium, querulando. Tandem ipsam litem domno <sup>2)</sup> marcello archiepiscopo strigon. cum ceteris episcopis et nostri regni primatibus commisimus discutiendam. Coram quibus predictus abbas priuilegium recolende memorie Geise regis, aui nostri, exhibuit dicens, quod ius et utilitas predictarum siluarum, ex utraque parte fluminis Gran, cum aquis et piscacionibus, ex donacione predicti Geise regis, aui nostri, ad sancti Benedicti monasterium pertineant, quod priuilegium idem archiepiscopus nobis presentauit, postulans, ut idem priuilegium ad maiorem euidentiam in nostra et omnium audientia legi faceremus; quo diligenter perlecto, compertum est, quod predictus rex Geisa, auus noster, intra metas seu terminos, quos omnipotenti deo, beate Marie semper uirgini, sanctoque Benedicto obtulit, nulli hominum ius uenandi, piscandi, seu utilitates aliquas percipiendi, sed solum monasterio et suo abbati reliquit. Nos autem cum predictum monasterium sancti Benedicti, quod auus noster predictus magno amoris desiderio construxit, in suo statu conseruare cupiamus, hanc cartam, ex illo scriptam, decreuimus corroborare talis tenoris:

Sequitur Nrus 25.

Ne igitur huius priuilegii renouacionis corroboracionem quisquam in posterum impugnare presumat; presentibus domno marcello archiepiscopo stri-

1) Transumptum Uladislai II. Regis a. 1505. iudicium.

2) Ib. domino.

gon. et episcopis Gregorio, geruasio, feliciano, nana, ambrosio, Simone, Walthero, fanchuka; <sup>1)</sup> Comitibus lamberto, magnoldo, acus, paulo, nicolao, presentem paginam per petrum prepositum ecclesie Budensis sigillo nostro proprio iussimus communiri. Anno ab incarnatione domini millesimo centesimo XXIII-to. Anno regni nostri nono.

E transunto Andreae II. Regis a. 1217., vide Nrum. 220. — Conclusionem exhibent Schmitth Eppi. Agr. I. 59. Katona Hist. Crit. III. 399. — Integre Fejér l. c. II. 67., extr. VII. V. 96.

---

55.

1124. -- Stephanus II. Rex libertates, Tragurinis et Spalatinis a patre suo Colomanno concessas, cum Episcopis et Regni Primatibus confirmat: „Ego Marcellus Strigon. Archiepiscopus, laudo et confirmo.“ — —

Lucius l. c. 187., Katona Hist. Crit. III. 399., Fejér Cod. dipl. II. 80.

---

1) Ib. Frachuka.



## XI.

## FELICIANUS.

1127—1139.

**J**uxta Schmitthium <sup>1)</sup> et qui eum sequitur, Antonium Szeredai, <sup>2)</sup> administraverat Felicianus prius Transilvaniae episcopatum, „in eo Belae regis favores meruit, dum eum exulem hospitio perbenigne excepit, miraque industria natales Principis celavit.“ Ast e diplomate Gyejesae II. huius Belae filii, a. 1158. apparet, Belam, cum pater eius Álmos ob crudelitatem Stephani II. in Graeciam se recepit, non in Transilvania, sed in monasterio Pécsváradiensi delituisse. <sup>3)</sup> Schmitthius ergo hic erravit, nec prior eius assertio fidem meretur, cum Felicianus in nullo diplomate episcopus Transilvaniensis scribatur. Fuerit primum a. 1111. praepositus Albensis (Vide Nrum. 47). Illum tamen antequam metropolitanam sedem conscendisset, episcopum fuisse, sed incertae sedis, Nrus. 54. ostendit. — Schmitthius <sup>4)</sup> et Fessler <sup>5)</sup> Felicianum hunc Gubernatorem Regni cum Belus Palatino, dum Gyejesa II. puer sceptrum regni 1141. suscepisset, constitutum perhibent; sed certum hoc ex eo non est, quod Feliciani memoria ultra a. 1139. non occurrat. Prorsus autem falsa sunt, quae de illo ad a. 1143. ita profert: vexaverat saevissima fames Hungariam Hungariaeque annexas provincias. Mox ille (Felicianus) quidquid in horreis erat frumenti, ad fundum exhausit. Szörényius in Mss. se legisse ait: Felicianum quinquaginta mille modios per Hungariam et Transilvaniam divisisse in miseros.“ Felicianus anno memorato in vivis iam non exstitit, nec fames anno hoc, verum a. 1148. Hungariam afflixit <sup>6)</sup> — Quo anno vitam clausit, incertum; certum tamen ex praedictis ultro est, Schmitthium nimis aberrare, dum eum a. adhuc 1149. in vivis fuisse asserit.

---

1) Arch. Strig. I. 58.

2) Series Epist. Trans. 3.

3) Fejér II. 151.

4) L. c. 60.

5) Gesch. d. Ung. II. 51.

6) Katona Hist. Crit. III. 591.

## 56.

1127. post Febr. — Stephanus II. Rex interveniente Feliciano Archiepiscopo Strigon. pacem Conrado Salisburgensi Archiepiscopo concedit.

Videns marchiam (Stiriam inferiorem archiepiscopo Salisburgensi subiectam) Vngarorum excursione in solitudinem redactam, pacem cum rege eorum firmissimum fecit. — — — Semel namque eruptione solita Hungarorum id contigisse inde recordor, quod pro hac re nuncius in Vngariam factus, auxilio archiepiscopi Strigon. Feliciani, in tantum profeci, ut iubente rege, tam valida interminatione, ut si quis bonum de captivis detineret, pro captivo ipse captivus fieret. — — — Sciendum autem huic rei non minimum opitulatum fuisse timorem archiepiscopi. Quia quum in marchia eo tempore positus fuisset cum episcopis Ratisbonensi Chunone, Eckenberto quoque Monasteriensi de Westphalia, necnon et Gurcensi Hildeboldo, aliisque nonnullis principibus; fama cucurrerat per totam Ungariam, et tam principes, quam universum populum in timore maximo posuerat eo, quod cum exercitu infinito marchiam intrasse diceretur, ut totam terram Ungariam invaderet et usque Strigonium, quae metropolis est regni illius, nihil vivens relinqueretur, in ultionem populi sui in captivitatem abducti, atque iniuriam violati foederis, quum adversus Vngaros ipse nihil mali commisisset. Quum enim ad memoratam civitatem venissem et tam Archiepiscopum, quam universum populum in tali anxietate invenissem, mihiq[ue] diceretur, quomodo ausus fuisset intrare terram, quam spoliaturus venisset dominus meus; nec illos securos omnino facere volens, nec dominum meum hoc, quod timebant, facturum omnino negans, respondi: non sic venit Dominus meus hoc tempore, sed potius expectare disposuisse, si redditis captivis, foedus initum servare vellent. Hoc responso audito, nuncius ad regem dirigitur, qui tunc in marchia Ruthenorum morabatur, et sub festinatione captivi omnes cum universa praeda terrae suae restituuntur.

Biographus Conradi Archiepiscopi Salisb. ap. Hansiz Germ. S. II. 223. — Katona Hist. Crit. III. 419. — Schmitth (Arch. Strig. I. 62.) erronee ad a. 1146. commemorat.

## 57.

Ca. 1130. — Felicianus Archiepiscopus Strigon. silvam quamdam episcopo Zagrabiensi adiudicat.

Vide Nrum 59. — Hoc circ. anno id evenisse existimat Katona Hist. Crit. III. 454.

## 58.

1131. — Fila, carens haerede, praedium Örs ecclesiae Vesprimiensi donat „Regnante victoriosissimo rege Stephano, Archiepiscopatus autem dignitatem obtinente Feliciano, Vesprimiensi vero presule Venerabili Nana.“

Fejér IX. VII. 631., ubi diploma hoc absque nota temporis exaratum, huic anno adscribitur.

## 59.

1134. post 26. Apr. — Felicianus Archiepiscopus Strigon. silvam de dumbroa, ecclesiae Zagrabiensi adiudicat.

In Nomine patris et filii et Spiritus sancti. Amen.

Regnante nobilissimo rege Iadisclauo, Strigoniensis uero ecclesie primatum acha gubernante, et Baaciensi Archiepiscopo fabiano existente, Besprimiensi episcopo Cosma, Pallatino Comite Iula, Semegiensi comite Grab; predictus rex diuina gracia inspirante, horum ceterorumque nobilium consilio Zagrabiensem constituit episcopatum, videlicet ut quos error idololatrie a dei cultura extraneos fecerat, episcopalis cura ad uiam ueritatis reduceret. Ad instruendam ergo huius plebis ignoranciam quendam boemicum uenerabilis uite uirum, Nomine Duch, idoneum repperit, quem eidem ecclesie pastorem per suum c(apel)lanum Fancicam delegauit, qui et illi ecclesie officinarios de Semigiensi et Zalensi comitatu ordinauit. Preterea alter capellanus, Cupan nomine, precepto eiusdem regis dedit eidem ecclesiae populum de dumbroa cum terra et silua sibi appendente. Transacto ergo non paruo tempore, regnante rege Stephano, predicto uero fancica illius ecclesie episcopatum tenente, a quodam uiro, nomine Sudengna, de predicta silua ecclesie iniuria illata est. Quod episcopus egre ferens, ad regis patrocinium confugit, qui totam causam Feliciano Strigoniensi archiepiscopo discutiendam commisit. Illius ergo ecclesie aduersarii ad iudicium uocati, cum ad determinatum diem uenire nolissent, nec L. <sup>1)</sup> pensas secundum legem terre persolvere potuissent, archiepiscopi iudicio predicta silua per pristaldum, ysaac nomine, ecclesiae restituta est, et quamdiu fancica illi ecclesiae prefuit, nullus ei ali(quam) iniuriam inferre presumpsit. Defuncto ergo rege stephano, piissimus Bela, diuina gracia largiente pannonie sceptrum feliciter gubernanda suscepit, cuius gracia predictus fancica ad baaciensem archiepiscopatum translatus est,

1) i. e. 50.



Zagrabiensi uero ecclesie Macilinus iherosolimitanus Canonicus episcopus ordinatus est. Tercio igitur episcopatus sui anno Adilbreth, frater Kaladini Comitis, Sumigiensis Comes, una cum clauisa et Petro fratre eius et sudangna, aliisque quam pluribus eiusdem terre melioribus de predicta silua in concilio Waradensi, tempore Walterii episcopi, ante Felicianum Strigon. archi episcopum litigium renouauit. Cuius iudicio II episcopi, uidelicet Fancica Baaciensis et Macilinus Zagrabiensis, Salua episcopali dignitate pro iusticia sancte ecclesie ueritatem dixerunt, III uero de nobilioribus eiusdem ecclesiae, scilicet Barkis, Mahal, Dersihna, Super sacrum altare Waradiensis ecclesie in presencia Canonorum iurauerunt, a u g u s t i n o Strigon. ecclesie canonico existente pristaldo. Quod factum est anno dominice incarnationis M. c. XXXIIII. Epacta XXIII. VI. kalendas Maii. Archi episcopus uero uolens suum iudicium immobile permanere, Alterum eis pristaldum, nomine Marcellum, filium gira comitis dedit, qui priore pristaldo, scilicet predicto ysaac premonstrante, singulas metas renouauit, et ecclesiae siluam ea condicione restituit, ut nullus in ea omnino sine consensu episcopi quicquam agere presumat uel uenando, uel aliquid de ea auferendo, uel intromittendo. Huius rei testes sunt archiepiscopi iudicio assidentes: Nicolaus (Ni)triensis episcopus, Euzidinus Comes de saunic, Geuril filius Andree Comitis, Laurentius filius Salomonis, Canoni(c)i Waradie)nsis ecclesiae, Benedictus Custos, Opus Decanus, Sebastianus.

Sig. cum zona avulsum. Orig. atro caractere nitidissime exaratum, sed iam exesum, in Arch. AEppatus Zagrab. Priv. Nro. 1. — Edid. mendose Kercselich Hist. Eccl. Zagrab I. 1., inde magis erronee Katona Hist. Crit. II. 484. et Fejér Cod. dipl. I. 484., Theiner e reg. Pont. pariter erronee. Tandem recentissime Tkalcic Mon. Hist. Episc. Zagrab. 1873. I. pag. 1. — De synodo Waradiensi, quae hic commemoratur, nihil aliud hucdum innotuit.

---

60.

1135. — Lampertus Comes cum uxore sua Sophia, sorore s. Ladislai Regis, et filio suo Nicolao, „glorioso Stephano II. regnante, Feliciano uero venerabili viro, Archiepiscopo Strigon. existente, coenobium (Bozokiense ord. Premonstr.) construxerunt,“ cuius bona confirmat Bela II. „Feliciano quoque Archiepiscopo Strigon. existente.“

Pray Diatribe de s. Ladisl. 155., Katona Hist. Crit. III. 493., Fejér Cod. dipl. II. 82. — Eodem anno in alio quoque diplomate primus inter magnates, qui personaliter aderant, commemoratur. Fejér II. 86. Tum in tertio quoque huius anni diplomate etiam occurrit. Wenzel I. 50.

## 61.

1136. — In conventu Aradiensis agente Helena regina de Belae II. caecitatis auctoribus cruenta vindicta sumitur et occisorum bona ecclesiis dividuntur.

Facta igitur hac voce (reginae expostulatione) irruit omnis populus super illos barones, quorum consilio rex obcaecatus fuerat, et quosdam ex ipsis ligaverunt, quosdam vero detruncaverunt. Sexaginta autem et octo profanos ibidem crudeliter occiderunt et omnes successores eorum tam viri quam mulieres eodem die sunt registrati. Insuper omnis illorum possessio ecclesiis cathedralibus est divisa.

Marci Chron. pag. XCII. — Thuróczi Chron. II. c. 64. — Chron. Bud. pag. 184. — An et quid hac occasione ecclesiae Strigon. donatum fuerit, nullibi adnotatur.

## 62.

Ca. 1136. — „Rex Bela (II.) inclitus in conventu Strigoniensi, ubi filio suo Ladislao communi regni consilio Boznensem Ducatum dedit, in insula Abbatiae monialium, ubi ecclesia s. Mariae, Archiepiscopo Feliciano praesidente, et ceteris episcopis praesentibus, scilicet Machario, Saulo, Martyno, Petro, Waltero, Zachaeo, Macelino, et curiali comite Franzello — „ facultatem disponendi de rebus suis comiti Martino concedit.

Pez Cod. dipl. VI. 355., Katona Hist. Crit. III. 503., Fejér Cod. dipl. II. 88. — Moniales hae hic prima vice occurrunt.

## 63.

1137. — Felicianus Archiepiscopus Strigon. ecclesiam B. Martini Sacri Montis Pannoniae consecrat.

„Quondam eciam eadem Ecclesia Divino iudicio combusta, nostro vero tempore studioso labore et impensis David, a nobis constituti eiusdem loci Abbatis, reparata, meliorata et amplificata, cum me iubente, me presente reconsecraretur ab Archiepiscopo Feliciano aliisque Episcopis admonitus,“ eam dotat. — „Acta sunt hec a. incarn. 1137. — celebrato Pascha tercio Idus Aprilis.

Diploma Belae II. Regis. Wenzel I. 53—54. — Fejér II. 86. et VII. V. 108. — Novák Vindic. 108. — Katona Hist. Crit. III. 511. —

## 64.

1138. 24. Maii. — Innocentius PP. II. Gaudio Spalatensi Archiepiscopo: „Examinatio et consecratio Salonitani Archiepiscopi ex antiqua institutione ad Romanum pontificem specialiter spectaret. Quocirca in sanctam Romanam Ecclesiam grauiter deliquisse et clauis B. Petri ausu temerario evacuare voluisse dignosceris, dum sprete dignitate sedis apostolicae, ad aliam prouinciam conuolasti, et contra veterum consuetudinem a Strigoniensi Archiepiscopo consecrationem suscipere attentasti.“

Lucius I. c. I. III. 216., Katona Hist. Crit. III. 525., Fejér Cod. dipl. II. 113. — Chmel ex orig. in Arch. Caes. Reg. Vindob. XVI. 2/33. — „Fuit autem Gaudius iste — ut Thomas Archidiaconus Spalatensis testatur (Hist. Salon. c. 19. apud Schwandtner Scriptores rer. Hung. folio. tom. III. 558—559.) — gratus satis apud reges Vngariae; quippe, ut elatus homo, eorum curias frequentabat. Ordinatus fuit a. d. 1136.“

## 65.

1138. 3. Sept. — Bela II. Rex Praeposituram de Dömös a patre suo Álmos duce inchoatum, consumat, ac donationes a patre suo factas confirmat et auget.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Regnante domino nostro ihu. xpo. Anno autem gloriosissime incarnationis eius M. c. XXX. VIII. Indictione prima, Epactis XVIII. concurrente V., Regnante Serenissimo et uictoriosissimo Rege Bela secundo, bone memorie Almi Ducis filio, cum Elena Regina clementissima, Anno autem Regni eorum VII., Feliciano autem sancte Strigoniensis ecclesie Archiepiscopo, Petro sancte Wesprimiensis ecclesie Episcopo, Saulo sancte Dymisiensis ecclesie Preposito, Fonsol filio Bozete. Comite, Georgio filio Cronik Curie Regalis officia disponente, Euscidi Albensis Ciuitatis Comite, Idem Bea Rex pijssimus cum Ellena Regina nichilominus pijssima et cum prenotatis nobilibus et compluribus Episcopis et Comitibus et multis Regni sui optimatibus, prouidenter et satis prudenter interius et exterius ordinauit ecclesiam Dy(misiensem, quia pater suus (recolende memorie Almus dux ad laudem domini nostri ihu X. sub titulo beate virginis et martiris Margarete fabricauerat quidem sed multis aduersitatibus suam uoluntatem bonam prepedientibus inuitus inordinatam derelinquerat. Igitur hee sunt Mansiones seruorum, quos Almus dux sue dilectissime Dymisiensi donauit ecclesie, (ut Canonici in eadem ecclesia die ac nocte seruiantibus, uictum ministrarent cottidianum.

In villa Cuppan hee sunt mansiones seruorum, qui preposito et Canonicis Dymisiensis ecclesie dant panem: Bezenehdi, Bodor, Waridan, Hurcik, Sipus,



Jarudi, Jutomuz, Thomas, Kaku, Isep, Japuh, Widuta, Micula, Salin, Lukeu Petir, vlues, Serugdi, Madasa, Fulbert, Buhre, . . . . Fired(i, li)pudi, daus, Numel, Budisa, Gokudi, Siccedi, kicendi, Adrian, Beku, aliter Petrit, Egid, Ipo-, rend, Remen, Benia, Emun, Selmer, Sene, Eulegen, Puke, Merasa, Dume, Vrbas, Kudusti, vzadi, Fiadi, Patkan, Sambuh, Bucu, Tulohi, Numhw, Wilmos, vlos, Gekeu, Selle, Symien, Mogdi, kutos, Baka, Bata, Japuh, Macharii . . . . di, Arschi, Sa . . , Sixti, Kusidi. Hij omnes cum terra et silua et vineis dat, sunt.

In villa Humul: vluesa, vendeg.

In villa Kinusti: Wendu, vgrin, wieteh, Myze, Tursol.

In villa Edelin: Feles, Cunos, Laurenti, Pilop, Egudi, Lengen, Samsin, Went, Vrus, . . ke.

In villa Neku: Samson, Alex.

In villa Suran: Medue, Clemens, Cled, . . .

(In) villa Kunda: Soulum, Stephan, Martin, Dienis, Bagan, vradi, vitalis.

In villa Sari: Bekes, Celgu, Lengen, Werde Euzdi, Cosu, Laurenti, Mogus, horum maior, Wokol.

In villa Diarugsa hec sunt nomina seruorum: Saslau, Hazug, Inque, Albeus Wogdi, Ricimam, Bacus, . . . oi, Cuppan, figudi, Cepti, Ipolit, Grab, Weices, Salamin, kesut, . . . . Wadis, va . . , kracin, Pucit, Monoudi, Debe, vros, Cepes, Toluha.

In villa Kara: Beruei, Curpadi.

In villa Gudas: Berici, Apadi, Myradi, Munkadi, Selledi. Boba, Egudi.

In villa Sanas: Lila, Satadi, Walan, Simian, Samudi, Wid, Salamin.

In (villa) . . ad . . uel, Glombudi, Capas, Sebudi, Suk, Vlas, Almus.

In villa . . Clemens, He . . , Benete, Peta, Kotu, Bulgan, Sebe, Damian, Nasa, Koidi, Gune.

In villa Kinisti: Bokon, Nemhuu, Fintu, Laurenti, Saladi.

In villa Kerbui: Beatus cum filio suo, Sesu, Micula, Vtos.

In villa Suca: Scundi, Micus.

In villa Hust: Elus, Beke, Muncadi, . . l, Mauricius, Endus, Izmen, Scemet, Maradek, Lodus, . . sar, Brana, Samudi, . . da, fintu, Wid, Bodus, Scemet, Mahal, Salamin, Alup, Mogdi, Stephan, Esu, Matheus, Lega, Lucus.

In villa Maristi: Manku, horum maior Sundi.

In villa Kalsar hec sunt nomina seruorum: Jereslau, Kepis, Gudi, kaka, Janis, Simon, alter Kepis, Kimudi, Isaac, . . umas, Laurenti, Lapudi, Geudi, Kazmer, Opus, Janus, J . . . . ad, hij cum terra sua dati sunt.

In alia villa Kalsar: Tascadi, Bulsoudi, Wercei, Gabus, Hozileg, Gorsu, Petuse, Kusdi, vta, abel, Pentuk, Sue, hij omnes cum terra sua dati sunt.

In uilla Hedek cut: Janus, Helte, Gerolt, Bandi, Suuledi, Fiegdi, Mauog,

Dius, Benedic, Beledy, Su . . . ehti, Naiadi, Resedi, Embel, Lewedi, Aruhdi, Lusadi.

In villa . . aburian, Butu, Vza, Huala, Meinolt, Beneta, Dume, Nanai, Scetu, Sebu, Bena, Biqua, Sixti.

In uilla Kana: Macidi, Hotus, Cehudi.

In villa Tupundi: Maradec, Ipuh, Beza, Rencev, Lucas, Radi, Bue, Rede, Sedeneg, Magici.

In villa Timguldi: Kewe, Legue.

In villa Atila: Dius, rdeidi.

In villa Tohu: Besedi, Holudi, Hodus, vecesdi, Hom . ., Saul, Dume, Vgrin, Zadur, Embel, Busadi.

In villa Humur: Dan, Buzaudi, Tubu, Pusti, Huci.

In uilla Kucetu: Keme, Petir. In uilla Sagu: Saul, Hous, Sourad, Martinus, Weicel, Wehidi, Wendeg, Petir, Paul, Mogu, Stephan, cum filio suo, Etes, Rutiman, Stephan, Horum maior Ipsa est.

In villa Hodus hec sunt nomina seruorum: burdis (?), Behis, Osci, Ebedi, Wasadi, Naiudi.

In villa Kobu: Curpas, Nemhw, Antu, Farkas, Euzen, Vsu, Bokon, Cegu, Bokolou, Kesa.

In villa Degu: Vlues, Bizau, Lusa.

In villa Fekete: Japusa, Sceten, Cenenez, Sorgze, Bucicu, Cegu, Buci, vros, Mogdi, Biuh (?), Wacdi, Janus, Isadi, Resu, Samudi, Mawag.

In villa Sagu: Tos, Mogwa.

In villa Ruosti: Symon, Ilen, Cele, Bere (?), Juanis, . . . ., Radi, Risun, Dice, Cusapa, Recedi, Calpas, Vlues, Soludi, Vgrin, Fugdi, Vzdi, Abus, Subudi, Feledi.

In uilla Gan: Atakur cum alijs septem mansionibus, vel duos operatas domos dant, vel mille asseres per annum.

In Ciuitate Naugrad: Stephan, Sokol, Kenesu, Seznete cum fratre suo.

In villa Bela: Geke, Wisa, Tebus, Cauka, quorum maior Baiadi.

In villa Geu hec sunt nomina seruorum: File Bene, Wandi, Rece, Bulsu, Gengu, Gerolt, Cutti, Mogdi, Sileu, Hadagi, Hokus, Sobolci, Fintoi, Iwedi, Gali, Moglow, Imes, Surgudi, Kesedi, Taudi, Vlcan, Hadagi, Cabadi, alter Cabadi, Cosu, Bene, Cencu, Janus, Cegedi, Zadar, Isauidi, Samsin, Kuledi, Bula, Subudi, Tehel, Ernei, Boion, Mihal, Zeha, Hwruat, Hualata, Maglov, Maraut, Lengen, Arunt, vrovdi, Janusti, Heimu, Sauldihama, Cehti, Jacau, Sampat, Wekudi, Bedu, Be-se, Egirih, Tuca, Abram cum fratribus suis, Weiteh, Mihal, hij omnes cum terra sua dati sunt.

In villa Tapai: Bogin, Egr . ., Apa, Sotu, Morau, Hiskedi, Legudi, Ba-

sa, Egebendi, Idegdi, Jakau, Japuh, Cracin, Tumas, Gube, Hoduka, Vetus, Mortin, Cosu, fotiodi.

In villa Sakani: Tortou, vtwendi, Lesudi, Cuzma, Damian, Marcel, Martin, vlas, Kene, Hercu, Loutu, Poson, Fugou, Vros, Celene, Sipzeu, hij omnes cum terra sua dati sunt. Horum maior Ab(ram?), voreod cum filijs suis.

In villa Lingu hec sunt nomina seruorum: Nulos, Euzen, Cepudi, Haladan, Puci, Zadar, Kinis, Ibrum, Mortin, Babisa, Dubur, Silte, Bedus, Samudi, Zatadi, Ekees, Cibe, Demus, Dumku, Budi, Beleg, Besenudi. Simon, Apa, Daud, Janus, Hesedi, Mihudi, Gedi, Benus, Dimisa, Cepis, Quadan, Tuma, Si . . . di, Budi, Cubos, Guden, Jacob, kusti. Pucudi, vthoris, alter Dimus, Simun, Martin, Kobu cum filijs suis, Gertu, Miscu, Sene, Suda, Embel, Turcu, Simon, hij omnes cum terra sua dati sunt.

In villa Bata: Gabriel, Kehen, Ogus, Wasas, Weitech, Elus, Paul, Mirasa, Elees, Mercudi, Benedi, Otus, Moris, Kuette, Simun, Na . . . , Fonusu, Janus, Keuerug, Vrink, Tama, Vrusti, Mahali, Lampert, Geu, Stamer, Muncadi, Samsin, hij omnes cum terra sua dati sunt.

In villa Kuleser: Pucus, Janus, cum XVIII. mansionibus, debent dare per annum L. porcos, horum maior Cobu est.

In villa s cer hec sunt nomina seruorum, qui dant panem: Gurtin, Furna, Kuteles, Wosas, Mimca, . . . , Embel, Sixti, Surandi, Micula, Waltaudi, Bandi, Bese, Tabus, Bahatur, Wadadi, Ehine, Tulhoidi, Zeher, Budus, Bedi, Mogdi, Bati, Ceke, Scerecin, Buheteg, Egus, Cetin, Beken, Totti, Oundi, Guursi, Beris, Itwan, Ceket, Sele, Warang, Micic, Buus, Vnci, Getu, Munca, Kulondus, Matheuis, Nue, Seter, Ese, Be . . . e, Ticla, Embel, Mihali, Stephan, Soina, Marcus, Cimor, Sunthei, Keuerreg, Selez, Samsin, Berendi, Apadi, Heium, Sumbot, Sidemer, Scegun cum fratre suo, Sebastianus, Hij omnes cum terra sua dati sunt.

In obad: Mihal, vros, Budi.

In Cetihida: Cotu, Jacau Iruge.

In villa Herudi: Tiburci, Zamar, Ehudi, Buloc, . . . , Cupan, Eubag, quesudi.

In villa Babusa: Magici, Gumba, Wanis, Keseudi, Pazari, Fikura, Rulou, Vldurih, Vand, Bulsu, Halaldi, Lougudi, Ketil, Endrei, Sumadi, Hij omnes cum terra sua dati sunt. Horum maior Scegun.

In villa Geysce hec sunt nomina seruorum: Embeldi, Ete, Cene, Olup, Turidi, Kasa, Kacu, Obus, Oba, Kinis, S . . . , Daud, Busco, Fermenis, Apa.

In Cutti: Fekete, Fiust, Casu, Fele, Reuceg, Geurci, Peter. Hij omnes cum terra sua dati sunt.

In villa Hetten: Egus, Machali, Budeti, Koaliz, Matheus.



In villa D o b o z : Ecil, Baiadi, Lusadi, Sulucti, Buroi(?), Pazari, Albun, Cobu, Abram.

In villa S u r c u d i : Janust, Mihaldi, Scefu. Cucu, Petus, Abadi, Bud . . .  
... pus, Sumdi, Odus.

In villa C e r e p : Guku, Munas, Sumdi, Bebusti, Damian, Sarlaudi, Casadi, Luas, Hadi.

In villa S i m u r sunt VII. mansiones preconum, quorum nomina sunt: Sidermer, Marcus, Feledi, Wersendi, Dume, Fabian, alecal, Bantas, Vzund, Mamadi, vin, Gugu, File, Saba, Cunolk, Eldi, Mogdi, Keuerig, Buba, vsa, vraia, Michudi.

In villa T a m a c h : Siholt, Suda, Tumas, Bolosoy, Lengen, Sumbboth, Martin, Heunes, Legia, Pateneg, Silte, Petus, Latus, Bulsu, Pentuk, Crachin, Alekal, Tume, Tusedi, Martin, Suente, Etretika, Oeke, Opudi, Tosu, Tuke, vradi, Behu, vdelew, Perlucke, Simun, Stephan, Kuut et Filedi, Bandi cum fratre suo. Hec villa cum sua terra data est. Horum maior Bandi. Hij omnes prescripti serui debent dare decimas, sed vna queque mansio debet dare per annum duas Oues, duos Cubulones farine frumentine et duos Cubulones Cernisie bone et I sal, villa autem Tahu et villa Kalfar et villa Hedekent et alij serui, qui habitant in villis, que sunt Circa Cuppan, debent dare per Annum LX Cubulones Marcij, sed qui laborant in vineis, marcium non dant.

Circa Ticiam villa G e u cum alijs suis socijs debent dare per annum XXX cubulos marcij. Villa L i n g u cum alijs consocialibus suis debent dare XX cubulos marci. Villa E t e r cum alijs consocijs suis debent dare XXX cubulos marcij. Villa G e i c h e cum villa D a m a g et cum alijs conlaboratoribus suis debent dare XXV cubulos marci. Villa H u d u s et villa R u o s t i et villa C o b u et villa F e k e t h e cum alijs conseruatoribus suis debent dare X cubulos marcij. Omnes isti prescripti serui Parietes et coopertoria ecclesie uetustate dilapsa, debent renouare, Officinas Claustri vel nouas vel inueteratas edificant. Ouile construere, uiuarium et claudere vel effodere, Fenum secare annuatim, secundum preceptum prepositi vel Decani debent. Omnes isti predicti serui in festo beate Margarete debent dare porcionem festiualem, scilicet quatuor boues pingues et XXX oues pinguissimas, XXX anseres et XL gallinas et XX Petras Salis. Item in natiuitate domini debent dare XX anseres et XL gallinas et X Petras Salis. Item in Pasca domini dant XX anseres et XL gallinas et X Petras Salis.

Hec sunt nomina seruorum, qui debent seruire preposito cum suis curribus: In villa D u r u g s a : Keuerug, Naschadi, Samsin. In villa B o t i : Fabian, Kerehu, Jerasa, Vbes. In villa K a n a : Sebedi, Haladi, Obus, Adus, Farcasti. In villa T u p u n d i : Pete, Merke, Herman, Mirei, Pentuk. In villa K u c e n : Cicadi, Emudi, Sounik, Vrasag, Horuat. In villa C u m a : Bugudi, Matheus, Buciku, Petus, Caben, Furnos, Isep, Gabadi, Hemudi, Celugu. In villa

Kalsar: Vleu, Biquera (?), Citar, Dubos, Gatadi, circa Ticiam In villa K e-  
rudi: Fele (?), Geme, Weiteh, Vara, Wasoas, Kakasti, Ticudi, Dersi, Jacudi,  
Matheus, Rasudi, Bene, Mihaldi, Farcas, Dimiter, Finta, Wagdi, Wensu, Ma-  
wag, Kuette.

Hec sunt nomina Pistorum in villa Meiri: vrabag, Kimis, Halaldi, Mun-  
casci, Scege, Gukus, Tenkudi. In uilla Hedegcut: Cesar. In villa Hede-  
len: Kinis, Gonoidi. In Strigonio: Milost. In uilla Eneg: Cazmer. In  
Dimis: Cigu.

Hec sunt nomina coquorum: In uilla Kucev: Keseudi, Mogir, Vros, Li-  
pe. In villa Cuppan: Moiscin. In Babisa: Cehti, Kila, Mawog, Feidi, voras  
(?), Micusa. In Geu: deus. In Dimis: Cipcu, Jeraslau, Scura. In uilla K ur-  
tu filius et frater vrbaz.

Hec sunt nomina eorum, qui in (sic) fratribus in Dormitorio et in refe-  
torio deseruiunt: In uilla Morusti: Weiteh, Laurenti, Ipolit, Nemereat, Ba-  
nus, Jacob, Fili, Nicolaus, Heseudi. In uilla Dalmadi: Batti. In uilla Tun-  
gulti: Japudi. In uilla Suran: Farcas. In uilla Cuppan: Wendeg, Abel, Gurk.  
In uilla Hudus.

Hec sunt nomina tornatorum: In uilla vrsi: Gittu, Gurgu, qui in festo  
s. Margarete dant, similiter et in natiuitate domini d. scutellas. In uilla Ati-  
la: Deuecher, Telhe, qui in festo sancte Margarete et in natiuitate domini  
et in Pasca dant per annum de. Scutellas: Zuan cum filiis suis.

Hec sunt nomina agasonum, qui preposito seruiunt: In uilla Herudi:  
Adrian, Wig, Cule, Subudi, Beke, Cusadi, alter Beke, Bulsu, vrchudi, Budi.

Hec sunt nomina agasonum, qui fratrum equos custodiunt: Jarundi cum  
filio suo.

Hec sunt nomina Campanistarum: In uilla Durusa: Ruki, Guden, Vza-  
ri, Endere, Simun, Tarsadi, Weiteh, Egus. In uilla Warang: Sebastian, Wa-  
ga, Maradek, Emun, cum fratre suo, forcost, Irugdi. In Gedas: Weiteh, Ale-  
ka, Nencim, Leurenti, Tapas, Nunhiu. In uilla Galhan: Jerugdi, Nunhiu.  
In uilla Endredi: Lapudi, siredi, Vrodi, Keseudi, Feledi. In uilla Hedekcut:  
vrodi. In uilla Nagasu: Bosa, Wisalau, Samsin. In uilla Scilu: vene, Ma-  
wog. In uilla Kana: Calui, Kettutendi. In uilla Kalsar: Bolcin, Nunhiu.  
In uilla Atila: Wolsu. In Dimisi: Indi, Hurnete, Huruat, Bene, . . di, We-  
tikin.

Hec sunt nomina Pellipariorum: Vgus, Cekes, ahilles, Tulmas, Habrug, fiasa

Haec sunt nomina eorum, qui debent dare Currus et equos decano, vel  
Canonicis, euntibus in legacionem. In uilla Asaufeu: Buda, Budusov, Feledi,  
Kesudi, Kinis, Cracin, Gurgu, Kua, Lusadi, Marcus. In uilla Maraut: Cet-  
ku, Pentuk, Matheus, Puci. In Strigonio: Selle cum fratribus suis. In uil-  
la Belsun: Janus cum duobus filiis suis, Bula, cum fratre suo.

Hec sunt nomina seruorum Curialium, qui ad omnia, dum per decanum mittuntur, parati sunt: Forcost, Botoidi, Pusov, Hutos, Wosas Damian, Faber, Curialis nomine Bar.

Hec sunt nomina Piscatorum: In uilla Helenba: Blascu, Milata cum fratre suo. Perbuse cum filio suo. Malcu, Wieneg, Michal, Milosa, Milgozt, Kuker, Matheus, Babita, Sunku, Wersun, Tusica, Namest, Nauasal, Mogdi, Selpe, Boin, Sedin, Vloscina, Bata, Pucica, Beris, Budmer, dalasa, Begus, Werete, Nauasa, Worca, Nimiga. Locus autem piscacionis est in flumine Ipul, scilicet de Damasa usque ad Bela Patak et in Danubio ubicumque uolunt, libere Piscantur. Hij Piscatores cum terra et magna silua et cum Tana predicta in Ipuli flumine dati sunt, Debent autem dare in omni quarta feria XXX<sup>o</sup> Pisces, In omni sexta feria XXX<sup>o</sup> Pisces, In omni sabbato XXX<sup>o</sup> Pisces. In quadragesima autem debent dare cottidie XXX<sup>o</sup> Pisces, mensura autem Piscium quatuor Palmorum (?) sunt. Occasionem autem Piscatores isti non dandi nullam fingere possunt, quia si felicitas Piscacionis ab eis aufugerit, emant Pisces ad prescriptum numerum et soluant debitum. In Vbadi est viuarium, quod est commune cum Abbate Pastuhiensi. Circa ans (?) est viuarium, quod dicitur quhti, quod est commune cum Iaca filio Apati. In uilla Ingu est Stangnum, quod uocatur Curisa, in quo nullus preter Dimisiensem habet partem. Juxta villam Tapai est viuarium, quod dicitur Citei, in quo viuario terciam partem debet habere Comes Cerungradiensis, si claudere uoluerit cum Dimisiensibus exitus et redditus fauces uiuarij, si claudere noluerit (sic), nullam partem habebit. Juxta Ticiam est viuarium, quod dicitur Kurtuelis. Hec viuaria cum Piscatoribus suis data sunt.

In uilla Sahu sunt allatores Salis, quorum nomina sunt hec: Subu, Michali, Iwanus, Halaldi, Maradek, Gucur, Ceuse, Forcos, Embel, Michal, Silev, Wosas, Sima, Numarek, Bise, Pedur, Wendeg, Tuda, Kewereg, Niundi, Sumpu, Custi, Aianduk, Niculus, Buken. Isti per annum sexies redeunt de vltrasiluanis partibus usque ad forum Sumbuth cum duabus Nauibus.

In ultrasiluanis partibus sunt mansiones, que Sal dare debent, scilicet XXIII<sup>o</sup> milia Salis. Nomina autem mansionum sunt: Wosas, Martin, Kinis, Besedi, Senin, Sokol, Lesin, Ginon, Fuglidi, Boch, Kosu, Himudi, Satadi, vza, Eulengen, Vir, Emis, Viuscij, Halisa, Ellu, Wendi, Ogsan, Cesti, Orsci, Sounik, Simeon, Wasil, Isaac, vtos, Cima.

In ultrasiluanis partibus sunt homines, qui debent per annum dare XX<sup>o</sup> Martures, C corrigias et unam pellem vrsinam et I cornu bubalinum.

In uilla Kana sunt IIII<sup>o</sup> vinee cum IIII<sup>o</sup> vinitoribus: Kesudi, Hitu, Selle, Beke. In uilla Euse sunt X vinee et sunt VIII mansiones, quorum nomina sunt: Michal, Matheus, Isaac, Glambudi, Petus, Pothcan, . . . Isep, alter Petus. In uilla Tunguldi sunt XVIII vinee et sunt vinitores XIII, quorum nomina



sunt: Sonuk, Keseru, Aleud, Bue, Cepe, Mawog, Waridav, Emun, Satadi, Wakis, Elcedi. In uilla Luba sunt VII vinee cum VII vinitoribus: Gure, Pucu, Guden, Vkledi, Desiner, Vlasti, Sila. In Cepel X vinee sunt cum X vinitoribus: Egen, Turdi, Wagin, Embes, Gabriel, Sima, Bahaan, Dius, Lengen, Fizeke. In Wodasu et in Pomaz sunt IX vinee cum VI vinitoribus, quorum nomina sunt: Olup, Sube, Micu, Konudi, Vros, Nunhiu. In Macra, In uilla Cepel sunt X vinee cum XX vinitoribus, quorum nomina sunt: Guku, Munos, Simudi, Bebusi, Damian, Sarlaudi et quos prescripsimus in numero seruorum, qui dant Panem.

In Chelemba est I aratrum VIII boum et III<sup>m</sup> Mansiones aratrorum. In Dimis est I aratrum cum tribus mansionibus aratrorum. In insula in magna villa est I aratrum cum tribus mansionibus aratrorum. In villa Hureh sunt duo molendina et cum duobus molendinarijs, quorum nomina sunt: Mychael, Fonsol. Circa Sunadi, in villa Subram sunt III<sup>m</sup> molendinarij cum vno molendino: Sata, Sothmar, Hadadi, Sanka. In uilla Cuppan sunt III mansiones, qui parant lagenas: Lonpu, Wolsu et frater suus.

In uilla Cobu sunt XIII mansiones carpentariorum: Petus, Isaac, Petrus, alter Petus, Zonur, Hithlen, Bugardi, Zima, Tarcaudi, Samsin, Simua, Cik, Martin, Felesi, Saba. In Dimis: Simon.

In Batha sunt LXX eque cum XX pullis suis. In Kukti sunt deccoues et L vacce. In Tapai sunt XIII vacce et Porce sunt XXIII. In Doboz sunt LXX Porce et sunt LX vasa apium, Custos autem apum et Pastores Subulci coniuncti sunt seruis, qui dant Panem.

In uilla Kalsar hec sunt nomina liberorum: Selle, Okus, Guladi, Legudi, Clemens, Janus, Sette, Nicolaus. In uilla Huru: Leue, Nicolaus, Fabianus, Behi, Benedic. In uilla Kerbui: Tocu, Edus, Tumurte, Stephan, Klanda, Antu, Files. In uilla Cuppan: Gegu, Ipolit, Albeus, Opus, Othmandi. In uilla Gudas: Gurgu. In uilla Sanas: Alexius. In uilla Morusti: . . zbud, Celgu. In uilla Hedekcut. Leurenti, Ipsa. In uilla Enderedi: Poson cum filio suo. In uilla Kalsar: Louku, Boscu, Selle, Lazar. In uilla Durugsa: Guruc. Circa Ticiam, In uilla Geyca: Selle cum filijs suis, Kanda, Kuene, sonuk. In uilla Damag: Scidu, Zahu, Celkes, Cimer, Micula, Buthe.

Statutum et iureiurando in presencia Regis Bele et Elene Regine et omnium optimatum tocius . . . . . is propositorum mortali lege sibi succedencium vel, de seruis in liberos, vel de liberis in seruos auderet aliquos transferre. In Hudus Forcosti. Hec que scribuntur Bela Rex et Elena Regina donauerunt(?) scilicet predium, quod uocatur . . udi cum II mol . . . . . aratorum sunt: Sebe, Nicolaus, Polan, Kusidi, Chehti, Mocidi, Wasardi, Sokol, Sulgadi, Kurbes et sunt III . . . . . dus, nomen pastoris Gephus et XX eque cum Agasone, cuius nomen Wluen (?) et . . . ras, Isaac, Martus, locus autem piscacionis in Danubio

determinatus est et communis . . . . vlt. Est enim ibi u . . . . arena . . . . aratores sunt, quorum nomina sunt Poneth, Pangracij, Doman, Sueij, Pentha, venda et sunt II aratra boum. In uilla . . . . V vinitoribus, qui erant serui Jacusa.

In W a d a s h u sunt XIII Mansiones seruorum Barkil (?), quorum nomina sunt: Cimuz, Sobu, Bogu, Buda, Alup, Wensu, Izadi, Wadi, Hozudi, Leweme, Obudi, Sacas, Zahu, Vzdi, Buos, O . . . . . r. Isti debent operari vineas Jacuse, que sunt in Kesehdi.

In uilla v d u o r n i c sunt XX mansiones seruorum Kihani, quorum nomina sunt: Vrodi, Muncas, Isaac, Kuzv, Janus, vsugi, Mogu, Jeraslo, Mihudi, Fiodi, Thumas, Embel, Bulsudi, Enadi, Damige, Rugzedi, Hozdeg, Boludi, Sehune, Beus, Bothu, Okudi, Eurudi, Ebus, Kanus. Hij omnes cum . . . . XXX<sup>a</sup> martures ad cooperiendam ecclesiam et ad Domos ecclesie construendas ueniunt. Anno, quo opera ecclesie faciunt, Martures non dant. Horum maior Simien.

In uilla v t e n hec sunt nomina seruorum: Mircu, Imanus, Wolfart, Suhul, Enser, Ancu, Nunhiu, Rezu, Garandi, Semudi, Bogu, Celci, Gukus, Marchart, Cemei, Martin, Bimadi, Pinkusti, Wetus, Antuald, Isedi, Vrgus (?), Ali . . . . . , Gugti, Cirun, Kuke, Samar, Iuandi, Fita, Vrumedi, Gurgu, Cra-cin, Marcus, Zolku, Keme, Jardan, Emdi, Boimolt, Ingran, Sendur, Sciku, Embel, Hinedi, Micus, Nunhin, qui debent dare annuatim LXXV martures. Hij omnes cum Silua et terra dati sunt. Est enim ibi molendinum et duo loca molendini et sunt ibi XXXV Porce cum Subulco, horum maior Arudi.

In . . . . . na sunt: Mawog, Kusidi, Numudi, Rouosti et nutriunt preposito accipitres, quot ipse uoluerit.

In uilla machala sunt XX mansiones seruorum Kiliani, qui debent dare annuatim XXX martures, quorum nomina sunt: Jutu, Simim, Cazmer, Renkudi, Deus, Cenqren (?), vlcov, Purit, Wasardi, Mehe, Hiden, Besudi, Dersi, Fons, Euce, Girukti, Gemedi, Nezda, Cundi, Feledi, Euden, Hij omnes . . . . . villa vten et uilla masala, ad Cooperiendam ecclesiam et ad Domos ecclesie construendas ueniunt, Anno autem, quo opera ecclesie faciunt, non dant martures.

In uilla Setkelu sunt XIII mansiones seruorum Kiliani, qui debent annuatim dare XX martures, quorum nomina sunt: Sudur, vrodi, Menes, Vrda-na, Oisti, Tiur, Opus, Tumas, Somudi, . . tin, Mocu, Muncas, Bulgar, Paul. Horum . . . . . custos apum, nomine Wosos, Hij omnes cum terra et magna silua dati sunt, et uenantur . . preposito, quando ipse vlt, Ad Opus ecclesie non ueniunt. Solent autem isti dare Decimas de Porcis et uasa de tornatoribus, que frequentant, propter abilitatem suam. Hee suprascripte mansiones seruorum terminum debiti soluendi habent ipsum festum sancti Georgij. Centurio autem seruorum si male ministraverit, deponatur et opus suum . . . . . melior et prom-prior prouisus fuerit, in locum depositi succedat.

Preposito autem concessum fu(it), ut in omnibus, que de seruis expenduntur Canonice, terciam Possideret partem, similiter de horreo et de animalibus et de vino ecclesie. Ex ore Regis Bele et Elene Regine et omnium Episcoporum, scilicet Feliciani Archiepiscopi, Pauli Episcopi Geuriensis, Petri Episcopi Wesprimiensis, Marcharij Episcopi Quinqueecclesiensis, Macelini episcopi (Wac)ciensis, Besterti episcopi Zunadiensis, Walterij episcopi Waradiensis, Kathapani prepositi Albensis et omnium Comitum, quos tunc adesse contigit, scilicet Fonsol prefeti, Achus Comitis Bihariensis, Mathei Comitis Noue Ciuitatis, Martini Comitis Saliensis (sic) et aliorum Plurimorum nobilium. Vt quicumque Huius Priuilegij aliquando auctoritatem transgrederetur, anathema esset et Beata virgo Maria mater domini nostri Ihu. xpi. et Beata Margareta martir et Beatus Stephanus Rex Confessor xpi., et hic et in futuro illi aduersarentur. Amen.

De episcopatu Waciensi vicesima Regis ecclesie sancte Margarete data est in primo anno Regni Regis Bele. <sup>1)</sup> De parrochia archiepiscopi de vnaqueque Ciuitate centum Capecie dantur Dimisiensi ecclesie annuatim. Cancellarius, qui hoc Priuilegium Regio consignauit Sigillo, Johannes filius Woth fuit, Scriptor autem Priuilegij Huius Egidius Capellanus Iadizlay Ducis fuit. Datum Albe III. Septembris.

E transumpto Caroli Regis a. 1329., quod tamen humore et situ exesum, ex integro amplius legi non potest. In Arch. Cap. Strigon. priv. Lad. 70. fasc. 1. Nr. 4. — Edidit, sed nimis erronee, Fejér II. 94—109.

## 66.

1138. — Bela II. orationis gratia monasterium s. Martini de s. monte Pannoniae adiens, eidem terram Sala, quam Iobagiones et populi Castrorum Poson. et Nitriensis iniuste occupabant, restituit.

Bela secundum diuinam dispositionem Hungarie, Crowacie et dalmacie rex inperpetuum. Quamuis omnes ecclesias, per regnum nostrum constitutas, diligere et honorare, earumque curas gerere katholice religionis debito tenemur, monasterium tamen sancti martini, supra montem pannonie situm, specialius diligere ac uenenari, eiusque sollicitudini deuocius inuigilare tota mentis intentione proposuimus, propter illam eximiam reuerenciam, quam predecessores nostri, sanctus stephanus et alij reges eidem pro statu regni exhibere consueuerant, ut et nos per interuentum sancti martini in presenti seculo prosperari et in futuro mercedem eternam consequi mereamur. Quapropter tam presentibus, quam

1) Idem a. 1131.



futuris notum fieri uolumus, quod cum quadam die ad prefatum monasterium more solito gracia oracionis uenissemus, ab abbate Daud et omnibus fratribus eiusdem monasterij coram nobis talis proposita est querela, quod Iobagiones et populi ad posonium et Nitram pertinentes, ipsos super illa terra, quam sanctus Stephanus rex, necnon et Ladizlaus rex In Sala <sup>1)</sup> supra Wag monasterio sancti martini contulerant, plurimum dampnificando infestarent, Ita uidelicet, quod terram, que est ibidem in insula, disturbarent Iobagiones et populi, qui pertinent ad Nitram, Terram uero, que extra insulam uersus posonium est, disturbarent Iobagiones et populi, qui pertinent ad ipsum castrum posonium. Nos ergo eorum querelam audientes et benigne suscipientes, capellanum nostrum nomine Laurentium, canonicum de Tithil, super hoc facto pristaldum constituimus, precipientes, ut supradictos Iobagiones et populos, ad castra posonium et Nitram pertinentes, qui terram sancti martini disturbare dicebantur, ad nos conuocaret et de iusticia sancti martini a uicinis populis fideliter perquireret. Quod cum ita factum fuisset et illi supradicti Iobagiones et populi conuocati coram nobis comparuissent et a nobis subtiliter inquisiti, per diuersa titubassent, tandem nichil certitudinis de illa prememorata terra contra abbatem et fratres monasterij sancti martini probare potuerunt. Nos autem in hiis et in aliis per fidelem nostrum capellanum L. coram nobis declaratis, iusticiam sancti Martini satis intendentes, eundem L. misimus, ut illam terram fideliter circumspiceret et metis undique erectis secundum donacionem predecessorum nostrorum regum s. Stephani et ladizlai, monasterio sancti Martini assignaret. Ordo autem metarum illius terre talis est. Prima meta incipit a septentrionali parte iuxta ripam fluuij, nomine Holut Wag, et progreditur ad australem partem, cui commetanea est terra ciuiliu de uilla Jeneu ultra fluuium prenominatum. Secunda meta est iuxta arbores, que uocantur ulmi et hac parte eidem est uicina terra ciuiliu de Nitra in eadem insula. Inde uero protenditur per arundinetum usque ad nemus, quod uulgo dicitur belez, iuxta quod in colliculis habet metas magnas. Inde per medium insule tendit ad metam, in qua est ulmus. Inde ad uiam, que ducit ad uillam turnis et ibi habet metam iuxta nemus, quod uocatur Jelec. Inde extra illud nemus ad arbores ulminas, sub quibus est meta. Inde tendit ad uiam, que ducit ad uillam vduore et ibi est meta. Inde transit per nemora ad metam magnam, que est in arundineto. Inde iterum ad predictam uiam, que ducit ad uillam Vduore, per quam protenditur ad berekzeg, extra quod uadit ad metam, que est in rippa predicti fluuij, ultra quem habetur fossatura, per quam trahitur aqua ad paludes ecclesie sancti martini. Inde incipit esse commetanea cum terra nobiliu, quorum uilla uocatur buren et Inde per magnum arundinetum uadit ad locum, ubi fenum solet esse et ibi habet metas cum eisdem nobili-

1) Hodie Deáki in Comitatu Poson.

bus. Inde uadit ad agros, in fine quorum sunt mete, et Inde ad illum locum, in quo posite sunt tres mete. Ibi uero dimissis metis ville buren, incipit habere uicinitatem cum terra ciuiliū posoniensium de uilla Toesun et uadit per medium uallis, in qua mete poni non potuerunt propter lutum, et est illa uallis communis et habetur pro metis usque ad uiam, que ducit ad uillam Qusout, iuxta quam penes quamdam fossuram (sic) habet metam et per illam uiam reuertitur ad orientalem partem et tendit inter duas uillas, ecclesie scilicet sancti martini et ciuiliū posoniensium, cui nomen Vduory ad arbores ulminas et ibi habet metam, Inde uero uadit ad sepulera paganorum, inter que est meta et Inde extra lacum, cuius mencio est in priuilegio Ladizlai regis, tendit ad alia sepulera paganorum. Inde uadit per paludes ad metam, que est communis cum tertia uilla ciuiliū posoniensium, que uocatur Jeneu. Inde iterum per paludes protenditur usque ad flouium pinnam, qui exit de Holut Wag et ultra transitum illius fluij extra agros infra spineta uadit ad predictum Holut Wag, ubi est posita ultima meta sub arboribus querquinis (sic). Preterea infra illas presignatas metas monasterium sancti martini habet duas uillas, in quibus sunt piscatores, Vduornici, Curriferi, numero sexaginta mansionum, quarum una accepit nomen de uilla ciuiliū posoniensium Vduory, alia uocatur Stara et habet insulas et siluam multam, ab omnium communitate totaliter sibi sequestratam. Ne ergo hec temporum successu a posterorum memoria elabantur, super cartam presentem nostre regalis ymaginis impressionem per Johannem notarium apposuimus, assignatis testibus ueritatis, nostris principibus, quorum nomina sunt hec, Felicianus Archiepiscopus, Petrus Bezprimensis episcopus, Paulus Geuriensis episcopus, Fanzal palatinus comes, Georgius comes, Vernolt comes, et alii plurimi nobiles et aule nostre ministri. Si quis uero huic carte contrauenire temptauerit, maledictioni perpetue subiaceat et beatum martinum ultorem sue inuirię hic et in eternum senciat. Actum est hoc Anno Dominice Incarnacionis M. c. XXX. VIII. Concurrente V.

In dorso vestigium sigilli appressi. Schmitth Episc. Agr. I. 65 — Katona Hist. Crit. III. 519. — Porro Fejér, sed nimis erronee, II. pag. 110., qui in adiecta nota observat: „cum dato MCCXXXVIII. manifeste erroneo.“ Sed uero Fejér ipse manifeste errauit. — Originale in Archivo Prim. Sec. Lad. U. Fasc. 7. Nro. 166. — In diplomate hoc Stephanus Rex constanter sanctus appellatur, non item et Ladislaus, et, quoad authenticam diplomatis, recte quidem; nam Ladislaus tantum a. 1192. sanctorum albo illatus est. (Vide Katona Hist. Crit. IV. pag. 390.) — Pagani, quorum sepulera hic iterato memorantur, avi nostri fuerint, ante conversionem defuncti. — Joannes notarius, qui sigillum apposuit et certe etiam diploma ipsum exarauit, uel calamo lapsus est, uel non bene callebat linguam hungaricam; nemus enim semel belez, deinde Jelec appellat, utrobique male pro berec=bereg.

## 67.

1139. 27. Jul. — Crispinus Abbas Bozókiensis homines quosdam Ecclesiae suae „ad Camerarios Regis et armigeros“ transfugientes, „coram Archiepiscopo Feliciano, cum Bolerado, qui eos decertans tuebatur, cum iuramento receperat. — — Placuit igitur Domino F. Archiepiscopo, quod privilegium, hoc scilicet, ut si de caetero homines illi simile conarentur excitare placitum, per testimonium praesentis privilegii adnihilarentur. — 6. Kal. Aug.“

Pray Diatribe de s. Lad. 157., Katona Hist. Crit. III. 528., Fejér Cod. dipl. II. 115. Per extensum Fejér Cod. dipl. VII. V. 98.





## XII.

## MACARIUS.

1142—1146.

Schmitthius, ut vidimus, Feliciani mortem ad a. 1149. differt. Fejér <sup>1)</sup> autem, et Czinár <sup>2)</sup>, ac Lendvai <sup>3)</sup> ad a. 1145. retrahunt. Priores illi successorem dant Martirium, Lendvay autem ad a. 1145. Quinquenum, ad a. 1146. Macharium, ac ad a. demum 1151. Martirium ponit. Porro Pray <sup>4)</sup> Feliciani regimen a. 1139. claudit, dein ad a. 1143. successorem ponit Mycham, tum ad a. 1145. Felicianum II. catalogo suo inserit. Postea tamen eundem Muchiam seu Mycham, sub Mikone seu Michael Colocensi Archiepiscopo latere suspicatur, inductus his diplomatis Gyejesae II. regis a. 1142. dati verbis: „Sacramentum hoc a Rege et Archiepiscopo Muchia confirmatum est. Ego Bachiensis Archiepiscopus laudo et confirmo“. (Vide Nrum. 69.) Ex his verbis, male intellectis, ita argumentatur: „Si Muchia idem sit cum Bachiensi Archiepiscopo, ut videtur esse; tum Muchia, quem ad a. 1143. inter Strigon. Archiepiscopos collocaveram, ex istorum serie expungendus erit.“ <sup>5)</sup> Tardius sententiam suam iterum immutat, ac ad a. 1146. Machario inter Archiepiscopos Strigon. locum tribuendum dicit; sed hic iterum dubius haeret, an Macharius hic „idem cum Martirio, an diversus ab eo sit; etsi hoc mihi prae illo videatur.“ <sup>6)</sup> Sic etiam Katona, <sup>7)</sup> quamvis e diplomate, quod Nro. 68. exhibemus, concludat, inter Felicianum et Martirium interponendum esse Macharium, tamen non plene hac de re persvasus, illico addit: „nisi Bacsiansibus, aut Colocensibus illum accenseamus.“ Bene quidem sub Muchia Macarium latere suspicatur, illum tamen, Schmitthii assertionem in errorem inductus, Archiepiscopis Strigon. adnumerare non audet; sic enim argumentatur: „Quid si vero Muchiae nomen ex Machario, quem episcopum Quinqueecclesiensem vidimus ad a. 1138., corruptum est? Id sane tam facile, quam ex Martino Martyrius, efformari poterat. Si tamen et Felicianus Strigoniensis et Miko Colocensis antistes erat a. 1149., ut Schmitthius

1) Cod. dipl. VII. II. 265.

2) Index 518.

3) In Catal. mss.

4) Hier. I. 160.

5) Ib. II. 6.

6) Epist. Exeget. in dispunct. Ganóczii. Pest 1784. 36.

7) Hist. Crit. III. 548.

asserit, patet, Muchiam hoc anno 1142. neque Strigoniensem Archiepiscopum fuisse, <sup>1)</sup> neque sub Mikone latere potuisse. Bene hic Katona Muchiam a Mikone distinguit, sub Muchia tamen reipsa Macarium latere, huncque non Colocensem, ut alibi idem Katona expresse dicit <sup>2)</sup>, sed citra omne dubium Archiepiscopum Strigon. fuisse, Nri 68. 71. et 72. ostendunt. — Macarius hic a. 1137. episcopus, a. autem 1138. iam episcopus Quinqueecclesiensis nominatur, <sup>3)</sup> et hic quidem Marcharius scribitur, quo nomine etiam Koller <sup>4)</sup> illum exhibet et reipsa ita scribitur in transumpto Caroli Regis (Vide Nrum. 65.), in codice autem mss. sec. XII. Marharius (vide Nrum 73.), sed utrobique calamus aberraverit. — Quo anno munus Archiepiscopi occeperit, quove vitam clauserit, incertum. Archiepiscopum illum ab a. 1142. ad a. 1146. fuisse, infra videbimus; nec ultra hunc annum amplius memoratur. Non ergo regiminis eius initium ad a. 1146. retrahi, nec finis ad a. 1149. extendi, ut Czinario quidem videtur, potest. <sup>5)</sup> Haec cum ita sint, quomodo in diplomate Gyejsae II. regis de a. 1145. Felicianus Archiepiscopus Strigon. occurrere potest? Crassum hic errorem aut Fejér ipse commisit, aut calamo lapsus est, qui diploma hoc adversariis Hevenesianis, unde Fejér illud edidit <sup>6)</sup>, incurius intulit. Hinc iterum apparet, quam caute Codici Fejériano praecipue in maioris momenti quaestionibus fidendum sit, et quam fundate Kollerus <sup>7)</sup> observet: „Sane si quaevis passim apographa etiam in Capitulis, nisi haec ex originali transumpta ea esse fide digna testentur, sequi libeat, scribemus quidem nova multa, sed non multa vera.“ Inspicere nobis licuit originale ipsum illius transumpti, per Ladislaum Palóczy Judicem Curiae a. 1443. editi, e quo diploma hoc manuscriptis Hevenesianis illatum fuit, in hoc autem non Felicianus, sed errore prorsus novo, Quinquenus Archiepiscopus Strigon. legitur (Vide Nrum. 70.) Non ergo Felicianus, ut diximus, ultra a. 1139. comparet; quantum autem ad Quinquenum, hic tam aperte calamus aberravit, ut huic vel minimum immorari, superfluum sit. Quomodo tamen e Macario, quae vox hic adscribi debuisset, Quinquenus evaserit, ne divinare quidem valemus.

1) Alibi tamen eum ad hunc annum Archiepiscopum Strigon. facit. Hist. Crit. III. 749.

2) Hist. Eccl. Col. I. 182. et Hist. Crit. III. 597.

3) Fejér Cod. dipl. II. 88. 108.

4) Episc. Quinqu. I. 188.

5) Monast. I. 63.

6) Cod. dipl. II. 124.

7) Episc. Quinqu. I. 194.

## 68.

1142. — Gyejcsa II. Rex „tertiam partem de vsonibus, qui caperentur in Geurin, Sancto Martino“ (Montis Pannoniae) restituit. „Huius secundae institutionis testis Macharius Archiepiscopus — —“.

Katona Hist. Crit. III. 549., Fejér Cod. dipl. II. 117. — Czinár Monast. I. 36. 63. ca. a 1148. exaratum asserit his verbis: „Macharius in decreto hoc nominatus testis, epocham eius annis 1146. et 1149. concludit, quibus Ecclesiae Strigon. praefuit.“ Ast Macharium eidem ecclesiae ab a. iam 1142. praefuisse, supra ostendimus, nec diploma hoc ad a. 1148. relegari potest, anno enim hoc ecclesiae Strigon., ut videbimus, verisimiliter iam Martirius praefuit.

## 69.

1142. — Gyejcsa II. Rex privilegia Spalatinensium confirmat. „Sacramentum hoc a Rege et archiepiscopo Muchia confirmatum est.“

Katona ib. 544., Farlati Illyr. S. III. 174., Fejér Cod. dipl. II. 119. — E Machario hic lapsu calami Muchias evasit.

## 70.

1145. — Gyejcsa II. Rex in litteris donationalibus monasterio de Madocsa concessis ait: „Huius siquidem donationis sunt testes: Quinquenus archiepiscopus Strigon., anthonius episcopus Quinqueecclesiensis, Belus pallatinus, — — — qui omnes tunc personaliter aderant in Curia nostra.“

E transumpto Ladislai de Paloch Iudicis Curiae a. 1443. In Arch. Aerarii Regii, Acta Coll. S. I. Iaur. Capsa 16. fasc. 13. — Hic pro Quinqueno Macarium legendum esse, supra monuimus. Fejér (II. 124) legit: Felicianus.

## 71.

1146. Macharius Archiepiscopus Strigon.

Mulier „Scines“ praedium „Chutus“ Abbatiae s. Martini de s. Monte Pannoniae donat „presentibus nobillimis Regni testibus, quorum hec sunt nomina: Macharius Archiepiscopus. — —“

Wenzel l. c. I. 57.



## 72.

1146. — Macharius Archiepiscopus Strigon.

Forco advena testamentum condit „in curia Episcopali s. Andree secus Danubium a. 1146. — — presidente Sancte Strigoniensi Ecclesie Machario Archiepiscopo.“

Wenzel l. c. I. 58.

## 73.

Ca. 1146. 25. Jan. — Macharius Archiepiscopus Strigon. obiit.

VIII. Kal. Febr. Marharius (sic) Strigoniensis episcopus †.

In Codice Mss. sec. XII. pag. 143. Bibliothecae Palat. Vindob. Nro. 684. — Annis mortualis non exponitur. Vide Denis Cod. Mss. Theol. Bibl. Pal. Vind. I. 637. — Tabulae Cod. Mss. Bibl. Pal. Vind. Vindobonae 1864. I. 116. — Denis Macharium hunc cum Martirio confundit.

## 74.

1147. mense Junio. — Conradus Caesar cum cruce signatis per Hungariam iter faciens, Ecclesias indebitis exactionibus gravat.

Corrardus Caesar iter faciens Iherosolimam per Hungariam; Hungariae vero non Christi peregrinus apparuit, in qua non pacem, sed potius iram tyranni et praedonis exercuit; nam petitionis simulatione inventa pro aditu, a regno Hungariae pecuniam non modicam extorsit, ita ut nulla mater ecclesia, sive monasterium totius Hungariae remaneret, de quo pecunia non extraheretur et peregrinanti Caesari prae timore non offerretur.

Marci Chron. pag. XCVII. — Thuróczi Chron. II. c. 66. — Cum secundo Danubio in Hungariam descendit, procul dubio etiam ecclesiam Strigon. contributioni subiecerit.

## XIII.

## MARTIRIUS.

Ca. 1150—1158. post 13. Febr.

Regiminis eius initium Schmitthius <sup>1)</sup> post Szörényium, <sup>2)</sup> tum Lendvai, Palkovics <sup>3)</sup> et Ganóczy <sup>4)</sup> ad a. 1151.; Kemp ad a. 1150. <sup>5)</sup> Pray <sup>6)</sup> autem Katona <sup>7)</sup>, Fejér <sup>8)</sup> et Czinár <sup>9)</sup> ad a. 1156. assignant. Diploma quoddam Gyejsae II. Regis his verbis incipit: „Divina dispensante clementia, Geyse rege regnante, anno, quo Martyrius in archiepiscopum est electus, Belo Bano existente, colloquii causa Regis ac totius Regni cum Duce Austriae habita est. Ad quod cum, ut moris est, Rex cum suis proficisci voluisset, mandavit Abbati s. Martini Raphaeli, qui eodem quoque anno in Abbatem fuerat electus atque benedictus — —.“ <sup>10)</sup> Si nota temporis diplomati adiecta fuisset, annum etiam, quo Martirius Archiepiscopatum adeptus est, ultro sciremus; nunc autem spectatis adiunctis, colloquium illud Regis cum Henrico Duce Austriae non alias, quam a. 1150., ea nempe occasione in effectum deduci potuit, cum Gyejsa sororem suam Sophiam ex Admontensi virginum coenobio per vim etiam rehabere voluit <sup>11)</sup>. Hoc ergo anno etiam Martirius metropolitanam cathedram conscendit. Nec id ad annum 1151., ut Czinario et Wenzelio placuit, <sup>12)</sup> reiici potest, cum Gyejsa anno hoc bello cum Russis tum Graecis distensus erat. Ceterum initium regiminis sui ipse Martirius sat clare ad a. 1150. collocat, dum annum 1156., sextum archiepiscopatus sui compellat (Nr. 76.) — Martirius primum Vesprimiensem egit Praesulem et quidem ante a. 1135., anno enim hoc iam Petrus, qui teste Nro. 39. ei successit,

1) Arch. Strig. I. 63.

2) Nova series. 5.

3) In Cat. suis mss.

4) Episc. Várad. I. 35.

5) Mem. Basilicae. 53.

6) Hier. I. 160.

7) Hist. Crit. III. 749.

8) Cod. dipl. VII. II. 265.

9) Index 518.

10) Wenzel l. c. I. 60.

11) Katona l. c. 601.

12) Monast. I. 65.

ecclesiae illi praefuit <sup>1)</sup> Inde Agriam est translatus anno circ. 1142., <sup>2)</sup> ubi ad a. usque 1150. permansit. <sup>3)</sup> In his duobus nunc citatis diplomatibus Martinus scribitur, sub hoc tamen Martirium latere, inde patet, quia etiam in quodam Gyejcsae Regis diplomate sine nota temporis edito <sup>4)</sup>, ac in litteris Innocentii IV. de. a. 1253. Martinus Archiepiscopus — et Innocentius quidem expresse addit: Strigoniensis <sup>5)</sup> — appellatur. Martirius Archiepiscopus, ut Nrus 127. testatur, domum hospitalem Cruciferorum s. Stephani de Alba fundavit, sed perficere morte praeventus non potuit. Consecravit porro — ut Schmitthius ait — in aditu fere sui muneris Basilicam Budensem, a Michaele loci Preposito evocatus. <sup>6)</sup> Verum unde hoc Schmitthius asserat, nusquam inveni.

1) Fejér Cod. dipl. II. 86.

2) Ib. 119.

3) Wenzel I. 60. et Fejér II. 130.

4) Fejér VII. V. 120.

5) Ib. IV. II. 175.

6) Arch. Strig. I. 63.



## 75.

1152. — Mulier Margareta testamentum condit „coram omnium nobilium consencientibus, scilicet Martyrio Archiepiscopo, Belos Bano — —.“

Wenzel l. c I. 62.

## 76.

1156. — Martirius Archiepiscopus Strigon. ad constructum per se in ecclesia sua cathedrali altare B. M. Virginis, Matutinum et Vesperas eiusdem B. M. V. quotidie absolvendas decernit, quod ut Canonici libentius faciant, neve porro quoque coena careant, eis, consensu Gyejesae II. Regis interveniente, decimas septvagina villarum confert.

IN NOMINE SANCTE TRINITATIS ET INDIUIDUE UNITATIS. Anno ab incarnatione domini millesimo, centesimo LVI., concurrentibus VII., epactis uero XXVI., indictione autem IIII. Regnante gloriosissimo Hungarorum rege Geiza secundo, anno regni eius XVI<sup>mo</sup>, Bele palatino comite, Henrico autem curiali comite existente. Ego martirius, dei gracia sancte stigranensis (sic) ecclesie qualiscumque minister, anno archiepiscopatus mei VI., in prefata ecclesia ad honorem beate et gloriose dei genitricis, semperque uirginis marie altare construxi, constructumque consecraui. Ad cuius servicium constitui chorum fratrum cottidie conuenire debere et ibi matutinas et uesperas eiusdem matris domini debita ueneratione celebrare. Singulis uero sabbati diebus missam de beata uirgine maria cum aliis officiis, ad eam pertinentibus, sollempniter cantare, appositis uidelicet turribulis, candelabris et cereis, alijsque insignibus, que diebus sollempnibus solita sunt adesse. Sciens autem scriptum esse: qui altario seruit, de altario uiuat, simulque considerans confratres meos, ecclesie supradicte canonicos, usque ad mea tempora cena caruisse, ut iuxta uocem apostoli sufficientia nostra fratrum suppleret indigentiam, in beneficium cene LXX uillarum decimas, concessione prenominati regis et consensu totius regni sui, eis contuli, eo scilicet iure, quo ad meum usum eas parochialiter pertinere constabat. Ne uero cuiquam successorum meorum eas subtrahere, diminuere, uel mutare liceat, per presentis priuilegii paginam sancisci constitui et regii impressione sigilli, tam aurei, quam cerei totius regni assensu stabiliri feci. Quod quicumque cassare temptauerit, anathemati diuino perpetualiter subiaceat et regio iudicio temporaliter puniatur. Earum autem uillarum nomina intrascripta continentur: In parrochia stigranensi, quoniam prope est et archiepiscopus ibi sepius conuersatur, X tantum nullas concessi, ubi Vranus et sarar decimant, quarum meliores III<sup>r</sup> sunt hec: Mosula, malos, furnod, surlou; Mediocres sunt: Vdol, Kurt, ubi ouilia domini sunt, Wrt; Inferiores sunt: Scuodun, teluki, kesceu predium zachei episcopi. In parrochia nitriensi de uillis, quas georgius decimat, X, Quarum III<sup>r</sup> me-

iores sunt hee: Jegu, duor, sulad, lopas; Mediocres sunt: Asgar, neuerci, nemcyc, que est iuxta duor; Inferiores sunt: Zaltine, chirna, que est iuxta galtum, colunch, eydrici. <sup>1)</sup> Vbi uero de un decimat, III<sup>or</sup> meliores sunt hee: Jelen, ker, cernic, gurmot; Mediocres sunt: brencu ultra aquam, molenta, Jlut; Inferiores sunt: Sceleus, in qua est bec, beu, mogorod, gune. Vbi autem schuct decimat, III<sup>or</sup> meliores sunt hee: ylmer, alexu, Ripin, seka; Mediocres sunt: Suran, otroc, vascard; Inferiores sunt: Scuna, poscolou, kortouc. Vbi diua decimat, III<sup>or</sup> meliores sunt hee: Vasar, tuman, kurt, bosman; Mediocres sunt: Tulmacic, vldruc, cipur; Inferiores sunt: bab, bolòslai, brodrinc, pta. In parrochia bors, quam Souc et gerdata decimant, III<sup>or</sup> meliores sunt hee: Cundi, scelemsam, Qualiz, belad; Mediocres sunt: Eng, sengeu, fins; Inferiores sunt: Saulsckekei, scentusa, beleg. In parrochia chunt, ubi foncol decimat, III<sup>or</sup> meliores sunt hee: Nek, plast, Kemence, badin; Mediocres: Tur, Scebechleb, Gyrki; Inferiores sunt: Neuelen, prilscan, scobuc. Preterea capellam sancti nicholai, in stigranensi suburbio sitam, pro comparando thure et cera eidem altari in propriam contuli. Testes sunt: Mico colocensis archiepiscopus; Antimius quinqueecclesiensis episcopus; Ypolitus Waciensis episcopus; Valterus ultrasiluanus episcopus; Lucas agriensis electus; Stephanus sunadiensis electus; Peta bespremiensis electus; Geruasius geuriensis electus; Michael Waradiensis electus; Gothsaldus zagrabiensis episcopus; Raphael budensis prepositus; Macharius dimisiensis prepositus; Primogenitus urodiensis prepositus; Petrus titulensis prepositus. Belus palatinus comes; heidricus (sic) curialis comes; Appa budrigiensis comes; Symon stigranensis comes; Dirs naugradiensis comes, Germanus chuntiensis comes, Petrus borsiensis comes. Huius rei scriptor est barnabas, regis nostarius, albensis canonicus; Sigillator autem nicholaus,.

Sigilla, proh dolor, avulsa sunt, alterutrum eorum e serico rubro pendebat. Orig. maiusculis litteris pulcherrime exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 67. Fasc. 1. Nro. 1. Edidit Fejér Cod. dipl. II. pag. 140.

## 77.

1156. — Gyejsa II. Rex Nrum. praecedentem confirmat. Inter magistratus occurrit „Lucas Agriensis electus — — Simon Strigon. comes.“

Textus diplomatis huius ignotus. Schmitth Episc. Agr. I. 74, Fejér Cod. dipl. II. 143.

<sup>1)</sup> Sunt ergo respective undecim villae, nisi ultima haec vox pro nomine possessoris sumatur, inoriginali tamen a praecedenti voce interpunctione separata est.

## 78.

1156. — Euzidinus Ecclesiam, in villa Bratka constructam, occasione consecrationis necessariis providet, Martirius autem Archiepiscopus Strigon. parochialem constituit.

In nomine sancte Trinitatis et indiuidue vnitatis. Notum sit omnibus xpianis, tam modernis, quam posteris, quia dum venerabilis Pontifex Martirius, Strigon. archiepiscopus, ad consecrandam ecclesiam sancti Martini, in parochia Borsiensi, ab euzidino, eiusdem ecclesie constructore, rogatus venisset, sed ante consecracionem monens euzidinum, quod quid predictae ecclesie disponderet, omnia presentans, coram ipso et suis collateralibus scriberetur, qui hoc modo concessit: Ego euzidinus ob remedio anime mee hec dono ecclesie: altari sancte crucis omnia indumenta cum cruce deaurata; Altari sancti Martini et altari sancti Stephani Regis similiter vnique altari clericum vnum, Casulam vnā, cum optimo aurifrisio et gemmis ornatam, Plenarium vnum deauratum, Missale vnum, Nocturnale vnum, Psalterium vnum, Graduale vnum, Pulsatorem vnum, nomine kusid, aratorem vnum, nomine Bechgan, cum vxore et duobus filiis et filia, tamen uxor et filia lauent indumenta ecclesie, Peccora sedecim, quorum octo sunt boues, oues quinquaginta, Terram, quam preter propinquis meis caro mercatus sum precio a foska, dimidiam partem do ecclesie, vt sacerdos eiusdem ecclesie cum clericis et pulsatoribus eam possideat, dimidiam vero filijs meis relinquo. Terra autem prima meta est lapidea, sita secus cumpuska. Hinc extendit via vsque Pristuc fluuium <sup>1)</sup>, vbi secus litus site duo arbores, Pirus et populus. Deinde per uallem iuxta terram Banensium, vbi arbores vltimi, ibi ad sinistram ville vitk, ad dextrum ecclesie vsque metas ville Bosae. Hinc iuncta est fluuiio cumpa, vbi est meta lapidea. Hec omnia nec episcopus, nec aliquis minor, preter sacerdotem ecclesie possideat, sed sub proteccione filiorum meorum sint. Item prefatus episcopus diligenter sciscitans, vbi siquis aliquid eius dispositioni contradicere conaretur, nisi in ipsa dedicacionis die, uel in tribus subsequentibus diebus causam indicaret, nichil in posterum refragari presumeret; sed tamen nemo aliquid conquestus est. Omni etenim rite consecracione adimpleta, per petitionem Euzidini predictus Archiepiscopus eidem ecclesie tres villas in parochiam concessit: villam Bratka, in qua ipsa ecclesia sita est, villam Leua cum Conuentu hospitum, ibidem comorantium, villam vitk. verumtamen quia plerumque queuis magna dicta uel facta a subsequencium memoria decidunt et pereunt, eiusdem Euzidini rogatu placuit venerabili archiepiscopo, vt huiusmodi sue et Euzidini confessionis statutum ob multimodam detrahencium atque calumpnancium versucias proprio sigillo confirmatum, posterorum memorie irrefragabiliter obseruandum relinqueret.

1) In margine manu coeua: „Pristuc fluuius wlg o perez.“



Huius rei testes sunt, qui in xpi. nomine ad eandem conuenerant consecrationem: vlkou scilicet episcopus, Johannes Nitriensis episcopus, Bolos palatinus, Comes vlkanus, Borsensis archydiaconus, Ganfridus Canonicus, Bogdan Custos, Bethleem, Bors seruiens Regis, Johannes frater Kothardi, Gok, Zah, ceteri quamplures. Scripta est autem hec cartula et signata anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. c<sup>o</sup>. (L) Sexto, Epacta XXVI. Indictione IIII. Concurrente VII. Regnante gloriosissimo Rege Geysa secundo, prenominate quoque Martirio primatum Archyepiscopatus feliciter obtinente, predicto Belos palatino Comite existente. Quicumque autem filiorum meorum, uel quilibet propinquorum, seu quorumque alienorum doni huius aliquid extrahere conauerit, perpetue anatemati subiaceat, pius et misericors dominus omnipotens, et sancta virgo maria et sanctus Martinus, in cuius nominis honore hec dedicata est ecclesia, et omnes sancti et electi dei contra eum agant et a nostre dignitatis precepto rite excommunicatus maneat perpetuus, nisi forte emandauerit factum.

E transumpto Ludovici I. a. 1347., ubi per inadvertentiam transscribentis in dato littera L (50) emansit. In Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40 Fasc. 3. Nro. 8. — Ed. Fejér l. c. II. 138.

---

79.

1156. — Litterae Ladislai regis super quibusdam possessionibus ac iuribus s. Benedicti de Gron, confirmatae per Martinum quondam Episcopum.

Textus ignotus. Fejér Cod. dipl. II. 143. — In nomine Episcopi error latere debet; inter omnes enim Episcopos Hung. ad hunc usque annum unicus huius nominis episcopus occurrit, Agriensis, nempe a. 1142. (Fejér l. c. II. 119) ast quo iure episcopus Agriensis litteras has confirmasset? Sed etiam hic certocertius error subversatur et intelligendus venit Martyrius; sed tunc quomodo episcopus et magis adhuc, quare adiicitur quondam?

---

80.

1157. Mense Martio. — Gyejsa II. Ecclesiae Strigon. sales tributarios de Nána et Kakath (hodie Párkány) confert.

† IN NOMINE SANCTE TRINITATIS ET INDIVIDVE VNITATIS AMEN. Anno ab incarnatione domini nostri ihesu xpisti. M<sup>o</sup> CLVII. indictione V. concurrente I. epactis VII. mense Martio, ego Geythsa, dei gracia Hungarie, dalmacie, croatie, Rameque rex, anno regni mei XVII., Martirio archiepiscopo,

stigranensi (sic) sedi presidente, Belo Palatino comite existente, pro anime mee remedio et pro salute animarum matris et patris mei sales tributarios de Nana et de cokot quotcumque in partem meam euenerint, ecclesie sancti adalberti, interueniente Geruasio Geuriensi episcopo, et eodem etiam uerbo meo tribuente, perpetuo concessi. Ne autem hoc aliquando a memoria laberetur, placuit scripto commendare et sigilli mei impressione confirmare. Si quis uero contra hoc meum statutum agere presumpserit, diuina ulcione puniatur. Huius facti conscij sunt: Mico archiepiscopus, Luca (sic) episcopus, Yppolitus episcopus, Galterus episcopus; Henricus curialis comes, Apa comes, Gabriel comes, Julilianus (sic) comes, Zachit comes. Veruntamen III. anno, cum mihi placuerit et meum preceptum fuerit, C(100) dentur sales; qui uero cerui congregari solent, in terram poni debent.

A tergo manu, parum remota, haec adiecta sunt: tributum salium de nana et de cokot, quod translatum est in zalka. — Orig., maiusculis litteris pulcherrime exaratum, sigillo, e serico rubro dependenti, plumbeo est provisum, quod figuram regis, extensa dextra crucem simplicem, sinistra autem pomum aureum cum cruce pariter simplici, tenentis, exhibet, auersam autem partem haec inscriptio replet: SIGI — LLVM. GEISE. REGIS. — Diploma hoc insignis est raritatis, imo unicum; nullum enim aliud vestigium adhibiti per reges nostros sigilli plumbei uspiam apparet. — In Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 31. Fasc. 1. Nro. 1. — Fejér, ut ipse fatetur, originale hoc propriis oculis uidit, et tamen valde erronee edidit l. c. II. pag. 146. — Schmitth Episc. Agr. I. 75. — Katona Hist. Crit. III. 670., qui haec observat: „Quum metropolitana Strigon. ecclesia s. Adalberto dicata sit, eam hic per ecclesiam s. Adalberti Schmitthius intelligit. At, quum interueniente Geuriensi episcopo Gervasio, beneficium hoc ecclesiae s. Adalberti Geisa contulerit; dubitari potest, an non ecclesia haec in Jaurinensi potius dioecesi fuerit. Exstat sane locuples praepositura s. Adalberti de Jaurino.“ (Hist. Crit. III. 671.) Sed dubitare non sinunt vel loca salium Nana et kakath seu Párkány, e regione Strigonii sita, tum id, quod diploma ad hodieum usque diem Capitulum Strigon. possideat. Nec interventio Jauriensis episcopi contrarium testatur: ille enim interuenit ut homo regius, prout dicere solemus, qui nomine Regis Capitulum in possessionem salium introduxit, quod uerba adiecta: et eodem etiam uerbo meo tribuente, clare ostendunt. — Ed. Cod. Strig. II. 3., tum lithographice Magyar Sion II.

## 81.

1157. — Gyejcsa II. Rex abbatiam de Gissing alias Nemet-Ujvár a Wolfero comite fundatam confirmat, „quando Strigon. archiepiscopus venerabilis Martirius fuit.“

Agamantis Palladii pag. 26. — Katona Hist. Crit. III. 666. — Fejér Cod. dipl. II. 144.

## 82.

Post 1157. — Adalbertus quidam iussu Gyejcsae II. Regis, „sed et uenerabilis M(artyrii) Archiepiscopi, cunctorumque Regni Primatum decreto R(ogerio) Regi Sicilie — — uerba legacionis laturus,“ ante discessum de rebus suis disponit.

Wenzel l. c. I. 63. — Extr. Kovachich Suppl. ad Vestigia Comitiorum I. 5, cuius verba male intellexit Fessler Gesch. d. Ungarn II. 196. — Cum in huius testamenti contextu Raphael Archiabbas Montis Pannoniae nominetur, ille autem a. tantum 1157. prima vice sic vocetur (Czinár Monast. I. 66), patet testamentum hoc post hunc annum condi debuisse.

## 83.

1158. — Gyejcsa II. Rex Hung. Anno regni sui 18., „Martirio Strigonien-  
sis sedis existente Archiepiscopo“, Ecclesiae Nitriensi libertates et donationes confert „factum est hoc Nittrae, praesentibus dicto Archiepiscopo, Appa curiali comite Maiori, Emerico vero minori“ Anno ab inc. Dom. 1158. indictione quinta decima, epacta octava decima.

Fejér Cod. dipl. II. 152. — In indictione error latet, probabilius pro sexta.

## 84.

1158. — Gyejcsa II. Rex privilegia Abbatiae de Pécsvárad igne consumpta, „consensu nostrorum Principum, scilicet Martyrii Archiepiscopi, Mikonis, Lucae — — et ceterorum Episcoporum, — — Paschate Baachii celebrato;“ — — renovat et confirmat; „nam proxime praeterito anno causam praedicti Abbat-  
is Ganfredi et Quinqueecclesiensis Episcopi Anthimii — — ex consensu partis utriusque, distinguere et definire rogantis, cum Archiepiscopo Strigon., qui iudex est vtriusque Ecclesiae ordinarius, — — determinavimus. Tunc supradicta privilegia diligenter, inspecta, dictis exemplaribus concordaverunt.“

Schmitth Episc. Agr. I. 77., Katona Hist. Crit. III. 683., Fejér Cod. dipl. II. 147. et III. II. 119.

## 85.

1158. post 13. Febr. — Martirius Archiepiscopus Strigon. diem ultimum claudit.

Cum in huius anni diplomatibus Gyejcsae regis, Nro. 83 et 84. exhibitis, adhuc occurrat, diploma autem, Nro. 83. exhibitum, ob Gyejcsae II. decimum octavum regni annum, qui



nonnisi 13. Febr. incepit; post diem hunc emanari debuerit; post diem hunc Martirius obierit, necesse est. De anno emortuali nullum est dubium, quia eodem hoc iam anno, quo diploma citatum editum est, successor eius occurrit. iuxta Schmitthium V. Kal. Maii (27. Apr.) supremum vixit. Corpus, ut ipse ultima voluntate petiit, in Basilica Strigon. sub ara virginis Matris, quam nuper posuerat, est tumulatum (Arch. Strig. I. 67.) Unde dies emortualis illi innotuerit, non prodit. Cetera sic fingit, ut fieri potuerint, sed an facta sint, ignoretur. Palkovics vero (Cat. Mss.) diem Macario supremum, Martirio tribuit, quem eundem cum Macario habuit.



## XIV.

LUCAS BÁNFFY DE ALSÓ LINDVA  
DE GENERE GUTHKELED.

1158—1174.

Lehotzky <sup>1)</sup> Lucam hunc de genere Hahold descendisse ait, quem secutus est Joannes Nagy <sup>2)</sup>; ast e Mss. quopiam Bánffyos de Alsólindva eiusdem originis cum familia Amadé, seu de genere Guthkeled descendere est edoctus, quod etiam Lendvay asserit. Lucas hic Martirio in Agriensi episcopatu successit anno iam, ut Schmitthius asserit <sup>3)</sup>, 1151., ast in diplomatibus annis tantum 1156—1158. occurrit (Vide Nros 76. 77. 80 et 84.) Et vix etiam prius cathedram hanc obtinuerit, quia a. 1156 et 1157. adhuc electus scribitur. Strigonii autem illum Martirio non 1161. aut 1162., prout Schmitthius <sup>4)</sup> vult, sed anno iam 1158. successisse, Nri 86 et 87. clare ostendunt. Initio statim regiminis sui cum intellexisset Comitem Jordanum a fatis Martirii gemmas rari pretii occupasse, ac in aerarium regium, quod curabat, intulisse, eundem iure convenit, Regiaque auctoritate ablata recepit. Ita Schmitthius <sup>5)</sup>; verum unde haec hauserit, nobis non constat. — Quousque vitam produxerit, et an circ. a. 1179. ad superos abierit, ut Schmitthius <sup>6)</sup> asserit, prorsus incompertum, ultimario a. 1174. comparet. — Archiepiscopus hic, ut Raynaldus <sup>7)</sup> tradit, morum insigni probitate effloruerat, atque e vivis ereptus, plures variis morbis implicitos et calamitatibus involutos liberarat. Unde etiam sancti cognomine a multis honoratur. Quousque negotium canonisationis eius processerit, Nri 318. et 340. ostendunt; attamen sive in Hungaria, sive in Urbe negotium istud adhaeserit, albo sanctorum illatus numquam fuit.

---

1) Stemmatographia II. 40.

2) Magyarország családai Pest 1857. I 155.

3) Episc. Agr. I. 74.

4) Ib. 79. et Arch. Strig. I. 69.

5) L. c.

6) Arch. Strig. I. 76. et Ep. Agr. I. 85.

7) Ann. ad a. 1232. Nr. 54. 55.

## 86.

1158. — Gyejesa II. Rex Ecclesiae Spalatensis possessiones confirmat et auget, „in presentia Lucae Archiepiscopi — —.“

Farlati Illyr. S. III. 178., Katona Hist. Crit. III. 688. 701., Fejér Cod. dipl. II. 154. In alio quoque eiusdem regis huius anni diplomate iisdem verbis occurrit. Ibidem.

## 87.

1158. — Gyejesa II. Rex monasterium de s. dextra s. Stephani ab Agriensi Episcopo Sarna, ac a Ded Episcopo Vaciensi „cum consensu Lucae Archiepiscopi Strigon. consecrari fecit. — —“

Kercselich Hist. Eccl. Zagr. I. 127., Katona Hist. Crit. II. 458. III. 703., Fejér Cod. dipl. II. 156.

## 88.

1158. — Lucas Bánffy Archiepiscopus Strigon. ad auctoritatem Alexandri III. Papae contra Octavianum, quem Fridericus intruserat, in Hungaria vindicandam, a s. Eberhardo Salisburgensi Archiepiscopo provocatus, eidem respondet.

„Domino Eberhardo — — Iuuauensis Ecclesiae Archiepiscopo reuerendo L. B. (Lucas Bánfi) Strigon. ecclesiae vocatus electus qualiscumque, cum irremissibili desiderio, si quid valet peccatoris oratio.“ Laudat prolixè constantiam Eberhardi in his temporibus. — — Se autem ait indignum laudibus, quibus ipsum Eberhardus afficere dignatus est; dolere talia in se non esse, optare, ut sint, sperare in Deum, deinceps fore. — — In ecclesia quum plura sint membra, Eberhardum esse oculum providum et brachium; se vero pedes officiosos, nec morte, nec gladio separandum a caritate. Indicat demum, se apud regem obtinuisse, ut Alexander verus Papa in toto regno sit agnitus et receptus, ad quem iam sunt hunc in finem a rege et se transmissae litterae — —.

Hansiz Germ. S. II. 272., Fejér Cod. dipl. II. 160. ad a. 1161. reiciunt, ast Katona (Hist. Crit. III. 726) bene observat: Quum enim illum (Lucam) vocet recens electum; hic ei titulus minus congruisset, si post Papiense conciliabulum, anno superiore celebratum, eas litteras sancti viri mutuo sibi scripsissent. Ex duobus enim publicis Geisae diplomatibus ostendimus, Lucam archiepiscopum fuisse iam a. 1158. Non igitur rite recens electus dici potuisset, si litterae datae fuissent, ut tamen plerique putant, hoc anno 1161.“



## 89.

Ca. 1158. — Stephanus, filius Adriani, haeredum carens solatio, regis indultu possessiones Baráthka et Szántó Abbatiae s. Benedicti confert.

Notum sit omnibus hominibus, tam modernis, diuine legi subditis, quam eci-  
am posteris, eorum imitantibus deuotionem, quod Ego Stephanus, filius Adri-  
ani, herede carens carnali, post obitum Eusidini, fratris mei et filiorum suo-  
rum, piissimi regis Geysse clementiam per Gabrielem Comitem rogavi, quatenus  
sua clementia permittente, de meis possessionibus, de iure patrimonij habitis, se-  
cundum meum placitum disponerem, quo annuente, monasterio sancti Benedicti  
de Grana duas possessiones dedi, vnam Bratka, vbi ecclesia sancti martini sita  
est, cum omnibus pertinencijs suis et octo mansionibus libertinorum cum familijs  
suis et terram ad Varatra cum fenetis et terra sacerdotis, ac pulsato-  
rum cum proprijs terminis. Item aliam possessionem zamto in vicinato adia-  
centem cum LXXII mansionibus hospitum et terram ad XL aratra, cum fene-  
tis et alijs pertinencijs suis et locum molendini, super fluuium cum pa, qui transit  
ipsas possessiones. Huius autem rei dispositio ut stabilis permaneat, nobilissimus  
rex Geysa, presencia nobilium suorum, scilicet Apabani, Folcus comitis, Wol-  
fer comitis, Ders comitis, per notarium barnabam hanc cartam stabiliri  
et per nicolaum, capelle sue comitem, sigillo suo precepit sigillari. Siquis vero  
hoc testamentum infringere temptauerit, a deo patre anathematizetur et rega-  
lem incurrat iram.

Sig. hucdum ineditum regem corona insignitum, in throno sedentem, dextra Sceptrum,  
laeva autem pomum cum cruce simplici tenentem exhibet, e perigraphie detrिता nisi voces:  
GEISA DEI supersunt. Orig. magnis sed pallescentibus iam litteris exaratum in Arch.  
Cap. Strig. priv. Lad. 1. Fasc. 1. Nr 5. — Exhibuimus Cod. Strig. II. 2., tum Magyar Sion  
II. 34. et hinc Wenzell. c. VI. 91. — Diploma hoc antiquissimum est, quod in originali Ar-  
chivum Capituli Strig. priv. possidet. — Datum Diplomatis e contextu sic cruitur: Apa, alias  
Arpa, qua comes „eo tempore -- anno nempe 1150. V. Fejér l. c. II. 130. — apud regem gra-  
tiosissimus,“ bani dignitate insignitus nonnisi a. 1158. occurrit. (Ib. 155.) Barnabas notarius  
annis 1148. 1156—1158. (Ib. 130. 143—145. 153—155.) Nicolaus autem qua comes ca-  
pellae, a. 1148., qua sigillator vero a. 1156. comparent (Ib. 130. 143. 144.) Hinc Diploma  
nostrum nonnisi annis 1156—1158 exarari potuit. Porro diploma hoc clare edicit, Ste-  
phanum nostrum, fratrem habuisse Euzidinum, et in villa Bratka ecclesiam s. Martini sitam  
esse; iam autem sub Nro. 78. vidimus, ecclesiam hanc per Euzidinum hunc constructam, a.  
1156. consecratam fuisse. His ergo omnibus combinatis, diploma nostrum a. 1158. editum  
fuerit.

## 90.

1162. — Stephanus III. Rex Farkasii bellica servitia „coram quibusdam Primatibus mihi assistantibus, videlicet Luca Strigon. archiepiscopo — —“ remuneratur.

Fejér Cod. dipl. II. 164.

## 91.

1162. — Lucas Bánffy Archiepiscopus Strigon. Stephanum IV. Regem ob usurpatam coronam excommunicat.

Lucas Strigoniensis Archiepiscopus excommunicaverat et periculum ei certissime futurum praedixerat, eo, quod sese illegitime fecerat coronari.

Chron. sec. XV. ap. Kovachich Scriptores Minores I. 5. (secundario.)

## 92.

1163. ante 14. Jan. — Stephanus IV. Rex privilegium pro parte Ecclesiae Zagrabiensis super terra et sylva Dumbro edit, praesentibus Michone Bachiensi Archiepiscopo, Machario Quinqueecclesiensi, Nicolao Varadiensi Episcopis, Stephano Csanadiensi Electo, Belo Bano huius causae iudice, Thoma Palatino, Broccha Curiali Comite, Boricio Bano, Adriano Comite, Henrico Bodrugensi, Eusa Chanadiensi Comitibus, ac Hugone Notario et „Thoma Magistro Capellae Strigonii hoc privilegium factum est.“

Kereselich Hist. Eccl. Zagrab. 76., Farlati Illyr. S. V. 353., Katona Hist. Crit. IV. 42., Fejér Cod. dipl. II. 165. Tkalcic Mon. Episc. Zagr. I. 2. — Quia hic Rex annum regni sui primum vocat, dari diploma hoc debuit ante 14. Jan., quo nempe die anni superioris regnum auspicatus est. V. Katona ib. 46. — Lucas Archiepiscopus Strigonio tunc abfuerit. — Katona haec observat: „Thomas magister capellae Strigonii, non sic id accipiendum censeo, quasi privilegium illud Strigonii fuisset factum, quum Stephanus IV. tam procul in Hungariam tunc penetrasse non videatur; sed quod ille Thomas Capellae, Strigonii sitae, magister fuerit“ (L. c. 91.) sed quomodo tunc ceu privatae cuiusdam capellae rector diplomati subscribi potuisset? Fuit sane ille Rector Capellae Regiae, ac qualis, vi officii, Notarius aut vicecancellarius Regius.

## 93.

1165. — Stephanus III. Rex Castrenses Posenienses de familia Nyék libertate nobilitari „presentia meorum nobilium, Lucae Archiepiscopi — —“ ornat.

Bél Not. Hung. III. 545. — Katona Hist. Crit. IV. 141. — Fejér II. 173.

## 94.

1165. — Stephanus III. Rex monasterio Almi Ducis s. Margarethae de Meszes tributum salis per portam Meszes devecti „consensu cunctorum Principum — — videlicet Lucae Strigon. Archiepiscopi — —“ donat.

Fejér Cod. dipl. II. 170. — Codex Zichy I. 2.

## 95.

Ca. 1165. — Farkas, filius Páznán, haeredum carens solatio, praedia Szelepcsény et Ebedecz Monasterio sancti Benedicti confert, quam donationem Stephanus III. Rex sigillo suo confirmat.

Notum sit omnibus xpi. nomen confitentibus, tam presentibus, quam futuris, Quod Ego Forcos, filius Poznan, herede carens carnali, predium meum, quod nominatur Selepchen, super aquam sitouua, pro saluacione anime mee, fratrum meorum, necnon et parentum meorum conferens, dedi Monasterio in honore sancti Benedicti constructo, cum XVI mansionibus libertinorum et terram ad XII aratra, quorum nomina sunt: Zombot, penassa, michael, chulches, malizt, Jesu, malusa, herman, chechen, pipnac, kokon cum filio suo Suece, bosku, potuh, porusku, edu; et curiam meam cum pomerio, ad residendum abbati, cum uenerit. Preterea aliud minus predium Selepchen iuxta eandem aquam sitouua cum VI mansionibus seruorum, super proprios equos seruientium, et terram ad quatuor aratra predicto Monasterio dedi, scilicet: poruschuna, nadas, biba, dirsa, puruenig, vrunda et coliniam, cum seruis aratoribus, vxoribus et infantibus eorundem supradicto Monasterio dedi et ipsi ita uocantur V Vaderei, chiden, golombos, petrus, ynutza, bocel, berta, qui nisi fideliter solito modo seruiant, ad quod uult seruicium eos abbas pertrahat. que predia sub equali meta prope inuicem iuncta sunt, siluam magnam et nemus cum multis fenetis et cumulone habencia inter orientalem et meridionalem plagam. Preterea vnum seruientem meum deueter nomine, tali libertate dotaui, ut quamdiu vxor mea non nupserit, sibi seruiat; taliter et curiam meam predictam cum sex mansionibus libertinorum et molendinum, quod predicto sancto obtuli, cum duabus molis uxor mea, quousque nupserit, habeat. Item predium Edeci supradicto monasterio dedi, cum duobus aratris boum, et quatuor familias seruorum, scilicet, fetyk, zerechen, ysop et chob, cum fratre suo, quasik nomine. Predicti vero libertini tali tenore abbati seruiant, sicut antea mici (sic) seruiebant; scilicet per tres dies segetes metant et per alios tres fenum colligant et comportent, et quocumque voluerit, eos abbas mittere poterit. Vt autem hec mea testamentalis



disposicio rata, stabilisque permaneat, nobilissimus Stephanus, rex hungarie, Geytse regis filius ad suplicem petitionem Georgii comitis Borsiensis, pio favore inclinatus, per Bicenū notarium in presencia suorum nobilium, Ompudbani, Laurentii curialis comitis, Luce comitis, Ruben comitis, Fulconis comitis, Fonsol comitis, Sigillo Regie maiestatis sue hanc cartam muniri precepit. Si quis ergo in posterum huius salubris oblationis datum infringere, aut violare temptaverit; omnipotentis dei gracia et sancti Stephani Regis adiutorio careat, Regieque maiestatis anathemati subiaceat.

Inferiori margine, manu, ut videtur, sec. 13., adnotatur annus .1.1.6.0., a tergo iterum sed alia, pariter antiqua manus correxit in 1161. --- Bicenū notarius a. 1162. (Fejér l. c. II. 164), Ampud, quā banus, a. 1164. (ib. 169), Laurentius Curialis comes autem a. 1165. (ib. 173.) primum comparent; ideoque diploma hoc ca. 1165. emanatum fuerit. In omnem autem casum est Stephani tertii, quia in textu Stephanus hic filius Gyejesae Regis appellatur; iam autem nisi Gyejesa II. habuit filium Stephanum, nempe hunc tertium. — A tergo manus sec. 15. adiecit: „Item magna Zelepchen continet terram XII aratorum Regalium, sed insuper quidam Michael, Myko dictus, de eadem Zelepchen addidit eidem terram ad vnum aratrum, similiter ad vnum aratrum Regalem, Eciā Insuper Minor Zelepchen continet terram quatuor aratorum. Et sic vtraque Zelepchen continet terram XVII Aratorum, idest Nagh Zelepchen XII et Insuper et terram vnius Aratrj mesure Regalis. Item predium Edeci.“ — Sigillum regem in throno sedentem, exhibens, sed penitus iam extritum, e corrigia pendet. — Orig. aterrimo calamo nitidissime exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 9. Fasc. 1. Nro. 1. — Edidimus Cod. Strig. II. 4., tum M. Sion II. 36. et inde Wenzel l. c. VI. 104.

## 96.

1169. — Stephanus III. Rex litteris suis Lucae Strigon. et Cosmae Colocensi ac omnibus ecclesiasticis personis directis, constitutionem Gyejesae regis, patris sui, super depositione et transmutatione episcoporum; „videlicet, quod absque auctoritate et consilio eius (Papae) — — depositionem seu translationem Episcoporum non faceret,“ confirmat. „Praeterea Antecessorum nostrorum consuetudinem, retro temporibus habitam, relinquentes, — — decedentibus episcopis, in rebus episcopalibus procuratores laicos de cetero non ponemus.“ — — „Regales praepositi vel abbates de suis praepositis vel abbatis seu dignitatibus non amodo deponentur, in hac parte consuetudini nostrae antiquae per nos et posteros nostros renunciantes.“ — — „Ad haec C. Archiepiscopus Coloc., omnes episcopi et electi, regales praepositi et Abbates, munificentiam, ac libertatem, quam pro reverentia — — Papae nostri Alexandri (III.) necnon et M. — — Apostolicae sedis legati sibi concessimus, attendentes, pravam suam consuetudinem et omnibus canonibus obviantem, quam in instruendis et destruendis praepositis aliisque — — ecclesiasticis beneficiis subtrahendis exercebant,

penitus reliquerunt. Vnde — — stabilimus, quod nulli archiepiscoporum, episcoporum, electorum, praepositorum, abbatum deinceps licentia pateat de praepositis suos praepositos remove vel alias ecclesiasticas personas suis dignitatibus aut eccl. beneficiis privare, nisi forte de crimine fuerint convicti, vel confessi.“

E copia, ut videtur, romana sec. 17. in Arch. eccl. Primat. veteri Nr. 2., Baronius ad a. 1169. N. XL., Contelor Concordiae Alex. III. P. cum Frid. I. Imp. Paris 1632. 195., Kollár Hist. Dipl. Juris Patron. 119., Péterffy Conc. I. 65, Murator. III. p. I. pag. 474, Pray Annal. Reg. Hung. I. 170., Katona Hist. Crit. IV. 183, Fejér Cod. dipl. II. 180. — Has magni momenti litteras nonnulli Belae III. Regi adtribuunt. Nos, licet Copia memorata nomen regis reipsa littera *B.* exprimat, annum subscriptum secuti, cum Katona (ib. 187.) eas Stephano III. asserimus. Memorari meretur pravae huic consuetudini Archiepiscopum tantum Coloc., non item et Strigoniensem renunciasse, verosimiliter quia in provincia sua mos ille non viguit.

---

97.

1169. — Lucas Báuffy Archiepiscopus Strigon. provincialem synodum Strigonii celebrat.

Vestigia eius reperit Péterffy (Conc. I. 63) in Manuscriptis Otrokocsianis, quae utrum fide digna sint, asserere non valemus; certum solummodo est, synodi huius mentionem nusquam occurrere. Huius indicendae occasionem dedit Stephanus III. Rex, aerarii e fundis sacris augendi cupidior, quam par erat, ast ab Archiepiscopo admonitus, errata correxit, ut Nrus. 96. ostendit. Ita post Péterffium Schmitthius (Arch. Strig. I. 72. et Episc. Agr. I. 83.)

---

98.

Ca. 1169. — „Post mortem — — Regis (Gyejesae) — — Jeronimus et Cornelius — — Abbatem de Monasterio (Szent Jog) expulerunt, Monasterium desolaverunt et bona eius diripuerunt, quos Dominus Lucas (Archi) Episcopus Strigon. propterea excommunicavit et ubique in Regno isto de voluntate Regis Stephani, filii Geyzae, denuntiari fecit. — — Ordinavit insuper (Rex), quod dictum monasterium sub nullius potestate, nisi Regis Hungariae et Archiepiscopi Strigon. constituatur.“

Simon Supplem. ad Dissert. de Dextra s. Steph. 94., Kereselich Hist. Eccl. Záhgráb. 127., Pray Dissert. de s. Steph. 21., Katona Hist. Crit. IV. 194., Fejér Cod. dipl. VII. I. 161. et extr. II. 156.

---

## 99.

1171. — „Regnante Stephano uictoriosissimo et inuictissimo Geyse regis filio, anno regni sui quarto, *Luca* Dei gracia viro religiosissimo Archiepiscopo existente“, Tuta et Peregrinus fratres quaedam bona Abbatiae de Bakonybél conferunt.

Wenzel l. c. I. 66. — Donatio haec anno quidem hoc facta fuerit; diploma tamen ipsum nonnisi ca. 1181. editum fuisse Nrus. 109. ostendit.

## 100.

1171. — Benedictus Episcopus Vesprimiensis „regnante glorioso Rege Stephano, suisque viventibus (?) archiepiscopo *Luca* — —“, praedium Iregh ecclesiae Vesprimensi donat.

Fejér Cod. dipl. IX. VII. 632.

## 101.

1172. — Conradus Jobagio Stephani III. Regis „Primatibus in praesentia eiusdem Regis existentibus, videlicet *Luca* Strigon. archiepiscopo — —“, facultates suas Ecclesiae Montis Pannoniae legat.

Fejér Cod. dipl. II. 185.

## 102.

1173. 4. Mart. — Stephanus III. Rex eadem nocte, qua Henricus Leo Saxoniae dux in Palaestinam iturus, Strigonium appulit, ibidem morte repentina exstinguitur, ac per Lucam Bánffy Archiepiscopum Strigon. sepelitur.

— — Cum magna ergo commoditate ad civitatem, quae Meusenbourg (Moson, Wieselburg) dicitur, pervenerunt, quae sita est in confinio terrae Vngariae, ubi legatus regis Ungarorum, Florentius dictus, paratus fuit ad excipiendum ducem, una cum duce orientalis Austriae, cuius sororem (rectius filiam) rex habebat; et ita procedentes cum summa tranquillitate, applicuerunt ad urbem quamdam, quae naturaliter est munitissima; nam ex uno latere cingitur Danubio, ex alio alveo profundissimo, qui Grana dicitur, a quo arx et civitas, quae in altera ripa est, nomen accepit. Gravis autem moestitia ducem illic percudit. Nam



ipsa nocte rex veneno interiit, appotiat, ut dicitur, a fratre suo, quem de terra eiecerat. Unde gravi afflictione constricti, ignorabant, quid facerent. — — Consilio autem habito, missi sunt ad archiepiscopum, qui tunc in civitate constitutus erat, regii funeris exsequiis occupatus, Conradus episcopus, Henricus abbas, Bertoldus abbas, ut ipsius ordinatione, dux saxoniae ducem itineris habere posset. Qui benevolum se huic negotio exhibuit, et convocatis principibus, tandem ordinatum est, ut Florentius supra nominatus, cum duce procederet via, qua coeperat.

Arnoldus Lubecensis ap. Leibnitz. Scr. rer. Brunsv. II. 631., Katona Hist. Crit. IV. 211. — Videtur Arnoldus Stephanum III. cum patruo Stephano IV., quem veneno sublatum esse quidam asserunt, confudisse. Chronicae enim nostrae naturali illum morte extinctum fuisse, his verbis innuunt: „Idem vero Rex Stephanus (III.) filius Geise, migravit ad dominum a. d. 1173., quarto nonas Martii, feria prima, cuius corpus Strigonii quiescit.“ Marci Chron. pag. XCVIII., Thuróczi Chron. II. c. 68., Chron. Bud. pag. 188., ubi Podhradezky haec observat: „Primus Hungariae regum, qui hic sepeliri voluit, forte apud Hospitalarios, quibus in honorem s. Stephani hospitale erexit.“ Ast hospitale hoc iam a Gyejcsa II. erectum fuisse, Nro. 115. docebimus.

---

### 103.

1174. — Stephanus III. Rex dispositionem Stephani, Comitis Myske filii, de bonis suis factam, coram „magnatibus suis, Luca Strigon. Archiepiscopo“ et aliis confirmat.

Fejér Cod. dipl. VI. II. 413.

---

### 104.

1174. 13. Jan. — Lucas Bánffy Archiepiscopus Strigon. Belam III. coronare renuit.

Quum propter quasdam causas, sicut credimus tibi notas, (pater tuus) regalem non posset obtinere coronam, felicitis recordationis Alexander papa, praedecessor noster, post multas exhortationes, praeceptiones et commonitiones, Strigoniensi Archiepiscopo factas, ut ei regium diadema conferret; quum ipse non posset ad hoc aliquatenus inclinari, tandem Colocensi Archiepiscopo districte praecepit, ut ipse illum, absque praeiudicio Strigon. Ecclesiae coronaret in Regem; et sic ad mandatum apostolicae sedis obtinuit coronari.

E litteris Innocentii PP. III. ad Emericum Regem a. 1204. directis. Theiner Mon. Slavorum 35., Fejér Cod. dipl. II. 436. — Exstincto Stephano III. Rege, in tres factiones Proceres abierunt; pars magna Stephanum uxorem gravidam reliquisse putantes, exspectandum, quam prolem vidua enixura esset, statuerunt. Alia pars Belam III. fratrem defuncti regis,

ad quem regnum iure pertinebat, evocare satagebant. E contra reliqui, quod Bela adolescens olim ad Graecos traductus fuerit, istosque ob fastum et acceptas bellis superioribus iacturas aequanimiter non ferrent, veriti, ne iuvenis, alienos mores edoctus, rempublicam ad Graecanicum ingenium administraret (Pray Annales I. 163.); fratrem eius Gyejcsam regem eligere voluerunt. His ultimis Praelati etiam adhaeserunt. Haesitantes attamen praevenit Manuel Graecorum Imperator; hic enim Stephani mortem inaudiens, Belam, Graecis Alexium, „cum splendido comitatu — ut Nicetas perhibet — et maximo apparatu regio ad Pannoniae dominatum accipiendum ablegavit“. (Katona Hist. Crit. IV. 220.) Belae partes subin et Reginae viduae adhaerentes, cum vana se spe ductos intellexissent, tuiti sunt. Cum autem Lucas Archiepiscopus graecos mores constanter abhorrens, nec precibus, nec Papae mandato flecti potuisset, munus coronationis hac unica vice Archiepiscopo Colocensi concessum fuit. (Nr. 181.) Licet autem ius Ecclesiae Strigon. omni-modi cantela hac occasione firmatum fuerit; unicus tamen etiam casus hic liti subin occasionem dedit (Nr. 191. 192). — Schmitth igitur Belam hunc a Luca Archiepiscopo coronatum fuisse, erronee adstruit. (Arch. Strig. I. 75. et Epist. Agr. I. 84.)

---

### 105.

1174. 13. Jan. — Bela III. Rex Hungariae ius Archiepiscoporum Strigon. coronandi Reges solemniter agnoscit.

Ego Bela (Dei) gratia Vngarie, Dalmatie, Croatie, Rameque Rex, diuina disponente clementia suscipio Coronam de manu Colocensis Archiepiscopi, sed non in preiudicium Strigon. Ecclesie, quominus Vngarici Reges ab eiusdem ecclesie Archiepiscopis semper debeant in posterum coronari.

E Nro 181. — Fejér. Cod. dipl. III. I. 92. et VII. I. 166. — Bela a. 1174. 13. Jan. est coronatus (Katona IV. 230.), hac igitur die litteras has ediderit, est necesse.

---

### 106.

Ca. 1174. — Bela III. Rex duas partes tributi de foro Strigon. Capitulo Strigon. confert.

Diploma interiit. Sed cum Nr. 118. donationem hanc tempore Lucae Archiepiscopi factam dicat, archiepiscopus autem hic ultra a. 1174. non occurrat; nec econtra Bela III. ante annum hunc regnaverit; consequens est, eam hoc anno a rege, procul dubio in suae coronationis memoriam factam fuisse. Licet enim coronatus fuerit a Colocensi Archiepiscopo, ius tamen Ecclesiae Strigon. coronandi Reges Hung. etiam hac ratione certocertius agnoscere et probare voluit.

---

**107.****1173—1175. Scubanus Comes Strigon.**

Aderat cum pluribus Regni principibus, „quando Rex,“ Bela nempe III. „in die dominico in domo Scene Comitis sub quadam quercu sedens,“ donationem cuiusdam Caba, Abbatiae s. Martini s. Montis Pannoniae factam, confirmavit. Wenzel l. c. I. 69., Extr. Pray Synt. de Sigill. 166. et Fejér Cod. dipl. II. 203.

---

**108.**

1178. 21. Sept. — Alexander PP. III. Archiepiscopus et alios Praesules Hungariae ad Concilium Lateranense tertium evocat. — — Datum Tusculi 11. kal. Oct.

Labbe Conc. XIII. 411., Fejér Cod. dipl. II. 193.

---

Esztergom-Budapesti Főegyházmegye  
Esztergomi Érseki Levéltár



## XV.

## NICOLAUS I.

1181—1183.

Scriptores saepius a nobis iam producti, Lucae Bánffy successorem dant Nicolaum. Sed quaestio haec inde a Prayo controversa coepit, qui primo illis assentiens, Nicolaum ponit ad annos 1180. et 1183. <sup>1)</sup>; tardius tamen diploma quoddam Belae III. Regis, quod erronee, ut videbimus, a. 1175. tribuitur, secutus, sententiam suam ita revocat: „Ex quo patet, Lucae regimen inter Strigon. Archiepiscopos nimis a me productum fuisse et quia Nicolaus successor Lucae ex Castro Strigoniensi (opere nempe Francisci Perényi sic intitulato) sumtus est, nec opus sit duos Jobos statuere, nihil vereor, Jobo huic, expuncto ex serie Strigoniensium Nicolao, regimen ab anno 1175. ad 1202. tribuere.“ <sup>2)</sup> Haec etiam Katona <sup>3)</sup> et Fejér <sup>4)</sup> acceptant. Czinár <sup>5)</sup> autem post Lucam ad a. 1175. Jobum, ad a. 1183. Nicolaum, tum ab a. 1186. iterum Jobum in serie Archiepiscoporum collocat. Lendvai econtra annis 1180—1184. Nicolaum, ab a. autem 1185. Jobum Archiepiscopatu praefuisse scribit. Uti videre est, omnis difficultas e memorato Belae III. Regis diplomate procedit, quo Canonicis Zagrabiensibus et „Vgrino tunc temporis electo“ Zagrabiensi praedia, a Prodano „quondam Episcopo Zagrabiensi“ ecclesiae collata, confirmat, quodve sic concluditur: „Factum est autem hoc privilegium a. dom. inc. 1175. regnante gloriosissimo rege Bela III. secundi Geyzae Regis filio, Job Strigon. Archiepiscopo existente, Paulo Colocense Archiepiscopo existente, — — Vngrino Zagrabiensi electo, et aliis — — existentibus.“ Diploma hoc primus edidit e Mss. ut videtur, Raphaelis Levakovich et Georgii Marcellevich, Balth. Kercselich, <sup>6)</sup> tum Farlati, <sup>7)</sup> Katona <sup>8)</sup> et Fejér <sup>9)</sup>, recentissime autem Tkalcic <sup>10)</sup> „e libro privilegiorum Episc. Zagr.“. Originale igitur non amplius su-

1) Hierarchia I. 160.

2) Ib. II. 339. e).

3) Hist. Crit. IV. 189. et Hist. Eccl. Col. I. 187

4) Cod. dipl. VII. II. 265.

5) Index 518.

6) Hist. Eccl. Zagr. I. 78.

7) Illyr. S. V. 355.

8) Hist. Crit. IV. 235.

9) Fejér Cod. dipl. II. 188.

10) Mon. Eccl. Zagr. I. 3.

perest. Iam si diploma hoc reipsa anno, ut praetenditur, 1175. editum fuisset; tunc, quia a. 1181—1183. Archiepiscopus Strigon. certissime Nicolaus fuit, illi Jobus et praecedere et sequi debuisset, vel adminus Jobum, qui praecessit, ab illo, qui sequebatur, distinguere deberemus. Idem prorsus valeret de Paulo Archiepiscopo Colocensi, nam et hic a. 1188. denuo comparet <sup>1)</sup> anno tamen 1176. interponitur Andreas Episcopus Coloc. <sup>2)</sup>. Sed idem etiam de Prozano obtineret, qui in diplomate hoc bonae memoriae et condam Episcopus Zagrabiensis vocatur, adeoque satis mortuus indicatur, quin et successor eius Ugrinus electus nominatur; et tamen a. 1176. denuo comparet Prodanus ut electus, a. autem 1177. ut episcopus Zagrabiensis. <sup>3)</sup> Ergo prout Jobus, ita et Paulus Colocensis et Prodanus Zagrabiensis in primum et secundum huius nominis episcopum, utrobique uno Episcopo alio interiecto, distinguere deberent. Hoc autem verisimile non esse, cuilibet ultro patebit. Diploma ergo hoc multo tardius editum fuerit. Probabilius qui diploma hoc descripsit, numerum decenarium in anno transilivit, adeoque loco MCLXXXV., erronee scripsit MCLXXV. — Alia difficultas e bulla Innocentii III., Nro 181. exhibita, oritur, in qua editores Bullarii <sup>4)</sup> pro Luca (Bánffy) legerunt Laurentius. Pray <sup>5)</sup> quidem Laurentio Lucam substituendum esse docuit; Katona <sup>6)</sup> tamen Pray non satis fidens, verbis eius haec subiicit: „Si tamen Laurentium editores in autographo legerunt; hunc hoc nomine secundum inter Lucam et Jobum — — collocare debemus.“ Sed omnem controversiam ipsum originale dirimit, in quo nec Lucas, nec Laurentius, sed L. solummodo comparet; quia autem Laurentii I. Archiepiscopi regimen — ut bene Prayus observat — ad tempora Belae III., cuius dissertam mentionem Innocentius facit, extendi non potest, alius autem Archiepiscopus, cuius nomen littera L. inciperet, praeter Lucam Bánffy toto hoc seculo non comparet; necessario Lucas hic intelligendus est. — Difficultatibus his sublatis, Nicolaum Lucae successorem in Archiepiscopatu statuimus. — Quali munere antea functus sit, incertum; idem tamen fuerit cum Nicolao, qui a. 1146. „regiae capellae praesidens“ <sup>7)</sup>, a. 1156. Sigillator Regius (Vide Nrum. 76.), a. autem 1163. Varadiensis episcopus vocatur. <sup>8)</sup> Et reipsa ex eodem hoc fonte Varadiensem illum ab a. 1163. ad 1179. statuunt Kereszturi <sup>9)</sup> et Ganóczy. <sup>10)</sup> Econtra Schmitth ex Mss.

1) Fejér Cod. dipl. II. 245.

2) Ib. 193.

3) Kercselich I. c. 78.

4) III. 133.

5) Hier. I. 113.

6) Hist. Crit. IV. 230.

7) Fejér Cod. dipl. II. 130.

8) Ib. 166.

9) Comp. Descriptio Episc. Varad. I. 34.

10) Episc. Varad. I. 42., pag. tamen 44. eundem Ecclesiae huic praefectum fuisse a. 1169. vel 1170. scribit.

Szörényianis Nicolaum antea Episcopum Agriensem fuisse contendit; <sup>1)</sup> prorsus quidem erronee, quia Agriensi ecclesiae a. 1158--1166 Sarna, post illum autem a. 1174. Petrus praefuerunt. <sup>2)</sup> Quando Archiepiscopalem cathedram conscenderit, quandoque diem ultimum clausurit, incertum. Occurrit solum a. 1181. et 1183.

---

1) Episc. Agr. I. 93.

2) Czinár Index 519.





## 109.

1181. — Fulcumarus Comes ecclesiae de Bakonybél praedia Palan et Meretha cum servis et ancillis confert: „Anno ab inc. dom. 1181. regnante gloriosissimo Rege Bela pie recordacionis Geise Regis filio, Nicolao Strigoniensi Episcopo existente, Johanne Besprimiensis ecclesie Episcopo, Farkasio Palatino Comite, Dionysio Baciensi (in diplomate sub Nr. 99. Barsiensi) Comite.“

Wenzel l. c. I. 76. — Cum donatio haec iisdem passim verbis in diplomate Nro 99. exhibito contineatur, diploma illud, prout ibidem etiam observavimus, ante a. 1181. exarari non potuit.

## 110.

1183. — Bela III. Rex donationem monasteriis s. Trinitatis prope Quinecclesias, et omnium Sanctorum de Okur factam rati habet. „Anno ab inc. dom. 1183. Nicolao existente Strigon. Archiepiscopo. — —“

Codex Dipl. Patrius I. 2. — Wenzel l. c. I. 148.

## 111.

1183. — Nicolaus Archiepiscopus Strigon. venditionem terrae in villa Kéménd, a canonicis suis Comiti Farkasio factam, rati habet.

N. dei gracia Strigoniensis ecclesie archiepiscopus, omnibus christi fidelibus, tam presentibus, quam posteris, salutem et oraciones in domino. Solent scriptis inseri facta mortalium, ne tractu temporis reuocentur in dubium, ut quod obliterare posset temporis diuturnitas, ad memoriam hominum sigilli autentici reuocet auctoritas. Ea propter contractum inter canonicos Strigoniensis ecclesie <sup>1)</sup>. . forcasium celebratum, scriptis inserere dignum duximus, et ne cuiusquam calliditate in irritum possit reuocari, sigilli nostri impressione communiri fecimus. Vniuersitati itaque uestre palam facimus, quod prefati canonici Strigoniensis ecclesie utilitate diligenti considerata, consensu et uoluntate nostra terram ad unum aratrum prenominato . f. comiti in villa camend pro duabus marcis uendiderunt; existentibus in ecclesia strigoniensi: Adriano preposito, Gaufrido cantore, Petro magistro, Waltero curiale comite, Alano magistro, jo-

1) Una vox exesa.

hanne presbitero, Nuncone, Betleem preposito (quali?), Gerardo archidiacono, Vilhelmo magistro, Vria presbitero, martino notario, Jano custode, andrea, augustino decano, vilbaldo, Roberto, Alberto, Pousa et ceteris quam pluribus canonicis. Factum est autem hoc Anno ab incarnatione domini millesimo centesimo octogesimo tercio.

Orig. in Arch. aerarii Regii, Acta Neoregistrata Fasc. 1501. Nr. 2. — Spies Archivische Nebenarbeiten I. 141. et Fejér Cod. dipl. II. 203.

### 112.

1184. — Status Ecclesiarum Provinciae Strigon.

— — In Vngaria sunt due sedes Archiepiscopales: Strigoniensis et Colocensis. Strigonium habet de curia regis de moneta VI mille marcas et decimam monetarum et est Metropolis Vngariae. — — Suffraganei Domini Strigoniensis sunt: Episcopus Agriensis, habens III millia marcarum; Episcopus Waacensis, habens septingentas marcas; Episcopus Quinqueecclesiensis habens mille et quingentas marcas; Episcopus Geuriensis, habens mille marcas; Episcopus Vesprimiensis, habens mille septingentas marcas; Episcopus Nistriensis, habens mille centum marcas. — —

E Cod. Regio Paris. Nro. 6238. fol. 20., Fejér Cod. dipl. II. 217.

### 113.

1184. — „Quidam Vduornicorum regis de suburbio Strigoniensi, Seraphim videlicet et Pancratius centurio, cum quibusdam suis subditis Uduornicis, Nana comite suffragante, quosdam de villa, quae vulgo Vrcuta dicitur, servos scilicet ecclesiae s. Aniani, quae est in monte Tychon sita, ab eiusdem Ecclesiae servitio subtrahere et honori suae servitutis supponere conati,“ cum pars adversa sacramentum in Albensi Ecclesia deponere parata esset, „praedicti Vdvornici maioris condemnationis metuentes incursum, calumniae reatum viua voce professi, — — in tonsura capitis iudicialis (eos) mulctavit auctoritas, qui autem eis praeerant, singulos 50 pensis. — — Eorum nomina, pro quibus contenderunt, haec sunt: Warov, Ceke, Cekelev, Des, Bes, Sudan, Egid, Petrus, Iwa, Both.“

Fejér Cod. dipl. II. 219.

## XVI.

## JOBUS.

1185—1203.

Hunc e Zagrabiensi sede ad Quinqueecclesiensem translatum perhibent e Mss. quodam antiquo Kercselich <sup>1)</sup> et qui eum sequitur Farlati <sup>2)</sup>, indeque ad Strigoniensem metropolim migrasse dicunt. Szörényi Jobum quidem ad a. 1181. Quinqueecclesiensem statuit, quin tamen illum ad Strigoniensem sedem evectum fuisse doceret. Cui adhaerendo Koller, Jobum hunc Strigoniensem Metropolitam effectum esse, nullo idoneo testimonio confirmari ait <sup>3)</sup>. Schmitthius econtra Quinqueecclesiensem antea episcopum statuit. <sup>4)</sup> Pray autem Szörényium prius secutus <sup>5)</sup>, tardius sententiam immutavit, et Jobum e serie Episcoporum Quinqueecclesiensium expunxit <sup>6)</sup>, Zagrabiensibus episcopis autem extraserialiter tantum adnumerat <sup>7)</sup>. Fejér tandem illum inter Quinqueecclesienses ad a. 1174—1182. recenset, <sup>8)</sup> sicque illum distinguere videtur a Jobo nostro, quem Archiepiscopum iam ab a. 1175. ad a. 1203. statuit. <sup>9)</sup> Sed quam erronee Fejérius Catalogos suos contexuerit, inde patet, quod in toto Codice suo diplomatico Jobi huius, qua Episcopi Quinqueecclesiensis mentio nusquam compareat, quin potius ad a. 1163—1186. adeoque ad annos quoque, quos Jobo tribuit, Macarium in diplomatibus producit episcopum Quinqueecclesiensem; bene ergo Czinár Jobum hunc e Catalogo episcoporum Quinqueecclesiensium expungit. Ubi antea Jobus noster munus episcopi obierit, quandoque infula Strigoniensi decoratus fuerit, determinari vix umquam poterit. Prima eius mentio, qua Archiepiscopi iam Strigoniensis, occurrit in diplomate quodam Belae III. Regis de a. 1185., his verbis: „Venerabili Job Strigoniensem Ecclesiam feliciter gubernante.“ <sup>10)</sup> — Vitam ultra a. 1203. producere non potuit, prout ea, quae de successore eius dicturi sumus, uberius ostendent.

1) Hist. Eccl. Zagr. 76.

2) Illyr. S. V. 354.

3) Hist. Episc. Quinqu. I. 215.

4) Arch. Str. I. 80.

5) Koller l. c. 216. f).

6) Hier. I. 203. II. 339. e).

7) Ib. II. 339.

8) Cod. dipl. VII. II. 270.

9) Ib. 265.

10) M. Tört. Tár II. 172. — Wenzel l. c. I. 78.



## 114.

1186. — Bela III. Marcum et Petrum, quos Job Archiepiscopus Strigon. Iobagiones ecclesiae suae asseruit, cum se Nobiles esse edocuerint, in libertate confirmat et eisdem tertiam partem terrae Vajka assignat.

In nomine patris et filij et spiritus Sancti. Bela dei gracia rex Hvngarie tercius, bone memorie Geyse regis filius, vniuersis xpi. fidelibus, ad quos littere presentes peruenerint, salutem in eo, qui est salus omnium. Quoniam facta queque mortalium ingrata posteris celat obliuio, propterea ueterum sagacitate compertum est, ut successoribus litterarum officio tamquam recencia reluceant. Hinc est, quod ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, ut Job archiepiscopus Strigon. traxit quosdam homines de posoniensi prouincia, Marchum et Petrum, in nostram presenciam, agens contra ipsos super libertate eorum, et asserens eosdem iobagiones ecclesie prenominate. Hij uero dicentes se esse liberos et militari armatu in exercitu domini regis equitandos, tamquam decet nobiles seruientes, perceptis igitur ipsorum responsionibus, cum multis nostri regni magnatibus adiudicamus, ut utrinque responsiones testimonijs comprobarentur, quod dictus archiepiscopus se facturum nequaquam suscepit, sed dictis hominibus comprobare permisit; die ergo statuto cum multis nobilibus et ignobilibus, tam magnatibus, quam seruientibus et iobagionibus castri prenominati, cum quibus ab initio uite sue permanserant, suas libertates satis honeste comprobauerunt, quorum responsiones nos ac nostri iustas esse considerantes, ac uoluntatem nostri patris spiritalis confringere nolentes, XII preelectos homines ex testibus predictorum, quos dominus archiepiscopus elegit, in sacramentum fidei adiudicauimus, tali tamen condicione, ut statuto sacramento fidei in nostra capella, terra vayka, quam ipsi hereditariam eorum asserebant, libere eisdem cum sua libertate existeret; qua dispositione facta, magnates nostri regni ad reformationem pacis ut ipsos permitteremus nimis rogitarunt, quod et concessimus; gracia igitur ipsorum multi nobiles nostri regni in disponendo laborauerunt, et ipsos pacatos asserentes tali modo, ut dictos homines cum sua libertate libere permansuros permitteret, terciam partem dicte terre eisdem statuendo, quorum dispositioni nec nos contradiximus, sed precipientes Mokvd, nostro fideli, de genere Solomun, ut dictam terciam partem terre circumquaque metis assignando, statueret eisdem, perhenniter perdurandam. Vt igitur ipsorum libertas per calumpniam processu temporum in irritum ab ipsorum heredibus nequeat prouocari, presentes litteras per adrianum, budensem prepositum, nostrumque cancellarium fecimus scribi et regie auctoritatis sigillo muniri precepimus. Et quando iuris ordo super ac re est adornata, istorum presenciam fuerat interposita, Macharij uidelicet

quinqueecclesiensis episcopi, Johannis Bespremiensis episcopi, Micudini Jeurienensis episcopi, Thoma palatini comitis, Mok curialis comitis, Dionisij Baaciensis comitis, Esau bichariensis comitis, et aliorum quam plurium, una nobiscum commorantium. Factum est autem hoc privilegium anno dominice incarnationis millesimo, Centesimo, Octagesimo, sexto. Si quis autem violator huius nostre dispositioni extiterit, anathema sit, et in cameram domini regis centum libras auri soluere teneatVR.

Sigillum una cum zona periit. Orig. maiusculis litteris exaratum in Arch. Prim. Sec. Lad. R. Fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. II. pag. 228., Belius (Not. II. 285.) diploma hoc recensens, Jobum Archiepiscopum erronee Jacobum vocat.

### 115.

1187. 23. Jun. — Urbanus PP. III. domum hospitalem Strigon. cum reliquis per Hungariam constitutis sub protectionem sedis apostolicæ specialem suscipit, liberasque ab omni iurisdictione alia declarat, in cuius indicium easdem ad persolvendam singulo anno unciam auri stringit.

Urbanus episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis Nicolao Magistro Domus Hospitalis sancti Stephani Regis, site Strigonij, eiusque fratribus, tam presentibus, Quam futuris, Regularem vitam professis, In perpetuum. Religiosa loca diuino cultui mancipata, tenemur apostolica protectione defendere et in suis iusticijs tanto propensiori studio confouere, quanto celebrius in eis omnipotens dominus colitur et deuocius a fidelibus honoratur. Ea propter dilecti in domino filij, uestris iustis postulationibus clementer annuimus, et domum uestram, in qua dei estis et pauperum serui deputati, sub beati Petri et nostra protectione ad exemplar felicitis recordacionis Alexandrij pape predecessoris nostri, suscipimus et presentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut domus ipsa semper sit hospitalitatis officio dedita, cui est discrete ac prouide deputata, et ordo canonicus, qui in ea de auctoritate pie memorie Mamfredi, quondam prenestiensis episcopi, tunc inter (sic) sancte Cecilie presbiteri Cardinalis, apostolice sedis legati, secundum deum et beati Augustini regulam institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur, ea in canonicorum numero moderacione seruata, quod hospitalitas graue non sustineat detrimentum. Preterea quascunque possessiones, quecumque bona eadem domus in presenciarum iuste et canonice possidet, uel in futurum concessione pontificum, largicione regum uel principum, oblacione fidelium, seu alijs iustis modis, prestante domino, poterit adipisci; firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. Sane cum recolende memorie Geyza quondam rex Hungarorum Jerosolimis, sicut in eius scripto autentico continetur, ecclesiam in honore

dei et ad memoriam beate Marie semper uirginis matris sue et sancti Stephani regis fecisset de suis et suorum principum elemosinis pietatis intuitu construi et domum eciam Hospitalem, in qua peregrini et alij transeuntes propter deum subsidia reciperent karitatis, et cum fratribus ipsius ecclesie, qui domum uestram construxerant, copiosam terram ad construendas domos et ad preparandas officinas necessarias strigonijs contulisset; id eidem domui libertatis indulget, ut nullus in ea commorantium Hospitum tributa persolueret, et insuper ad cotidianos usus ipsius domus singulis diebus de propria silua sua, que uulgo Ples<sup>1)</sup> nuncupatur, quinque currus lignorum portandi liberam uobis contulit facultatem. Ipsum autem principes eius et quidam alij fideles dei de regno suo in bonis operibus imitantes, predice domui uestre predia, Villas, Agros, Siluas, seruos et ancillas, piscinas et alia misericorditer optulerunt, data per diacesanos episcopos libertate, ut quicquid erat domui uestre fidelium largicione collatum, a solucione tributorum et decimarum abeat (sic) immune. Nos itaque officio suscepte amministrationis inducti, tam ea, que prediximus, quam eciam monasterium sancti Stephani regis ab omnium iurisdictione liberum et hospitalem domum, positam in loco, qui Obon nuncupatur, et insuper duodecim naues et quinque Villas (a) karissimo in xpo. filio nostro Bela illustri ungarorum rege, nec non ecclesiam sancti stephani de pulchro, de predio, Ecclesiam sancte Trinitatis de aqua calida, <sup>2)</sup> Ecclesiam sancti Nilcolay de Veytic, Ecclesiam Sancte Ma(rie de) Thovt, Ecclesiam sancte Marie de Sokol, Ecclesiam sancte Margarete de Charca, et alias ecclesias (cum quibuslibet earum pertinencijs, de auctoritate diocesanorum episcoporum (do)mui uestre (concessas et alia omnia, que siue de liberalitate regum, siue de concessione episcoporum, uel aliorum fidelium rationabiliter (possidetis, uobis et domui uestre au(ctoritate) apostolica confir(mamus, cum omnibus immunitatibus seu a) regibus, (episcop)is, uel ab alijs ecclesiasticis aut secularibus personis, domui uestre rationabiliter in. hac-tenus obser..... in domo uestra, uel in obediencijs sibi subditis persona laica super ecclesiasticos uiros nullam habeat potestatem, sed ad eas regendas fratres, qui clerici sint et idonei, presint. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit prefatam domum temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet uexacionibus fatigare; sed omnia integre conseruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentacione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salua sedis apostolice auctoritate. Ad indicium autem huius a sede apostolica percepte libertatis, unam unciam auri nobis nostrisque successoribus annis singulis persoluetis. Si que igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona, anc (sic) nostre constitui-

---

1) Seu Pilis.

2) Seu de thermis Budensibus.



onis paginam sciens, contra eam temere uenire temptauerit, secundo tercioue commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere De perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostris ihu. xpi. aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri ihu. xpi., Quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et aput districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen.

Sequitur bulla scripta, in cuius medio legitur: S. Petrus. S. Paulus. Urbanus pp. III., cum epigraphe: Ad te domine Leuau animam meam. —

Infra bullam:

Ego Vrbanus catholice ecclesie episcopus, cum monogrammate.

† Ego Hernicus Albanensis episcopus.

† Ego Paulus prenestinus episcopus.

A sinistris:

† Ego Petrus de bono presbiter cardinalis tituli s. susanne.

† Ego Laborans presbiter Card. s. Marie trans tiberim tituli calixti.

† Ego Pandulfus presbiter Card. basilice XII. Apostolorum.

† Ego Melior presbiter Card. sanctorum Johannis et pauli tituli Pamachij.

† Ego Adelardus tituli santi Marcelli presbiter Cardinalis.

A dextris:

† Ego Jacintus s. Marie in cosmidyn diaconus Card.

† Ego Gracianus cosme et damiani diac. Card.

† Ego Bollandus s. Marie in porticu diac. Card.

† Ego Petrus s. Nicholay in carcere Tullianus (sic) diac. Card.

† Ego Radulfus s. Georgij ad uelum aureum diac. Card.

Datum Verone per manus Alberti sancte Romane ecclesie presbiterj Cardinalis et Cancellarij. VIII. kalendas Julij, Indictione quinta, Incarnationis dominice † Anno M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXXX. VII<sup>o</sup>. Pontificatus uero domini Urbani pape III. Anno II<sup>o</sup>.

Ab extus manus sec. 15. adnotavit: „... m est hoc exemplar, ne hospitalarij sancti (Stephani de Strigonio possint sibi plus iuris uel liberta... tes vindicare, quam habeant, dicentes, quod (nullus) Jobagionum ipsorum teneatur soluere tributum, cum secundum hoc priuilegium non sint exempti, nisi hospites, qui morantur in obon in domo ipsorum, non in villa.“ — Originale situ exesum et lacerum in Arch. Primat. Eccl. veteri. Nro. 3. — Edidit Fejér, sed nimis erronee et omissa conclusione, ac ad a. 1186. tomo VII. V. 127., tum extractum pag. 120. Tomo autem IV. III. 81. denuo per extensum produxit, sed hic iam Urbano IV. ad a. 1262. adtribuit, ac ibidem pag. 93. Prayo, qui extractum huius bullae pariter Urbano IV. adscribit, obiicit, quod datum, nempe a. 1262., ignorauerit! — E diplomate hoc apparet, Cruciferos hos per Gyejesam II. (1141—1161.) Strigonii fundatos esse; annus tamen foundationis ignoratur. Georgius Palkovics in Mss. suis Conuentum hunc a. 1161., Boltizsár autem (M. Sion I. 59.) circa a. 1150. erectum putant. Hospitali, quod hic in loco, qui O bon=Abony dicitur, positum fuisse adstruitur, locatum fuerit penes Conuentum, cuius situm Ladislaus Báthory Iudex Curiae a. 1439. propius determinat, dum illum

„Cruciferatum de Szent Király“ appellat, portumque Danubii in praefata Szent Király commemorat (Fejér Cod. dipl. XI. 381.). Exstitit ergo in ripa Danubii minoris in loco, qui hodie quoque Szent Király appellatur.

### 116.

1188. 5. Apr. — Clemens PP. III. Ecclesiam Strigon. sub protectione b. Petri suscipit, ac bona acquisita et acquirenda, necnon omnia privilegia et immunitates confirmat.

Clemens episcopus, seruus seruorum Dej. Venerabilj fratry Job, Strigon. Archiepiscopo, eiusque successoribus, canonice substituendis In P. P. M. <sup>1)</sup> Cum ex suscepto ministerio seruitutis omnibus simus ecclesijs debitores; ordo iuris expostulat, ut eas habeamus propensius commendatas, que locum inter alias obtinent digniorem, et quarum deuotio pluribus innotescit et proficit ad exemplum. Inde est, quod precibus tuis clementer annuimus, et Strigon. ecclesiam, cui auctore deo preesse dinosceris, ad exemplar felicitis memorie Lucij pape, predecessoris nostrj, sub beati Petry et nostra protectione suscipimus, et presentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem ecclesia in presenciarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, uel principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, prestante domino, poterit adipisci, firma tibi, tuisque successoribus et illibata permaneant. Preterea libertates et immunitates, a sancte memorie rege Stephano et successoribus eius indultas, antiquas quoque et rationabiles consuetudines ipsius ecclesie, auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet uexationibus fatigare; sed omnia integra conseruentur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salua sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere uenire temptauerit, secundo, tertioque commonita, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerit; potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dej et domini redemptoris nostrj ihu. xpi. aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem (ei)dem loco sua iura seruantibus, sit pax domini nostrj ihu. xpi., Quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

1) perpetuam Memoriam.

Ego Clemens, catholice ecclesie episcopus (a dextris bulla plumb. depicta cum perigraphe: Doce me facere uoluntatem tuam. A sinistris Monogramma.)

Ego Theobaldus hostiensis et velletrensis episcopus.

A dextris:

- † Ego Johannes presbiter cardinalis tituli s. Marci.
- † Ego Laborans presb. card. s. Marie trans tiberim tituli calixti.
- † Ego Albinus tit. s. Crucis in Jerusalem presb. Card.
- † Ego Melior presb. Card. ss. Johannis et Pauli tituli Pamachii.
- † Ego Petrus Presb. Card. tit. s. cecilie.
- † Ego Radulfus Tit. s. Praxedis presb. Card.
- † Ego Petrus tit. s. Clementis presb. Card.
- † Ego Petrus tit. s. Laurencij in damasso Presb. card.
- † Ego Petrus presb. card. tit. s. Petri ad uincula.
- † Ego Jordanus presb. Card. s. Pudenciane tit. Pastoris.

A sinistris:

- † Ego Jacobus diaconus Card. S. Marie in cosmydin.
- † Ego Gratianus ss. Cosme et Damianj diac. card.
- † Ego Bobo diac. Card. s. Angeli.
- † Ego Gerardus s. Adriani diac. Card.
- † Ego Octavianus ss. Sergij et bachi diac. Card.
- † Ego Soffredus s. Marie in via lata diac. Card.
- † Ego Alexjus s. Romane ecclesie diac. Card.

Una linea vacua.

- † Ego Bobo diac. card. s. georgii ad uelum aureum.
- † Ego GG. <sup>1)</sup> diac. card. S. Marie in porticu.
- † Ego Johannes Felix diac. card. s. evstachii iuxta templum agrippe.
- † Ego Johannes de malabr. <sup>2)</sup> s. theodori diac. card.
- † Ego Bernardus diac. Card. s. Marie Noue.

Datum Laterani per manum Moysi, sancte Romane ecclesie subdiaconi, vicem agentis Cancellarii, Nonas Aprilis, indictione Sexta, Incarnationis dominice Anno M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. LXXXVIII<sup>o</sup>. Pontificatus uero domini Clementis pape III. Anno Primo.

Bulla plumb. e rubro et flavo serico pendet. Orig nitidissimo calamo exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. fasc. 1. Nro. 1. — Edit. Fundamenta et argumenta Archiep. Strigon. contra praetensam Exemptionem Praepositi de Alba Reg. D. 2. — Katona Hist. Crit. IV. 325. — Fejér l. c. II. 243.

1) Seu: Gregorius Galganus. Vide Vitae et Res gestae Pont. Rom. Alphonsi Ciaconii et rel. I. Romae 1677. pag. 1139.

2) Malabranca. Ib. 1143.



## 117.

1188. 6. Maii. — Bela III. Strigonii commorans, Stephani III. privilegium coenobio SS. Cosmae et Damiani concessum, adprobat. — Pridie nonas Maii.

Farlati Illyr. S. III. 222. — Katona Hist. Crit. IV. 330. — Fejér Cod. dipl. VII. I. 177.

## 118.

1188. — Bela III. duabus partibus tributi de foro Strigon., Canonicis Ecclesiae Strigon. iam antea collatis, etiam tertiam addit.

In nomine sancte Trinitatis et indiuidue unitatis. Bela tercius, secundi Geisce regis filius, dei gracia ungarorum rex, omnibus in xpo. pie uiuentibus, salutem in domino. Quum in presenti tantum uita salutis eterne merita comparamus, in futuro meritorum premia, diuina fauente gracia, recepturi; ideo in gazofilacium domini, regie sublimitatis nostre benignitas aliquid conferendum prouidit. Notum ergo fieri uolumus tam presentibus, quam futuris xpi. fidelibus, quod tempore luce, uenerabilis archiepiscopi strigon., canonicis ecclesie beati adalberti duas partes tributi de foro strigoniensi, ad ius regis pertinentis, diuine renumeracionis intuitu contulimus. <sup>1)</sup> Terciam uero eiusdem Tributi partem, Job eiusdem loci existente archiepiscopo reuerendo, in utilitatem et profectum predictorum canonicorum ordinauimus; quarta tantum parte ad usus regios retinentes. Ut autem hoc regie liberalitatis munus, quod pro salute anime nostre et heredum nostrorum predicto conuentui concessimus, perpetue stabilitatis robur assumat; presentis pagine patrocinio confirmauimus et sigilli nostri impressione muniuimus. Anno ab incarnatione domini M°. C°. LXXX°. VIII°. Job strigon. archiepiscopo; Paulo colocensi electo; Petro agriensi; Bolezlao Waciensi episcopis. Ugrino geuriensi; Johanne Besprimiensi electis. Mogy palatino comite; Dominico curiali comite; Stephano budrugensi comite existentibus. Saul cenadiensis electus hanc cartam annotauit.

In tergo manu sec. 13.: super tributo fori Strigon. Bela maior. — Sigillum e serico rubro albo et viridi, seu coloris nationalis hung. pendebat. Orig. litteris maiusculis exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 24. Fasc. 1. Nro. 1. — Katona Hist. Crit. IV. 331. Fejér l. c. II. 244. — Litteras has sigillo aureo munitas fuisse, Michael Országh de Guth Palatinus a. 1465. ita testatur: „In quarum prima litterarum privilegialium serie ipsius domini Belae III., secundi Geisae regis filii, de anno ab inc. dom. 1188. confectae, aurea

1) Vide Nrum. 106.

sub bulla vallatae, habebantur, quod idem Bela rex canonicis ecclesiae b. Adalberti Strigon. in utilitatem et profectum eorum tres partes tributi de foro Strigon., ad ius regis pertinentes, divinae remunerationis intuitu ordinasset, quartam tantum partem ad ius regis retinendo." Katona ib. 332.

---

### 119.

1189. 4. Jun. — Bela III. Rex Fridericum I. Imperatorem cum cruce signatis Strigonii hospitaliter excipit.

Post haec iter faciens, circa pentecosten (28. Maii) venit ad portam Vngariae, ibique dies pentecostes celebrando quievit. — Quum autem dominus Imperator in civitatem venisset, quae Gran dicitur, quae Vngarorum est metropolis, rex ei in propria persona cum mille militum comitatu solemniter occurrit, omniq[ue] devotione se non solum hospitalem, sed etiam officiosum exhibuit. Imperatore autem quatuor diebus ibi moram faciente, ex consilio principum propter nimiam tumultuantis exercitus insolentiam stabilis et firma pax in exercitu sub iuramento firmata est. Regina autem dedit domino imperatori tentorium optimum et domum desuper de scarlatico et tapete iuxta latitudinem et longitudinem ipsius domus et lectum, culcitra et operimento pretioso magnifice ornatum, sedemque eburneam cum cussino lecto praepositam. Et ne quid exco- gitatis deesset deliciis, albus et parvus venatorius super tapete discurrebat caniculus. — Exinde rex imperatorem in castrum, quod Gran dicitur, recepit, transito flumine eiusdem nominis, a quo ipsa civitas, in qua prius moratus fuerat et castrum ipsum nomen acceperat; ibique dedit rex imperatori duas domos plenas farinae purissimae. Imperator vero, quia farina opus non habebat, dedit eam populo pauperi, ubi propter nimiam avaritiam tumultuantis populi tres homines farina obruti sunt.

Arnoldus Lubecensis ap. Leibnitz. Script. rer. Brunsv. II. 677. — Katona Hist. Crit. IV. 353. — Godefridus Coloniensis Imperatorem Strigonium 4. Junii advenisse his perhibet: „In octava Pentecostes occurrit eis rex Vngariae cum regina, obtulitque imperatori tentorium operosum, quod portare vix poterant tria plaustra, et alia insignia. — Venientibus namque eis ad civitatem s. Georgii (suburbium nempe Strigonii) praeparari iusserat domum plenam farina et pabulum, ex quibus quisque pro libitu accepit.“ Ap. Freher germ. rer. script. I. 352. — Katona l. c. 352. — Idem dicit Anonymus ap. Canisium III. II. 506. „Imperator ergo cum exercitu ingressus est fines Vngariae et Pannoniae partes transiens, pervenit Strigonium, ubi ab ipso rege et regina plenius et cum maiori honoris exhibitione praesentialiter salutatus, magnifice sicut decebat, ab eis receptus est et iucunde.“ Katona l. c. 363.

---

## 120.

1189. — Casimirus Rex Poloniae pacem cum Bela III. Rege, adnitentibus Archiepiscopo Strigoniensi, Episcopo Agriensi, et Palatino Regni Hungariae, iniit.

Miechovius l. III. c. 26. ap. Schmitth Episc. Agr. I. 99., qui tamen male pacem hanc a. 1192. coaluisse putat, neque Bela Haliciensi ditone renunciare debuit, ut Cromerus fingit. Vide Katona Hist. Crit. IV. 343.

## 121.

1190. — Bela III. Rex iura et priuilegia Ecclesiae Quinqueecclesiensis recensens, inter cetera ait: „Item concessimus eidem Ecclesie, quod preter nostram Maiestatem et carissime consortis nostre, nullus omnino Baronum nostrorum — — super bonis et possessionibus ecclesie descensum facere — — presummat, pena excommunicationis a Prelato ecclesie, ac a nostra maiestate decem marcarum auri multa plectendo huius nostre serenitatis mandati transgressores, que pena a talibus exigi valeat in nostri Culminis Auditorio, et coram venerabili patre Strigoniensis Ecclesie Archiepiscopo, prout maluerit Prelatus Quinqueecclesiensis Ecclesie, Jurisdictione ipsius sancte Strigon. Sedis in omnibus taliter excedentes, de quacumque regni nostri partibus fuerint, presenti passim prorogata Indulto. — — — Job Strigon. Cathedram feliciter obtinente.“ — —

Koller Hist. Episc. Quinqueecccl. I. 302., Fejér Cod. dipl. II. 259., tomo autem III. II. 430. Andreae II. 1235. tribuit; prout etiam Kercselich Hist. Ep. Zagrab. I. 324.

## 122.

1191. 8. Jan. — Clemens PP. III. Praeposito Albensi et Abbati Montis Pannoniae iniungit, ut Jobo Archiepiscopo Strigon. consuetam obedientiam et reverentiam exhibeant.

Clemens episcopus, seruus seruorum dej, Dilectis filijs . . Albensi preposito et . . Abbatj sanctj Martini Salutem. Virtus obedientie quantum sit a uiris ecclesiasticis anplectanda, quisquis ratione utitur, non ignorat, cum facile quilibet ad ceteras uirtutes progressum habeat, in quo uigere dinoscitur huius prerogatiua uirtutis, sine qua non potest ad celestis beatitudinis brauium perueniri. Inde est, quod uolentes uos potiora bona obedientie imitarij, per Apostolica uobis scripta mandamus, quatinus Venerabilj fratri nostro Jobo Strigon. Archi-



episcopo reuerentiam et obedientiam impendere procuretis, quam predecessores uestri suis consueuerunt predecessoribus exhibere. Datum Laterani VI. Idus Januarij, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Bulla e filis canabeis pendet. Orig. in Arch. Prim. eccl. vet. Nro. 5. — Fund. et Arg. Archiepiscopi Strigon. contra Praep. Alb. sub litt. B. — Pray Hier. I. 7. — Katona Hist. Crit. IV. 382. — Fejér II. l. c. 273.

### 123.

1191. 11. Dec. — Coelestinus PP. III. omnes concessionem in praeiudicium Archiepiscopi vel Ecclesiae Strigon. impetratas, irritat.

Celestinus episcopus, seruus seruorum dei, Venerabilij Fratris . . Strigon. Archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem. Quantum in ecclesia dei locum obtines digniorem, tanto libencius iusticijs tuis intendimus; et ne commissam tibi ecclesiam per cuiusquam calliditatis astucia indebite pregrauetur; Ideoque presencium auctoritate statuimus, ut si nuncijs uel procuratore tuis, in nostri presenciam constitutis, (aliquid) eis nescientibus, contra te, uel commissam tibi ecclesiam comparuerit impetratum, nullam habeat, nec ullam obtineat in tui praeiudicium firmitatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere, uel ej ausu temerario contraire. Si quis uero hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani III. Idus Decembris, Pontificatus nostri anno (Primo).

Sig. plumb. e flavo et rubro serico pendet. Orig. exesum, nec amplius per integrum legibile, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. Fasc. 11. Nro. 1. — Ed. Fejér l. c. II. pag. 274.

### 124.

1191. 13. Dec. — Coelestinus PP. III. omnia privilegia Ecclesiae Strigon. generaliter confirmat.

Celestinus episcopus, seruus seruorum dei, venerabilij fratris . . Strigon. Archiepiscopo, Salutem et apostolicam benedictionem. Quia te tamquam precipuum sacrosanctae Romanae ecclesiae membrum et uenerabilem fratrem diligimus, et totis in xpo. caritatis uisceribus amplexamur; tuis desiderijs grato concurrentes assensu, petitiones tuas ea, qua decuit, affectione recepimus et earum tenore plenius considerato, quantum cum deo potuimus, curauimus executioni mandare, et deuotionis tuae feruorem, quem ad Romanam ecclesiam et nos speti-

aliter habere dinosceris, studiosius commendantes, tam priuilegia ecclesie tibi commisse canonice a predecessoribus nostris indulta, quam etiam indulgentias, uel alia quelibet Regalia scripta, saluis ecclesie Romane priuilegijs, auctoritate apostolica illibata precipimus et inconcussa seruari. Nullj ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere uel ej ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis deij et beatorum Petrij et Paulj apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Laterani Idibus Decembris, Pontificatus nostri Anno Primo.

Bulla e roseo et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Primat. eccl. vet. Nr. 4. — Fejér Cod. dipl. II. 275.

### 125.

1191. 20. Dec. — Coelestinus PP. III. ius coronandi, tum iurisdictionem spiritualem in domus regiae Officialium praepositos Archiepiscopo Strigon. confirmat, et Praeposituram exemptam Teutonicorum in Transilvania rati habet.

Celestinus episcopus, seruus seruorum deij. Venerabilj fratrj. . Strigon. Archiepiscopo, Salutem et apostolicam benedictionem. Tue deuotionis Feruorem, quam circa Romanam ecclesiam et nos specialiter habes, certis rerum indi-  
cijs cognoscentes, tuis desiderijs duximus et petitionibus annuendum, et tam in coronatione Regis, iuxta quod in Registro bone memorie C., predecessoris nostrj habetur inscriptum, tibi priuilegium confirmamus, quam etiam Regie domus officialium prepositos uinculo anathematis alligandi et in causis spiritualibus iudicandi, plenam et illibatam, tuam fraternitatem habere decernimus potestatem; ita siquidem, ut nullus Vngaricj Regni prelatorum, nisi tu solus, sicut etiam in Regia concessione habetur, beate memorie predecessoris nostri, Alexandrj, auctoritate, ac nostra tue ecclesie confirmata, id presumptione qualibet audeat attemptare. Cum autem ecclesia Theutonicorum Vtrasiluanorum in preposituram sit liberam instituta, et eisdem, quibus (et alie) prepositure exemptae, libertatis (insignibus redimita, et eam) autentico scripto karissimus in xpo. filius noster B. illustris Rex Vngarie studuit communire, quam etiam dilectus filius noster Gregorius, sancte Marie in porticu diaconus Cardinalis, tunc apostolice sedis legatus, priuilegij sui munimine roborauit et apostolica postmodum auctoritas confirmauit, eandem institutionem ratam habentes, precepimus nostri Registrj serie contineri, perhennj memoria duraturam. Nulli ergo omnino hominum — — cet. consvete. Datum Laterani XIII. kalendas Januarij, Pontificatus nostri Anno Primo.

In complicato inferiori margine: „bone me(morie) recolende uir(?) in partibus Vngarie.“ Sig. plumb. e flavo et roseo serico pendet. Orig. exesum, nec amplius per integrum

legibile, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. Fasc. 11. Nro. 2. — Ed. in duas dividendo Fejér l. c. II. 276.

### 126.

1192. — „In Archiepiscopatu Strigon. Hospitale s. Stephani vnam vnciam auri, quae dicitur Obon.“

E libro censuum Rom. Sedis Muratori Antiqu. medii aevi V. 574., Fejér Cod. dipl. II. 282.

### 127.

1193. — Bela III. Rex possessiones Conventus Cruciferorum Albensium recenset et confirmat.

In nomine Sancte Trinitatis et Indiuidue vnitatis. Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rameque Rex in perpetuum. Quoniam scrupulus questionis raro aut nunquam prouenit et emergit, cum titulus possessionis autentici scripti beneficio posteritatis memorie commendatur, ex officio Regie celsitudinis iusticie limitibus adherentes, piaque deuocione prouocati, quam erga domum hospitalis iherlm (ierusalem) gerimus et habemus, dignum duximus ab ipsis exordiri principijs, qualiter ecclesia b. Regis Stephani de Alba in dominium prefate domus hospitalis fuerit deuoluta. Martirius, vir honestatis eximie, Strigoniensis ecclesie Archiepiscopus, primos in prefata ecclesia lapides posuit et eam fere ad medietatem vsque perduxit, sed morte preuentus, consummare non potuit. Tandem domina mater nostra, instinctu diuine inspiracionis accensa, pro remedio anime sue et pro anima mariti sui, patris nostri, pie memorie Regis Geijsa et pro salute nostra, prefatum monasterium opere desiderato compleuit et varijs possessionibus copiosius dotatum ac ditatum ob religionem et honestatem ipsius domui hospitalis perpetuis temporibus contulit possidendum. Hec igitur sunt nomina prediorum, que a domina matre nostra prefato monasterio sunt collata: Oivduor, Chergon, Zolloc, Godan, Achachin, Querequi, Igor, Chiz, Meger, Gan, Hun, Berhin, Sumberhen, Mariada, Faeregiazza, Chepel, liba, horcha Ganth, worosth, foda, vilak, Tevel, feteil, Dus, petrella, Borz, Izca, Zoboka, Timar, Cheuz, horca, Zold, Jonata, Bomca, Concol, Bodogch, Epcen, Sag, agar, Boclar, hodog, heeg, Varung, Goboz, Gudeu, Vlean Toploza, Copiul, Areinnes, Ker, fuinnes, Stequed, halaz, Biuol.



In Oivduar terra est circumquaque metis signata. Prima meta incipit ab aqua, que vocatur Clesna a parte marc et vadit ad pratum, vbi facta est terrea meta, et sic meta intrat in siluam et vadit vsque ad raquaci-querec, Inde ad aliam aquam, que vocatur libouza et inde ad monticulum, de monticulo vsque ad abietes. Inde ad arborem iuxta viam positam. Ibi terra dividitur cum Comite Egidio, de arbore supradicta tendit ad aliam arborem. Inde ad veterem puteum, ibi intrat in viam et iuxta viam meta vadit ad metam, quousque perueniatur ad siluam, que dicitur Bokor et vltra bokor vadit ad duas vlmos et ibi diuiditur cum Johanne filio Comitis Andree, Inde meta ad metam vadit vsque ad aquam, que vocatur Benenca, Ibi diuiditur cum bokon. Ab aqua predicta tendit ad duas populos et Inde ad aliam aquam que vocatur Tur. Ab illa ad aliam, que vocatur Clesna, Ibi diuiditur cum Buzad, Inde ad quandam arborem, circa quam est fossa, deinde vadit meta ad metam usque ad magnam viam. Inde ad terream metam, ibi diuiditur cum Micus, inde meta vadit ad metam vsque ad monticulum et ibi diuiditur cum Jobagionibus de boka, Inde ad alium monticulum et ibi diuiditur cum Jobagionibus de bocovnicz, ibi intrat in viam et vadit usque ad pirum, de piro vsque ad arborem cequfa, ibi diuiditur cum populis ceche comitis, Inde usque ad monticulum et ibi diuiditur cum wayuoda, Inde ad magnam viam et est ibi terrea meta, Ibi diuiditur cum pomlin et sic perficitur meta usque ad aquam predictam, que dicitur clesna iuxta marc.

In Chergou prima incipit a piscina Abram et vadit usque ad monticulum areinquelen, inde ad aquam lizeou, ibi diuiditur cum Anthonio et iuxta aquam illam tendit usque ad fertes, Ibi diuiditur cum petro, inde ad aliam aquam zorduc et est ibi arbor per quatuor partes diuisa pro meta signata et iuxta eandem aquam ascendit superius ad terream metam et ibi diuiditur cum Both, descendit ad quercum, de quercu ad egerag et est ibi Bikfa pro meta, inde ad pirum, ibi intrat in viam et vadit ad aquam chernou, Inde ad viam sequesth, de via ad alium pirum, ibi diuiditur cum Abbate s. Jacobi, inde ad piscinam Tureg, inde ad portum Sorcod, inde ad Gudeiacara, inde ad egris, inde ad portum libauz, inde ad aquam vitmiz, ibi diuiditur cum Cuna, inde ad aliam aquam Sidala, inde ad cangelis, inde ad pirum, inde ad monticulum et est ibi terrea meta, Inde ad bigquereg et ibi diuiditur cum Martino comite filio mijrtur, inde ad pontem papa, inde ad aquam vegag, ibi diuiditur cum Subuleis nostris.

In Zuloc prima meta incipit ab aqua Rigauz, ibi diuiditur cum benedic, inde ad portum, ibi diuiditur cum filio comitis Thome, inde ad aquam imola, ibi transit ad quercum et iuxta eandem aquam tendit ad aliam aquam Galanas, ibi diuiditur cum Vinceslov et ibi intrat in viam Bobouca et vadit ad aquam Zudurug, ibi diuiditur cum seruis nostris, Inde de meta ad

metam et diuiditur cum paulo. Inde ad villam Gurguteg, inde ad cubules, inde ad villam Bissenorum, ibi diuiditur cum Mour filio comitis Stephani et sic usque ad villam supradictam reuertitur et diuiditur cum Johanne filio comitis Turde.

In vorost prima meta incipit a humerou et vadit ad pirum, inde ad aliam pirum, ibi diuiditur cum villanis de coach, inde per metas tendit et diuiditur cum Comite Both, inde ad pirum, inde ad piscinam, inde ad paruas vltimos, inde ad magnam terream metam, ibi diuiditur cum Johanne filio Anthonij, inde protenditur per metas et diuiditur cum cuzend, Inde eciam per metas protenditur et diuiditur cum filio farcasij, inde ad tres piros, ibi intrat in viam et vadit ad arborem, circa quam est fossa, inde ad duas arbores, ibi diuiditur cum Thoma comite et fratre suo Grisogono, ibi intrat in viam et vadit usque ad magnam terream metam.

In horcha prima meta incipit ab aqua Fuzeg, Inde ad quercum, inde ad magnam viam, Inde ad monticulum, qui vocatur war, inde ad pirum, inde ad aquam Fuzeg, inde ad latum campum de meta ad metam et sic redit ad aquam predictam Fuzeg.

In Bodogch prima meta incipit a cutfew, inde ad hjeicegin, Inde ad quiescut, inde ad feldeswar, inde ad quesarc, inde ad mour, inde ad sornuld, inde ad lean Sewm, inde ad villam Berith.

In Sold prima meta incipit a Cher et vadit usque ad liquacut, Inde ad Mogolos, inde ad guga, inde ad Zounuch, inde ad sarcam, inde ad dobos, inde ad foueam wlpis, sic reuertitur ad predictam villam Sold.

In Timar prima meta incipit a quiescut, inde ad cueshijg, inde ad viam Sumug, inde ad celenceg, inde ad perforatum lapidem, inde ad vallem, inde ad lapidosam fossatam inde ad rubeam viam et sic reuertitur ad predictum puteum.

In bozriz prima meta incipit a villa petri et tendit ad fossatam, inde ad keuresbocor, inde ad aldout, inde ad fossatam sacerdotis, inde ad molendinum inde ad monachum, inde ad borsod, inde ad vallem arpád, inde ad giren, ibi intrat in viam almas, et vadit ad pirum, inde ad perforatam arborem, inde ad fossatam petri, inde ad loacol, inde ad ker, inde ad zamor, inde ad longam fossatam, ibi intrat in viam et vadit ad aliam fossatam, inde ad viam Strigoniensem, inde ad foueam wlpis et sic redit ad predictum locum.

In Bokon prima meta incipit de vgufa, inde ad momnerowkerek, inde ad bikkerek, inde ad Milar, Inde ad siluam colocj, inde ad gogud, inde ad coach, inde ad scamer, inde ad sagberk, inde ad Nuchud et sic redit ad predictam vgufa.

In epzu prima meta incipit a villa cacod ab aqua Sar et vadit ad magnam viam, inde ad caput putei, inde ad campum cacu, inde ad viam

auellanosam, inde ad siluam Hijce, inde ad montem sumul, inde ad viam biren, inde ad viam Sap et inde ad viam muncad, inde ad montem aroud, inde ad seijrkev, inde ad viam hugan, inde ad pratum, de prato transit usque ad hijgiskew, inde descendit de meta ad metam usque ad predictam aquam Sar.

In Godan terra est ad tria aratra, in ethechijn ad octo et silua in tribus locis, primo ab oriente et est in circuitu fossata pro meta, Secundo ab occidente, quam diuidit magna via, a dextra parte monasterij est, a sinistra Richardi, Sic de meta ad metam usque ad pirum, Inde ad vnam arborem, inde ad puteum et sic procedit ad terciam siluam, inde ad magnam viam et per viam illam ad ecclesiam beate Marie.

In Igol est terra ad duo aratra. In varang ad duo. In copiul ad duo. In Feijrhigaz ad vnum. In Chepel ad vnum. In Euereki ad quatuor. In Chiz ad quatuor. In berk ad vnum. In Gan ad duo. In Meger ad duo. In Bernen ad quatuor. In Sumberven ad vnum. In liba ad quatuor. In Mariad ad quatuor. In Nun ad vnum. In Tewel ad vnum. In petrella ad duo. In Zoboka ad quatuor. In Concoyl ad vnum. In Boinka ad vnum. In boclar ad quinque. In ionata ad duo. In Sag ad duo. In agar iuxta fertew ad quinque, et in fertew habent predicti fratres partem, sicuti serui nostri. In ijodog est terra ad vnum aratrum. In Gijec ad vnum. In Bilol ad quinque et est vna insula iuxta danubium, cuius meta incipit a fossata vna et vadit usque ad portum, et ibi est meta terrea.

In villa olcan prima meta incipit a puteo hijnog et vadit ad montem Incov, inde ad pit, a puteo hijnog et vadit ad montem Incov, inde ad fossatam odolohc, inde ad Kac, inde ad arborem Johannis, inde ad cenhholm, et sic redit ad predictum puteum.

In eudev prima meta incipit de via ponchinta et vadit ad hijgesholm, inde ad monticulum, inde ad alium monticulum, inde ad loazhijg, inde ad huca arc, inde ad vallem duel, inde ad portam, inde ad montem Seeguen, inde ad aquam Sum et dimidia pars aque et prati pertinet ad predictum monasterium, reliqua medietas ad Jus Abbatis sancti demetrii, et iuxta eandem aquam tendit ad caput magni luti, inde ad Kammathyg et sic redit ad predictam viam.

In franca villa sunt tres vinee, quarum vna maxima est, quam dedit boronch. In coploza terra est ad decem aratra circumquaque metis signata. In Quer ad tria aratra. In fuenes ad sex aratra. In Seequed terra est in vno loco metis assignata cum tribus troncis et vadit usque ad portum, et cum eodem portu monasterij est. In Coboza terra est ad duo aratra. In halaz ad tria et est vna silua iuxta danubium, cuius meta sub fossata dolosa incipit et vadit usque ad caput piscine, que vocatur marag et finis illius perficitur



ad siluam sancti Benedicti, que vocatur Culpen et sunt ibi octo piscine, quarum nomina sunt Huzetow, Ceraka, Tynad, Tarinew, Ostompa, Quiestow, Gorinnbuka, Narag.

Predia illa, quorum limites in presenti pagina sunt annotati, per clericum nostrum Demetrium filium Gabrielis adhibitis cum eo testibus de prouincijs exceptione maioribus circui fecimus et metas eleuari, quorum limites notati non sunt, per eundem demetrium videri fecimus et nomina annotari nec inventus est homo, qui ad aures excellencie nostre aliquid contrarietatis contra prefatos viros hospitalis detullisset. Vnde ne imposterum huic donacioni a quoquam ausu temerario valeat contradici, eam presentis pagine patrocinio communiuimus.

Insuper eciam nos volentes celesti gazophylacio aliquid aggregare, ad sustentationem pauperum, quibus prefata domus necessaria quotidiana subministrat, liberos denarios de Oiwduor et Chergon, qui ad ius regale pertinebant, usque ad summam sexaginta marcarum perpetuis temporibus condonamus. Si uero de hijs locis, disponente domino, populus in tantum excreuerit, vt summam sexaginta marcarum, liberi denarij excedant, excessum voluntati Regum, qui nobis successuri sunt, relinquimus.

Data est carta, per manus Magistri Kathapani albensis prepositi Aule Regie Cancellarij. Anno ab incarnatione domini Millesimo Centesimo Nongesimo tercio. Venerabili Job Strigoniensi Archiepiscopo existente; Venerabili Saulo Colocensi Archiepiscopo existente; petro Agriensi Episcopo; Calano Quinecclesiensi Episcopo, et eodem tocius dalmacie atque Croacie Gubernatore; Baillezlawo Waciensi Episcopo; vgrino geuriensi Episcopo; Johanne Bezprimiensi Episcopo; Adriano Transsiluano Episcopo; Dominico Zagrabiensi Episcopo. Mog palatino Comite et eodem Bachiensis; dominico curiali Comite et eodem Budrigiensi; Andrea Comite de Suprun; Both Comite de Byhor; Machario Comite de Zawnich; Stephano Comite de Worosth; Egidio Comite de Zala; fulcone Comite de waswar; Stephano Comite de Braina; Poznan Comite de Talena.

E transunto Mathiae Regis a. 1464. — Orig. inter Acta Cruciferorum Capsa II. fasc. 1. Nr. 1., in Archivo Capituli Poson. asservata. — Edidit, sed nimis erronee, Fejér Cod. dipl. II. 283., porro Batthyányi Leg. Eccl. II. 286.

## 128.

1194. — „Littera Domini Belae (III.) olim Regis Hung. — — privilegialiter edita, declarabat, quod Salatice, filius Ieremie, ex confirmatione ipsius Belae, pro remedio animae suae totam terram in villa Telky, tam videlicet tertiam partem cum fratribus suis sibi pertinentem, quam portionem — haereditatis cum

cognatis suis eum contingentem, hospitali domus D. Regis Stephani, apud Strigonium constituto, perpetuo contulisset possidendam."

E iudicio palatinali a. 1429. Fejér Cod. dipl. II. 295. et iterum 302., extr. ib. X. VII. 163.

### 129.

Ante 1196. — Jobus Archiepiscopus Strigon. Ecclesiam Metropolitanam flammis absumptam reparat augustioremque efficit.

Documenta, quae hanc Jobi munificentiam testarentur, nulla supersunt; testem attamen eatenus ecclesia ipsa inscriptionibus quas praeseferebat per secula egit. Ut autem ecclesiae huius a s. Stephano constructae ac a Jobo auctae internam structuram accuratius noscamus, eius iconographiam Tab. I. exhibemus, subiungimusque verba Joannis Máthes, quibus eandem uberius sic describit:

Sanctuarium ejus lit. A. orienti obversum usque ad moenia procurrebat, vestibulum vero lit. B. Catechumenis, ut aiebant, destinatum, respiciebat occidentem, introitus ad hoc patebat ex parte meridionali lit. C., occidentali lit. D. et aquilonari, lit. E. intra et ad latus turricularum, quarum ea, quae a sinistris erat, jam olim disparente, alia a dextris lit. F. anno adhuc 1763. stetit, eratque ex quadratis lapidibus, hujus illa pars, quae supra Ecclesiae tectum eminebat coronis circularibus, spatio orgiae unius a se distantibus, supra has vero procurrens Turris, ac figuram octogoni exhibens, truncata injuriis coeli patebat. Dicebatur etiam Turcis deservisse pro loco, unde tempus precum annunciabant, et quidem more iisdem recepto Hosda (Hungaris b ő r h a r a n g nuncupatum) conscendens locum hunc eminentem, mane et vesperi, validissima voce clamabat: halla! seu Deus invocandus.

Locus Catechumenorum ante portam principalem Ecclesiae Ambone instructus habuit etiam exitum a dextris ad Ambitum versus domum, dein in habitationem Pyrobolariorum Magistri transformatam, unde erant gradus tumultuarie congesti versus binas Arcis portas.

A sinistris loci Catechumenorum erat porticus lit. G. portam pro populi ingressu aquilonem versus exhibens, ubi Altare Sanctae Luciae, et Sancti Nicolai, Cryptaeque aditus reperiebatur; supra porticum vero Altare SS. Trinitatis, ad cuius latus aquilonare erat Domus Custodis lit. H.

Ex supradicto vestibulo intrabatur in Navim Ecclesiae per portam lit. I. propter excellentiam operis, quod praeseferebat, speciosam dictam, ex qua cum exiguum quid repertum fuerit, omnia namque die 2-da Mai 1764. casu turris comminuta, ac confracta successu temporis vero ablata sunt. Ex compositis sal-

tem hinc inde in Arce, imo in ipsa civitate repertis frustis ideam quamdam formare licet. Constat eam caelaturis, mosaico labore expositis figuris, inscriptionibusque applicitis ornatam fuisse.

Aspicienti igitur, primo statim Augustae Majestatis Symbola, duo Leones objiciebantur, qui in Templo cubantes, oculis exesis, pedibus fractis, ore auri-  
busque antiquitate et tactibus praetergredientium attritis, qua custodes introitus eminebant, basi marmoreae incubantes pedibus anterioribus sibi suppositis ventretenus uterque exsculptus et mutuo sibi capite obverso, dexter quidem ex duobus frustis a tertia lateris costa jam mutilatus, pedibusque confractis actu adest. Horum dorsis pulcherrimae duae columnae marmoreae octogonae duas orgias altae insidebant, coloris uniformitate, sine omni ruptura, tot annorum, circiter quingentorum spatio, numerando ab anno 1188., quo Archi-Episcopo Jobo Protectionales Pontificiae Clementis III. sunt datae, et supra variis vicissitudinibus mira aemulatione Leonum gestientium sustinere in suo dorso, quin adhuc per modum rosae e dorso Leonum nidus protuberans majori subserviebat ornamento, fines columnarum velut coronis circumcincti, e dorso enati sunt: Columnae hae (id perhibente A. R. D. Széles condam Capellae Bakacsianae Beneficiato contemporaneo et oculato teste) mox post fata Barkoczyana disparuere.

Duobus passibus a Leonibus distabant in angulis ex utraque parte statuae humanae cum basi 1 pedis et 10 pollicum altae, ex albo calcario exsectae lapide, vinctis post terga manibus, uno solo genu violenter flexo, oblongo vestitu praecinctae, lumbis reclinatae antrorsum velut gementes, dorso quilibet columnam ex lapide aequae albo, non tamen ita quam priores prominentem sustentare videbantur.

Portam hanc, ex conjectura radiorum circularium liminis, triplicem exhibere licet, ita ut media eorum altior, latiorve, inter duas angustiores et depressiores, sita fuerit; perviasne, vel solum figuratas fuisse, haud est determinare; ornameto potius majestati, quam commoditati deservientes. Harum in arcu-  
nulla poteram detegere inscriptionum vestigia.

Porta media habuit in superliminari infra arcum per transversum marmor, cujus per medium videbatur ex parte sinistra inchoando diversi coloris marmore exposita effigies Basilicae, supra cum inscriptione incisa: BASILICA, Job Archi-Episcopus flectens, in manibus quasi chartam tenens, cum inscriptione: Deus propitius esto mihi peccatori. Supra eum: IOB. ARCHIEPS. in medio: ANIMALIA, et directe inferius erant duo angeli, supra lapidi incisam rotam volantes, et flabellum per crucem exhibentes, spiritus impetum exprimebant, quo rota agitur, rotae vero majori minor implexa eidem axi erat connexa, per crucem vero tres apparebant commissurae, per circuitum rotae majoris latinis characteribus exiguis exhibebatur inscriptio: ROTA IN MEDIO ROTAE; dein ultra ad dextram Rex Bela manibus inscriptionem tenens; Qui plasma-



sti me, miserere mei. Supra eum REX BELA. Penes Regem a dextris videbatur effigies Castri, cum inscriptione: CASTRUM. Infra imagines has in margine infimo liminis in uno ordine: Porta patet, vitae Sponsus vocat, introvenite.

Infra arcum supremum, cui erat incisa inscriptio: Mentem sanctam, spontaneam, honorem Deo, et Patriae liberationem, character quidem magno, sed confuso, et ad Gothicum accedente, quorum, dislocatio eo majorem attentionem lustrantis exigit, quod ascendente radio arcus, et ipsae litterae juxta regulas artis perspectivae, altiores profundiusque incisae observatae fuerint; ita ut literae, duobus infimis initiis arcui incisae una tertialitate breviores apparuerint, quam eae, quae in summitate arcus locatae erant.

Reperiebantur infra arcum hunc Effigies B. M. V. sedentis, caeruleo e marmore vestitum habentis, ac Jesum in manu tenentis. A sinistris ejus rex cum Angelo gladium habente, ac arbor; a dextris vero Episcopus cum ministro in habitu levitico thuribulum habente, et aequae arbor. Credibile est, hos Sanctum Stephanum, et Sanctum Adalbertum repraesentasse, ut inscriptiones etiam confusae innuebant. Rex habuit in manu: Suscipe Virgo pia, mea regna regenda Maria. Item B. Virgo in manu: Suscipio servanda tuis, si jura Sacrorum sumat Adalbertus sicut petis. Sanctus Adalbertus habuit in manu: Annuo Virgo tuis jussis, ac exequar ut vis.

In postibus portae intus sex, et extus aequae sex erant diverso marmore expositae effigies. Harum singulae una supra aliam erectae, inscriptionem sui nominis lineae ductu supra circulum, seu areolam capitis nigra commixtione Calcis cum gypso litteris excavatis habebant, sed et suis textibus sese prodebant, ut si etiam signatura lapidis exciderit, maneant tamen literarum vestigia.

In poste portae sinistro superius erat Sanctus Joannes Baptista, in manu habuit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi, miserere nobis. Dein Ezechiel Propheta in manu: Ecce ego aperiam tumulos vestros. Tertia atque infima jam totaliter confracta, evulsaque inscriptione, cujus sancti fuerit effigies, determinari haud potuit.

A dextris a summo per parallelum alteri plano Daniel Propheta cum inscriptione: Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, dein Zacharias Propheta in manu: Benedictus Dominus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae, et inferius Isaias Propheta, cum Effigies et inscriptio, sicut prioris, ei in parallelo stantis avulsa, solum per inscriptionem supra caput applicitam nosci potuerat.

In dextro poste ab intus superius Sanctus Petrus cum inscriptione: Charissimi, vigilate in orationibus vestris, quia adversarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quaerens quem

de voret. Marmor illud album, et uti suspicamur, Salisburgense, in planatione Arcis anno 1822. inventum, hodiedum asservatur. Dein Sanctus Joannes Evangelista in manu: Filioli, ecce pulso ad ostium, ut congregemini in diem Magni Dei, ut manducetis; infra hunc Sanctus Adalbertus cum inscriptione avulsa.

Ex alia rursum parte his parallela Sanctus Paulus, in manu: Solliciti sitis, ut in omni oratione petitiones vestrae inolecant apud Deum; dein Sanctus Matthaeus cum inscriptione: Nisi abundaverit justitia vestra, plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in Regnum Coelorum. Infra illum denique Sanctus Nicolaus, cujus in manibus videbantur quidem rudera litterarum, sed cum ex iis nullus determinari potuerit sensus, nec explicatio eorum adnecti potest.

Intus in superliminari duobus ejus postibus incumbente erant quatuor Angeli, cum inscriptionibus:

1. Attollite portas Principis vestras.
2. Quis est iste, qui venit de Edom.
3. Quis est iste Rex Gloriae.
4. Qui torcular calcavit solus.

Videmus ergo qualibus Ecclesiae Matris accessus fuerit Effigiebus Sanctorum, validissimisque scripturae sacrae textibus munitus; haec omnia, ut jam supra memini, casu turris comminuta ac confracta sunt, contra intentionem quidem operantium, ego vero haec ex diversis opusculis excerpta consigno posteritati.

Ad duo portae latera erant turres binae, quarum ea a dextris, lit. K. Sancti Andreae, usque ad tractum inferiorem demolita temporibus adhuc nostris videbatur, cui pietas statuum flagellationis Christi Domini cultus gratia imposuit. Tectum ejus moderno tempore habuit turriculam, exiguas duas campanulas usui adjacentis Capellae Bakacsianae deservientes tenens; alia turris a sinistris lit. L. Sancti Hieronymi, olim in inferiori tractu confessionali instructa, jam temporibus Barkoczyanis diruta fuit.

Intrando per portam Speciosam, in ipsa navi videbantur duae series columnarum gothicarum, lit. M. per quas Ecclesia in naves tres dividebatur. Intra harum ordinem secundum a sinistris erat introitus ad Capellam, lit. N. a Joanne Kanisai exstructam, honori B. M. V. in Coelos Assumptae sacram, cum adjacente ei Sacristia.

Capellae huic contiguum erat aedificium quadratum ad latus Ecclesiae aquilonare, vestibulo vel sacristia provisum sacellum aliquod, lit. O. vel potius depositorium rerum pretiosarum fuisse censendum ex eo incidenti, quod in tractu inferiori uni tantum columnae in medio innixus fornix, ductis undique ad eandem arcuatim fornicum lineis, posteriori magis congruum, quam capellae ap-

plicabile sisteret aedificium. Temporibus Barkoczyanis duae hic inventae per A. R. D. Széles adnotantur inscriptiones, quarum una lapidi communi incisa EKELKED . . . . . RIGON . . MDXX . altera marmori rubro insculpta: PRIMATI . . V . I . G . ostentabat, quorum de sorte nihil constat. Vastum istud aedificium dein sub Commendantibus Arcis, postquam ruinatum fuisset, tractu superiori demolito, terraque et cespite instar propugnaculi munito, propter avenam, diversaque victualia, tanquam in loco ab igne securo conservata, *Abrakos* dictum fuit.

Ex vestibulo ejus per gradus lapideos unum solum hominem recipientes, fiebat ascensus ad Bibliothecam illam celeberrimam, per Archi-Episcopum Joannem Vitéz erectam, ubi Seraphino Bibliothecario a triginta Graphariis codices describebantur.

In nexu aedificii hujus per longitudinem Sanctuarii erat aedificium consistoriale; praeterea duae turres a tergo Ecclesiae, ad binas Sanctuarii partes, quae pari artificio ex porphyrite adstructa tergum Templi ornatissime tenebant, de quibus Mathias Bel in sua descriptione Hungariae novae asserit, quod jam Regis Belae, et Archi-Episcopi Jobi temporibus exstiterint; locus iis probabilius ad duo latera Sanctuarii Q. assignari potest, ubi et gradus pro ascensione reperti sunt.

Penes Aedem consistorialem in ipsius primae navis extremitate erat Capella; cujus Sancti fuerit, eliquare mihi haud licuit; hinc per aperturam altam in muro navis mediae ad Sanctuarium A. cujus pars anterior tribus, interior vero ab hac priori quinque, adeoque in toto Octo gradibus altius, quam ipsa Ecclesia sita fuit; partem istam ab extremo puncto Sanctuarii lit. S. usque T. merito pro antiquissima et primaeva Ecclesia assumendam esse censeo, arbitrorque spatium a litera S. usque T. totam ejus longitudinem effecisse, quae dein successu temporis additis aedificiis, extensionem, quam Ichnographia ejus exhibet, assecuta, est. Sanctuarii extremitas erat sexangularis, procurebatque orientem versus usque ad ipsa moenia.

E regione aedis Consistorialis transeundo per Sanctuarium, intra navim mediam, et extimam erat similis apertura, de qua superius meminimus, ante quam ad ipsum murum meridionalem Ecclesiae sex Stalla lit. U. marmorea applicata erant; in extremitate vero navis erat ara.\*)

Anno 1823. occasione finalis diruitionis murorum veteris Ecclesiae, detecta sunt fundamenta Capellae Corporis Christi, lit. x. per Cardinalem Demetrium 1385. exstructae; situationem, et authenticam fundatori adjudicationem ejus evicit lapis fundamentalis, qui anno supramemorato in diruitione

---

\*) Hae litt. V., tum alia e regione illius litt. R. signatae Capellae per Chanadinum Archiepiscopum a. 1331. adiectae sunt. (Mem. Basil. 6.)



fundamentorum ibi detectus est. <sup>1)</sup> Constat Demetrium in sacello hoc sepultum fuisse; Exuviae tamen ejus, non obstantibus eatenus institutis indagationibus, detegi nulla ratione potuerant.

In peripheria hac, et immediate ad murum meridionalem Ecclesiae, inter Capellam hanc et Bakacsianam, reperta quidem sunt diversa fundamenta, sed tali in directione et forma, ut quid essent, nemo decernere potuerit.

Máthes Arx Strig. Strigonii 1827. pap. 32—41. — Ante a. 1196. restauratam a Jobo fuisse, inde concludimus, quia Bela III. Rex, qui inscriptione, ut vidimus, testante, in restauratione hac pariter partem coepit, anno hoc iam mortuus est.

### 130.

Ca. 1196. — Boleslaus Episcopus Vacienis „habito consilio Venerabilis — Job Metropolitani“ sui, Archiepiscopi nempe Strigon., annue synodum festo Nativitatis Mariae V. celebrandam, statuit.

Ex epistola Innoc. III. Wenzel l. c. I. 82. — Epistolam hanc, titulo hoc „B. Vacien-  
ensi Episcopo salutem et apost. benedictionem,“ auctam, Péterffy Conc. I. 83., Katona Hist.  
Crit. IV. 415. et Fejér Cod. dipl. II. 290. Coelestino PP. III. tribuunt ad a. 1193.

### 131.

Sine dato. — Bela III. Rex omnes iobagiones Cruciferorum Strigon. „in  
szent Király alio nomine Obon residentes, a solutione quorumlibet tributorum  
ubique in Regno existentium,“ eximit.

E Litteris Stephani de Báthor Judicis Curiae sub Alberto Rege. — Katona Hist.  
Crit. IV. 333. — Fejér Cod. dipl. VII. I. 184.

### 132.

Ca. 1197. — Emericus Rex Strigonii nuptias celebrat.

Instruebat tunc Emericus Hungarorum Rex, Belae filius, ingentique apparatu nuptias, cum Constantia Arragoniae Regis filia Strigonii adornabat, ad quas Henricum quoque Bohemiae Principem invitaverat, quod quia per-

1) Cum inscriptione: Demetrius Cardinal. Vide Máthes l. c. Tab. VIII. litt. A.

commode cecidit, ita videlicet ut Henricus cupiebat, iam pridem appetens, avidusque foederis cum Rege Pannoniae ineundi, tam tempestiva occasione ad id conficiendam sibi oblata, non mediocriter laetabatur, venitque Strigonium ad diem nuptiis dictum.

Dubravius Hist. Boh. l. 14. pag. 378. — Haec unde Dubravius sumserit, nusquam reperio — ait Katona Hist. Crit. IV. 499. — quae si vera sunt, Emerici nuptias ad a. 1199., ut Schierius (Reginae Hung. 171.) vult, retrudi non posse, certum est. Ast nec a. 1198., ad quem Katona figit, celebrari potuerunt, quia Henricus hic iam a. 1197. 15. Jun. obiit (Palacky Gesch. Böhm. I. 491.) Bene ergo Katona ipse ex anno hoc obitus adiicit: „Hoc statuto, si Dubravio, qui Henricum Emerici nuptiis interfuisse scribit, tuto fides adhiberi posset, eas ante hunc annum collocare necesse foret.“

### 133.

1198. initio Jan. — Innocentius PP. III. Jobo Archiepiscopo Strigon. indulget, ut votum peregrinationis sacrae alio oportuniori tempore impleat.

— — Significavit nobis — — Henricus, Vngariae rex illustris, quod cum in regni turbatione consilium et auxilium tuum sibi senserit hactenus profuisse, utilitati eius non modicum derogaret, si Hierosolymam, sicut ex voto teneris, regno pergeres impacato. — — Mandamus, quatenus non prius iter arripas Hierusalem adeundi, quam regnum ipsum fuerit tranquillitati pristinae — — restitutum, vel super hoc receperis ab Apost. sede mandatum. Datum Laterani.

Innoc. III. Decr. et epist. t. I. f. III. p. 1., Katona Hist. Crit. IV. 474., qui etiam datum determinat, Fejér Cod. dipl. II. 311.

### 134.

1198. 8 Febr. — Innocentius PP. III. Capitulum Strigon. in possessione decimarum vini Strigon. confirmat.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, Dilectis filiis, Capitulo Strigon. Ecclesie Salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officij nostrj ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in domino filij, uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, decimam uini, quod nascitur in montibus Strigon., sicut eam ex concessione Venerabilis fratris nostri J. Strigon. Archiepiscopj iuste et pacifice possidetis, vobis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio commu-

nimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum Datum Laterani VI. Idus Februarij, Pontificatus nostri Anno Primo.

Sig. plumb. e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad 44. fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Wenzel l. c. I. 86.

---

135.

1198. 16. Maii. — Innocentius PP. III. districtius inhibet Andreae Duci, „ne in Regem aut Regnum arma movere praesumas; — — — sciturus, nos — — Strigoniensi et Coloc. Archiepiscopis et eorum suffraganeis — — mandasse, ut si contra memoratum Regem arma movere vel seditionem excitare praesumseris, te ac tuos — — excommunicationis sententia feriant. — — Datum XVII. Kal. Jun.“

Innoc. III. Decr. et epist. edit. Rom. f. 119. p. 2., Katona Hist. Crit. IV. 481., Fejér Cod. dipl. II. 315.

---

136.

1198. 4. Jun. — Innocentius PP. III. omnia iura et privilegia Ecclesiae Strigon. confirmat.

N. Strigon. Archiepiscopo. Quia te tanquam praecipuum sacrosanctae Romanae Ecclesiae membrum et venerabilem fratrem diligimus — —, tuis desideriis grato concurrentes assensu, petitiones tuas — — curavimus executioni mandare et devotionis tuae fervorem, quam ad Romanam Ecclesiam et nos specialiter habere dignosceris, studiosius commendantes, tam privilegia Ecclesiae tibi commissae, canonice a nostris praedecessoribus concessa, quam etiam indulgentias, vel alia quaelibet Regalia scripta — — auctoritate apostolica illibata praecipimus et inconcussa manere, — — Datum II. Non. Jun.

Innoc. III. Decr. et epist. ed. Rom. fasc. 113. p. 1., Katona Hist. Crit. IV. 502., Fejér Cod. dipl. II. 323. — Textus, praeter Datum, ex integro respondet Nro. 124., cumque Originale in Archivis Strigon. non supersit, suspicor litteras has erronee hic Innocentio tribui.

---



# MONUMENTA ECCLESIAE STRIGONIENSIS.

JUSSU ET SUMPTU

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

**JOANNIS CARDINALIS SIMOR**

PRINCIPIS PRIMATIS, ARCHIEPISCOPI STRIGONIENSIS  
CET. CET.

ORDINE CHRON. DISPOSUIT,  
DISSERTATIONIBUS ET NOTIS ILLUSTRAVIT

**FERDINANDUS KNAUZ**

ECCL. METROP. STRIGON. CANONICUS ET BIBLIOTHECARIUS, ACADEMIAE  
SCIENTIARUM HUNGARICAE SOCIUS ORDINARIUS.

**TOMUS PRIMUS**

AB A. 979. AD A. 1273.

NRI. 1—792.

(CUM 6 TABULIS LITHOGRAPHICIS ET 16 SIGILLIS LIGNO INCISIS.)

---

**STRIGONII, 1874.**

TYPIS DESCRIPSIT AEGYDIUS HORÁK.

## 139.

1198. — Emericus Rex decimas de proventibus Regalibus, a s. Stephano et Ladislao regibus Archiepiscopo Strigon. concessas, confirmat, et Palatium in Castro Strigon. eidem Archiepiscopo donat.

In Nomine sancte Trinitatis et indiuidue Unitatis. Emricus (sic) dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, rameque rex, omnibus notificamus, Quod quia sanctissimus rex Stefanus et beatus Ladizlaus rex Hungarie reges, nostri patres et predecessores, ordinauerunt, recepto apostolico mandato, ut de omnibus prouentibus regalibus, nunc habitis et quoque modo et nomine habendis, atque ampliandis, rex Hungarie quicumque fuerit a deo coronatus per sedem Strigoniensem, in signum catolice fidei, decimam soluere deberet archiepiscopo Strigon., a quo fidem baptismatis et coronam receperunt; nos eadem fide, qua ipsi saluari uolentes, in perpetuum statuimus, quod de omnibus prouentibus regalibus archiepiscopus Strigon. decimam ad plenum recipere debeat, prout semper receperunt. Item decimam tributorum in terra Scipiensi et in posonio, ipsi domino archiepiscopo Strigon. in perpetuum promensa sua, sicut per sanctos reges erant donate. Item pro salute nostra et pro discordia uitanda, exemplo sanctorum regum, donauimus in perpetuum domum regalem in Castro Strigon., que nondum fuit opere consumata, eidem Strigon. archiepiscopatu; tamen tempore necessitatis nostre ipse dominus Archiepiscopus nos in eadem recipere teneatur. Datum per manus domini Kaptapani (sic) episcopi agriensis, aule nostre cancellarij. Anno ab incarnatione Domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. nonagesimo octauo.

Sigillum e crassa rubra sericea zona pendebat. Orig. lacerum in Arch. Prim. sec. Lad. J. Fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. II. pag. 324.

## 140.

1198. — Emericus Rex donationem telonii Strigon., Ecclesiae Strigon. a patre suo factam, confirmat et ampliat.

IN NOMINE SANCTE TRINITATIS ET INDIUIDUE UNITATIS. Hemericus, dei gracia Hungariae, Dalm., Chrouaciae, Rameque rex, in perpetuum. Regie serenitatis clemencia uniuersos, pie in xpo. uiuentes, protegere consuevit ac fouere; specialius tamen ecclesiae dei, per quem reges regnant et locis religiosis promptum solet fauorem impendere et debitae prouisionis gratiam diligencius impertiri. Hinc est, quod nos piis progenitorum nostrorum uestigiiis inherentes, tres partes thelonei strigoniensis, quas felicis memorie rex B., pater noster, diuinae retributionis intuitu contulit ecclesiae

Strigon., <sup>1)</sup> et quartam partem eiusdem thelonei, quam nostra deuocio, pro remedio animae nostrae et regni nostri salute, prefatae donauit ecclesiae, presentis scripti auctoritate confirmamus, et ut, quod pie collatum est, perpetua gaudeat stabilitate, presentem paginam sigilli regii impressione comunimus, statuentes, quod si quis contra hoc factum nostrum uenire presumpserit, nouerit se iram regie indignacionis incursum et ab oracionibus sacrosanctae ecclesiae se fore alienum. Hoc eciam duximus annectendum, quod predictas tres partes thelonei, a patre nostro collatas, ipse sigillo suo corroborauerat; uerum in combustione Strigoniensis ecclesiae corroboracionis pagina combusta est. <sup>2)</sup> Nos itaque uolentes tam patris nostri elemosinam, quam nostram integre et indimute Strigon. ecclesiae conseruare, tam prefatas tres partes, a patre nostro collatas, quam quartam, a nostrae deuocionis pietate donatam, sigilli nostri impressione comunimus. Datum per manum magistri chatapani, agriensis episcopi, domini regis cancellarij, anno incarnationis domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XC<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>. Venerabili Job Strigoniensi existente archiepiscopo; Saulo cholochensi archiepiscopo; Calano quinqueecclesiensi episcopo; Vgrino georiensi episcopo; Bolezlao Waciensi episcopo; Adriano ultrasilvano episcopo. Mogh palatino comite, Petro filio turoy curiali comite; Mich a bichoriensi comite; Dionisio noui castri comite; Benedue nithriensi comite.

Sig. crassum, sed detritum e filo crasso sericeo rubro pendet. Orig. aterrimo caractere nitidissime exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 24. Fasc. 1. Nro. 2. - Ed. Schmitth Eppi. Agr. I. 104.; Katona Hist. Crit. IV. 506.; Fejér l. c. II. 325.

---

### 141.

1198. — Emericus Rex — —, Quod D. Job Archiepiscopus Strigon. Marcum de Zypsio — —, ad nos, ubi Roma reditum maturasset, uenientem, presentavit, cum oratione, ut privilegia — — super castris Gumur et Szent Mihaljur — — casu amissa, innovaremus. — — Unde cum dictus Archiepiscopus privilegia illa uidisset et legisset in castro Strigon., eadem innovat et confirmat.

Comp. Hist. familiae Mariássy 19., Fejér Cod. dipl. II. 344.

---

1) Vide Nrum. 118.

2) Litterae hae, ut Nrus. 118. testatur, actu supersunt; forte ergo aliud par illarum combustum fuerit, vel litterae hae tardius reinventae fuerunt.



## 142.

1198. — Innocentius PP. III. Archiepiscopo Strigon. reformationem Abbatiae de Telki committit. —

— — Ad audentiam nostram noueris peruenisse, quod monasterium de Telequi ad tantam dissolutionem — — est devolutum, ut nec statutus in eo regularis ordo servetur, nec fratres — — congrue possint de ipsius redditibus sustentari. — — Idem monasterium — — sollicitudini tuae, quamdiu nobis et successoribus placuerit, duximus commitendum, per apostolica scripta mandantes, quatenus taliter ipsius reparationi studeas imminere, ut divini nominis cultus in eo de die in diem potius augeatur et fratrum necessitatibus vitae necessaria congrue ministrentur.

Innoc. III. Deer. et epist. ed. Rom. fasc. 3. p. 1., Katona Hist. Crit. IV. 500., Fejér Cod. dipl. II. 322.

## 143.

Ca. 1198. — Boleslaus episcopus Vaciensis loca quaequam „et ad ea pertinentia cum molendinis, vineis, libertinis, servis et ancillis, quae iuri Eluimi episcopi Varadiensis, fratris sui, competere videbantur, ab ipso in praesentia Job archiepiscopi et Strigon. Capituli comparavit, quum Romam, tempore Regis Emerici pro quibusdam necessitatibus esset profecturus.“

E litteris Andreae Regis a. 1214. Katona Hist. Crit. V. 180., Fejér III. I. 159. — Katona ib. IV. 519. adiicit: „Ceterum ista dubium sensum habent, an de Boleslai vel Eluimi fratris itinere Romano loquantur.“ Eluimus hoc anno Romam citatus fuit, (ib. 518.) adeoque hoc a. venditio haec facta fuerit.

## 144.

1199. 30. Jan. — Innocentius PP. III. ob mutilationem registri pontificii „inauditum — nempe — falsitatis genus, tam novitate nocendi, quam praesumptionis audacia vniversa fere hactenus inventa genera falsitatis excedens,“ magistrum P. Strigon. Praepositum, et magistrum Robertum Anglicum et Asonem presbiterum, quos huius iniquitatis consocios esse audivit, per Episcopum Jauriensem et Abbatem de Bakony evocandos decernit, qui ab eis exquirant, „quo mandante, cuius consilio, quo conscio et quo procuran-

te tantae falsitatis crimen fuerit attentatum. — — Datum Laterani III. Kal. Febr.“

Innoc. Decr. et epist. ed. Rom. f. 258. p. 2., Katona Hist. Crit. IV. 548., Fejér Cod. dipl. II. 356. — In eodem negotio 4. Febr. Emerico Regi scribit, rogans eum, ut testes examinandos protegat et defendat. Ib. — An et quomodo semet incusati purgaverint, ignoratur.

---

**145.**

1199. 1. Febr. — Innocentius PP. III. causam Capituli Varadiensis, Episcopum suum de crimine periurii et simoniae accusantis, Archiepiscopo Strigon. et coiudicibus suis discutiendam committit. Datum Kal. Febr.

Innoc. III. Decr. et epist. f. 262. pag. 1., Katona Hist. Crit. IV. 540., Fejér Cod. dipl. II. 351.

---

**146.**

1199. 10. Mart. — Innocentius PP. III. Capitulum Strigon. in possessione tributi fori Strigon. confirmat.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, Dilectis filiis, Capituli Strigon. Ecclesie Salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostrj ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in domino filij, uestris iustis postulationibus gratum impertientes assensum, partem illam tributi fori Strigon., quam inclite memorie Bela, quondam Rex Vngarie, et karissimus in xpo. filius noster, Aimericus (sic), qui eidem in Regno successit, pro remedio animarum suarum Ecclesie uestre liberaliter contulerunt, <sup>1)</sup> sicut eam iuste et pacifice possidetis, vobis et ecclesie uestre, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat — — cet. consuete. Datum Laterani VI. Idus Martij. Pontificatus nostri Anno secundo.

Sig. plumb. e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. fasc. 1. Nr. 3. — Ed. Wenzel, sed erronee ad a. 1198. l. c. I. 88.

---

1) Vide Num. 140.

## 147.

1199. 14. Dec. — Innocentius PP. III. iuribus Episcopi Transilvani contra Archiepiscopum Strigon. et presbiteros Flandrenses cavet.

Adriano Ultrasilvano Episcopo. — — Statuimus, vt si aliquod scriptum contra sententiam, quae contra Flandrenses sacerdotes, qui positi sunt in terra sancti Michaelis <sup>1)</sup> quondam decimali, super iure parochiali pro te lata est, per subreptionem appareat impetratum, viribus careat. — — Illud quoque decernimus, — — vt si — — N. Strigon. Archiepiscopus et Cibiniensis Praepositus, aut ipsi Flandrenses presbiteri — — iudices aliquos impetraverint, quos vel habeas adversarios, vel manifeste possis probare suspectos, ad recusandum illos, liceat tibi Sedem apostolicam interpellare. — — Datum Laterani XIX. Kal. Jan.

Innoc. III. Decr. et epist. f. 416. p. 1., Katona Hist. Crit. IV. 536., Fejér Cod. dipl. II. 348. — Bene istinc Pray (Hierarch. II. 210.) colligit, Praeposituram Cibiniensem iam tum sub iurisdictione Archiepiscopi Strigon. fuisse.

## 148.

1199. — Emericus Rex patronatum Praepositurae S. Spiritus iuxta Makra comitis Dénes a filiis Beche, ob dilapidationem substantiae aufert et filiis comitis Onch confert.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Emericus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rameque Rex in perpetuum. Quoniam humani generis miseranda condicio vite sue breuitatem, ad supplicium sue transgressionis diuinitus institutam, in facultatem sue cupiditatis consuevit assumpmere; Necesse est humane vite rectoribus instabilem presencium noticiam, quam uite breuitas diu continere non potest, uiuacibus litterarum notulis ad tempora futurorum extendere. (H)ac itaque consideracione intenti, indelebili scripturarum testimonio commendare dignum duximus, vt fidelibus nostris, filijs Onch comitis, Johanni scilicet et Jacobo et Onch, patronatum <sup>2)</sup> ecclesie sancti Spiritus, monasterij videlicet Dyenus comitis, quod supra fluuium Crisij iuxta Macra situm est, pro elegancioris industrie forma et sagacis ingenij prosapia, nec non et conseruande equitatis pericia, iure hereditario conferremus, et a destructoribus, ac disturbatoribus, atque substancias militancium dei dilapidantibus et precium Cruoris xpi, tamquam propria largien-

1) Ecclesiae nempe Transilvaniae.

2) Fejér: quarto natu!



tibus; licet enim eiusdem prefati comitis heres extitisset, merito pro tali scelerum suorum examine alienaremus, et alijs pro exsequenda iusticia communi consilio nostrorum principum substitueremus. Vnde a filijs Beche, Luka scilicet et Johanne et ab alijs consanguineis prenominati comitis iam dictum monasterium exemimus, et hoc ut atestacione eiusdem loci prepositi, nomine Belus, et omnium fratrum suorum veridica, et relacione percepimus. Tales malorum exactores, exigentibus meritis, a suis bonis priuauimus. Vt igitur huius collacionis donacio et series pretaxatis filijs Onch comitis et suis heredibus dente inuidie dilacerari cum calumpnis falsitatis ex aliqua parte non possit defraudari, hanc paginam, in argumentum nostre donacionis intitulatam, sigillo nostro fecimus corroborari. Datam per manus Desiderij, aule Regine Cancellarij et prepositi de Zebyn. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. c<sup>o</sup>. nonagesimo nono. Venerabili Job Strigon. archy Episcopo existente; Reuerendo Saulo Colochensi archi Episcopo; Wgrino Geuriensi Episcopo; Cathapano agriensi Episcopo; Bolezlauo Waciensi Episcopo; Kalano Quinqueecclesiensi Episcopo; Johanne Chanadiensi Episcopo; Elluino Waradiensi Episcopo; Kalenda Wesprimiensi Episcopo. Mogh palatino et comite Baachiensi; Myke comite Bichoriensi; Fulkone comite Budrugensi; Chepano comite Supruniensi.

E transsumpto Capituli Várad. a. 1315. — In Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 70. fasc. 1. Nro. 6. — Edidit Fejér l. c. II. pag. 373.

### 149.

Sec. circ. XII. — Abbatia s. Benedicti prope Strigonium incertae originis.

Argumentum veteris eius existentiae liber est regius, in quo inter ceteras Abbatias et Praeposituras regulares, quarum titulos Augusti Reges nostri conferre solent, scripta est. Nullibi secus mentio eius occurrit. Orta fuerit — ut Fuxhoffer (Monast. I. 238) et Czinár (Monast. I. 301) existimant, dum Clero regulari, Canonicorum vices obeunti, seculare sacerdotium successit, sub finem nempe XI. aut initium XII. seculi. Nec de situ eius certi quid constat; lucem tamen affundere videntur Annales Paulinorum, qui de Bela IV. Rege haec habent: „Palatium suum, quod pro requie venationis in Insula (rectius silva) Pilisio habebat magnificum, cum omnibus ad id pertinentibus ea intentione Paulinorum ordini donavit, ut inde Monasterium, inducendis e sancta Cruce fratribus et augendo cultui divino efformaretur. Cuius tamen executio per septemdecim annos adusque Ladislai Regis tempora dilationem passa est. Hic — — — Belae votis obsecundans, e palatio illo, Benedek-völgye dicto, claustrum cum Ecclesia, congregandis inibi Paulinis, indito

nomine s. Spiritus in Pilisio aedificavit". (Eggerer Fragmen panis Corvi 83., Bél Notitia Hung. III. 9., Fejér V. III. 31.) Expressio haec Benedekvölgye, seu vallis s. Benedicti sat clare innuit, Abbatiam s. Benedicti hic esse quaerendam, cuius monachis per Tartaros exterminatis, monasterium desolatum Bela pro usibus suis in palatium converterit, subindeque Paulinis concessit.

### 150.

1201. — Emericus donationem Belae III. Nro. 118. comprehensam rati habens, Capitulo Strigon. locum fori Strigon. confert.

In nomine sancti trinitatis et indiuidue unitatis. Hemericus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chronacie, Rameque rex in perpetuum. Gloria regum, in solio presidencium, tunc digne celebri laudum preconio a subditis attollitur, si predictorum regum prouida ac salubris ordinatio maneat inconcussa. Proinde nouerint uniuersi, presentes ac posterius, quod nos karissimi patris nostri, domini Bele, quondam incliti Regis Hungarie, pie recordacionis, deuotionem, quam habuit erga sanctam Strigoniensem ecclesiam, et donacionem, quam de tributo fori strigoniensis eidem ecclesie et fratribus, in ea residentibus, salubriter facerat, in nostri pectoris armario deuote recondentes et ratam habentes, volentesque tam pro nostre, quam ipsius karissimi patris nostri remedio anime donacionem eius s(alu)tarem ampliare, ut sit pacifica in perpetuum; de consilio episcoporum et baronum Regni nostri, locum fori Strigoniensis cum fundis, mansis et edificijs, a portu danubij minoris, ubi pisc(es) in uiuarijs seruantur, versus orientem directe (ad ter)minum fosse et abhinc uersus lacum aque calide usque portum eiusdem danubij, intra ambitum circumquaque existentibus et cum inquilinis, eidem ecclesie et fratribus, residentibus in eadem, dedimus, donauimus et contulimus, perpetuo et irreuocabiler possidendum, tenendum et habendum. Volumus eciam, quod iidem hospites et inquilini sint distincti a uico latinorum et nullo iure in ipso uico residentibus subiacent, sed solo iusto seruicio, uidelicet solucione census seu terragij, collectarumque competencium et munerum, secundum libertatem aliorum hospitum liberorum eiusdem ecclesie, ratione dominij, eisdem fratribus teneantur, et iidem fratres iudicatu et pleno dominio gaudeant in perpetuum. Siquis autem contra huiusmodi donacionem et confirmacionem nostram uenire presumpserit, diuinam incurrat ulcionem. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes litteras sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum per manus Desiderij, aule nostre cancellarij et prepositi de scybin, dilecti et fidelis nostri. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. C. C. primo. Regni autem nostri anno quin-

to. Venerabili Job Strigon. archiepiscopo existente; Reuerendo saul Colocensi archiepiscopo; Kalano quinqueecclesiensi; Vgrino Geuriensi; Adriano transilvano ecclesiarum episcopis. Myke palatino et Bychoriensi Comite; Nicolao vayuada; Benedicto Bathiensi comite; Tyburcio comite de Budrug; Thoma comite de suprun; Poth comite de Musun, Dignitates regni tenentibus et honoreS.

Sigillum cum zona avulsum. Orig. pulchre exaratum, sed humore corruptum et lacrum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 24. fasc. 1. Nro. 3. Ediderunt Schmitth Episc. Agr. I. 107; Katona Hist. Crit. IV. 607. et Fejér l. c. II. pag. 384.

### 151.

1202. — Emericus Rex terram Udvarnicorum Regionum, Strigonii circa ecclesiam s. Laurentii sitam, ad preces Job Archiepiscopi, Capitulo Strigon. confert.

IN NOMINE SANCTE TRINITATIS ET INDIUIDUE UNITATIS. Emericus, dei gracia Hung., Dalm., Croacie, Rame, Bulgarieque rex, in perpetuum. In conspectu conditoris omnium acceptum fore credimus, dum ea, que sacris locis priores donauerunt, posteris seruent perhempniter et suis amplient donatiuis. Proinde notum facimus vniversis, quod nos domini Belè quondam Regis hungarie, pie recordacionis, patris nostri karissimi, donacionem, quam de tributo fori Strigoniensis, ob remedium sue salutis, Capitulo Strigoniensis ecclesie et fratribus, in ea deo famulantibus, fecerat suis litteris mediantibus, ratam habemus atque firmam et perpetuo confirmamus; et insuper uolentes elemosinam nostram addere perpetuam, ut per hoc a domino brauium salutis eterne consequamur; locum eiusdem fori Strigoniensis, de consilio prelatorum et baronum regni nostri, cum fundis, areis, terra et edificijs, a portu danubij minoris, ubi pisces in uiuarijs seruantur, versus orientem directe usque terminum fosse et abhinc versus lacum aque calide usque ad portum magni danubij, eidem ecclesie Strigoniensi et fratribus, residentibus in eadem, dedimus, donauimus et contulimus perhempniter possidendum, cum pleno dominio tenendum et habendum; tali modo, quod hospites, in eadem terra et loco nostre donacionis residentes, sint distincti a uico latinorum et nullo iure in ipso uico residentibus debeant subiacere; prout in alijs litteris nostris plenius continetur. <sup>1)</sup> Sed quod quedam (terra) vduornicorum nostrorum Strigoniensium in medio, circa ecclesiam sancti laurencij remanebat, ipsam ad petitionem venerabilis patris, domini Job, archiepiscopi Strigon., di-

1) Vide Nrum. 150.



lecti et fidelis nostri, predictis fratribus, intuitu fidelitatis eorum, et pro nostra ac eiusdem patris nostri salute sempiterna, donauimus perhempniter possidendam, ne predicti vduornici nostri habeant aliquando causam ipsos fratres perturbandi. Cuius terre quantitas et situs taliter distinguntur; Videlicet a parte orientali est uia, qua itur extra portam; a parte septentrionali fossatum usque ad danubium minorem; a parte uero meridionali locus fori infra ecclesiam beati Nicolai, tendens usque ad danubium minorem, ubi pisces seruantur et uenduntur. Vt igitur hec nostra donacio perpetuam optineat firmitatem, presentes litteras nostro fecimus sigillo roborari. Datum per manus desiderij, prepositi Scibyniensis, dilecti et fidelis nostri. Anno domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C<sup>o</sup>. secundo, Regni autem nostri anno sexto. Venerabili Job predicto Strigoniensi, Reuerendo Saul Colocensi archiepiscopis; kalano quinqueecclesiensi; vgrino Geuriensi; Adriano Transilvano, et alijs episcopis, ecclesias dei gubernantibus. Myke Palatino et Bychoriensi comite; Nicolao vayuada; Benedicto Bachiensi; Tyburcio budrugiensi; Thoma Supruniensi et Poth Musuniensi Comitibus, et alijs, Comitatus nostros tenentibus et honores.

Sig. ingens, e rubro, flavo et fusco serico pendens, sat bene conservatum, exhibet Pray Syntagma de Sig. tab. VIII. fig. 3. — Orig. in medio per dependens sigillum lace-ratum, in Arch. Cap. Strigon. priv. Lad. 24. fasc. 1. Nro. 4. — Extr. Schmitth Episc. Agr. I. 109., Katona Hist. Crit. IV. 630. Initium, quod hi exmiserunt, dedimus M. Sion. II. 126. tum hinc et e Cod. Fejér integre ed. Wenzel VI. 224.

## 152.

1203. 28. Febr. — Innocentius PP. III. ne inter Archiepiscopos Strigoniensem et Colocensem, absente rege, lites erumpant, curaturum se promittit.

Fuit — — propositum coram nobis ex parte magnitudinis tuae, <sup>1)</sup> quod quum pro subventionem terrae sanctae crucem assumseris, — — ne regnum tuum interim aliqua posset seditione turbari, — — Strigoniensi et Colocensi Archiepiscopis iniungere dignaremur, ne in absentia tua, ecclesiarum occasione suarum, aliquas lites moverent, per quas in regno dissensiones et scandala orirentur. Nec nos etiam ad eas, quae in ortae sunt, cognoscendas, vel etiam committendas usque reditum tuum intendere curaremus. — — — Petitioni tuae taliter respondemus, quod in his eam discrecionem et cautelam curabimus adhibere, ut si aliquae inter personas ecclesiasticas regni tui lites emergerint, taliter, auctore

1) nempe Emerici Regis.

Domino, procedemus, quod nostri occasione processus regnum ipsum nullum poterit scandalum formidare. — Datum Laterani II. Kal. Mart. Pont. n. a. sexto.

Dobner Mon. II. 332. Ex reg. a. 6. ep. 8., Katona Hist. Crit. IV. 662., Fejér Cod. dipl. II. 403.

---

153.

1203. 5. Maii. — Innocentius PP. III. Archiepiscopum Colocensem a violatione Iurium Archiepiscopi Strigon. prohibet, admissaque corrigere iubet.

Innocentius episcopus, seruus seruorum dei. Venerabili fratri.. Colocensi Archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem. Grauem in presencia nostra venerabilis frater noster.. Strigon. Archiepiscopus proposuit questionem, quod cum in ecclesia, que spectat ad ipsum, benedictionem post missam dare cepisset, tu in non modicum clamorem prorumpens, in ipsius iniuriam et grauamen populo benedictionem dedisti. Preterea contra uoluntatem suam consecrationis munus in ecclesia, pertinente ad ipsum, duobus episcopis impendisti et per alias ecclesias sue prouincie, ad Strigon. ecclesiam pertinentes, sollempniter crucem ante te faciens deportari, palleatus missam contra uoluntatem suam, sicut asserit, celebrasti. Quoniam igitur pati nolumus, nec debemus, ut idem Archiepiscopus indebite aggrauetur; fraternitatj tue per apostolica scripta mandamus et districte precipimus, quatinus quicquid in ipsius preiudicium et grauamen, et contra antiquam consuetudinem et hactenus obseruatam, nosceris attemptasse, taliter corrigas per teipsum, ab eius de cetero iniurijs conquiescens, quod idem de te nullam habeat materiam conquerendj, et nos propter hoc tibi durius scribere non cogamur. Alioquin quia eidem in suo iure deesse non possumus nec debemus, qui facti sumus omnibus, secundum apostolum, in iustitia debitores; noueris, nos venerabilij fratri nostro.. Waciensi episcopo et dilectis filijs.. de Peles, et.. de Bochan Abbatibus, cisterciensis ordinis, Vesprimiensis diocesis, dedisse firmiter in mandatis, ut conuocatis partibus et auditis hinc inde propositis, quod canonicum exinde fuerit, appellatione remota, decernant et faciant. quod decreuerint, per censuram ecclesiasticam firmiter obseruarij. Datum Penestre III. Nonas Maij, Pontificatus nostrj Anno Sexto.

Sigillum plumb. in dextro margine e zona cannabea dependet. Orig. in Arch. Cap. Strigon. priv. Lad. 44. fasc. 1. Nro. 4. — Ed. Fejér l. c. II. 419.

---

## 154.

1203. 5. Maii. — Innocentius PP. III. litteris suis circa praeposituras regales editis, nullum Archiepiscopo Strigon. praeiudicium inferre se voluisse significat.

Innocentius — — Strigoniensi Archiepiscopo. — — Quum olim — — H. rex Vngariae illustris nobis tam per nuncios suos, quam litteras regias intimasset, quod abbatiae quaedam et praepositurae regales ad eum in temporalibus, et ad nos in spiritualibus, nullo mediante pertinerent, ad petitionem eius ipsi scripsimus in hac forma. <sup>1)</sup> Tu vero ad apostolicam sedem consequenter accedens, in nostra et fratrum nostrorum proposuisti presentia viva voce, quod in abbatibus et praepositis regalibus ad te ac Strigon. Ecclesiam iurisdictio ecclesiastica pertinebat. Volentes igitur tibi et eidem Ecclesiae in posterum praecavere, praesentium auctoritate decernimus, ut occasione litterarum, quas primo direximus circa praeposituras regales, ecclesiae Strigon. per Vngariam ubique subiectas, nullum tibi vel successoribus tuis praeiudicium generetur. — — Datum Praeneste III. non. Maii, Pont. n. a. sexto.

Dobner Mon. II. 336. Ex reg. a. 6. ep. 56., Katona Hist. Crit. IV. 665., Fejér Cod. dipl. II. 420. — Litterae, quarum hic mentio fit, exaratae sunt 1202. 8. Nov., quibus Archiepiscopis et Episcopis Hungariae haec intimat: „Significavit nobis — — H. rex Vngarorum illustris, quod regales Praepositurae, sicut ad eum in temporalibus, sic ad nos in spiritualibus nullo pertinent mediante; unde petebat, ut electus canonice praepositus ad nos — — cum litteris sui assensus accederet, confirmationem electionis suae a sede apostolica obtenturus. — — Mandamus atque praecipimus, quatenus ad praeposituras ipsas, sicut ad nos asseruntur sine medio pertinere, manus illicitas nullatenus extendatis. — —“ Ib. 392. — Petitione hac Emericus rex Jobum Archiepiscopum divexare voluerit, qui ei tunc, ut Nr. 156. docet, in odium venit. Ceterum Papa, meliora edoctus, in hoc et sequenti Nro. de iure hoc, alioquin non suo, ultro decessit.

## 155.

1203. 5. Maii. — Innocentius PP. III. iura et privilegia Ecclesiae Strigon. confirmat.

Innocentius — — Strigon. Archiepiscopo. — — Ius, quod a bonae memoriae Alexandro Papa, praedecessore nostro, et — — Bela Vngarorum Rege, ac Ecclesia Colocensi, <sup>2)</sup> videlicet, ut Vngarici Reges ab Archiepiscopis Strigon. semper debeant coronari, Strigoniensi metropoli fuit manifeste reco-

1) In his litteris 28. Febr. a. 1203. exaratis statuit, ut „quicumque de ceteris ad regimen Praepositarum illarum, quae ad nos in spiritualibus nullo pertinent mediante, fuerint evocati, ad apost. sedis praesentiam infra annum — — cum litteris regalis assensus accedant pro confirmationis munere obtinendo.“ Fejér Cod. dipl. II. 404.

2) Vide Nros. 104. et 105.



gnitum, sicut in eorum authenticis continetur, et — — Clemens et Coelestinus, praedecessores nostri, suis litteris confirmarunt; Ius quoque, quod habes in conferendis Ecclesiasticis Sacramentis Regibus et Reginis Vngariae ac Haeredibus eorumdem; et iurisdictionem ecclesiasticam, quam in praepositos et officiales regiae domus habes, quam et idem praedecessor noster Coelestinus Ecclesiam tuam habere decrevit; <sup>1)</sup> iurisdictionem etiam, quam obtines in Abbatiis et Praepositis regalibus, Ecclesiae Strigon. per Vngariam vbicumque subiectis; <sup>2)</sup> decimas insuper, primitias et incensum, quae de Camera Regis Ecclesiae memoratae debentur, <sup>3)</sup> sicut omnia de ratione vel consuetudine ad Ecclesiam tuam pertinere noscuntur, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus. — — Datum Praeneste III. Non. Maii. Pont. a. 6.

E copia Rom. a. 1764. Arch. Eccl. Primat. vet. Nro. 6., Dobner Mon. II. 336. E reg. a. 6. ep. 55., Katona Hist. Crit. IV. 669., Fejér Cod. dipl. II. 416.

### 156.

1203. — Emericus Rex ab Innocencio PP. III. officium legationis papalis Jobo Archiepiscopo Strigon. denegari petit.

Pietatem vestram, licet jam sepe ac sepiusstrarum precum super hoc uniformes receperitis litteras, humiliter duximus exorandam, quatinus si J. Strigoniensis Archiepiscopus, qui noster est inimicus manifestus, ad presentiam vestram accedens, legationem, vel aliquid tale, unde Regni nostri tranquillitas possit disturbari, a vobis impetrare voluerit,strarum precum ac justitiae intuitu petitionem eius nullatenus admittatis; quia si legationis officium vestra ei concederet Paternitas, nos illud nullatenus equanimiter possemus sustinere, precipue, cum in brevi, si Deo placeat, ad exsolutionem voti itineris transfretare habeamus in proposito, et cum ipse, qui nobis presentibus contraire et adversari non desistit, multo crudelius nobis absentibus contra Regni nostri pacem desevire indubitanter credamus. — — In omnibus autem presentium latori, que de predicto Archiepiscopo ex parte nostra vobis viva voce dixerit, indubitanter credatis.

Huillard-Bréholles Examen des chartes de l'église Romaine contenues dans les rouleaux dits rouleaux de Cluny. Paris 1865. pag. 78., Wenzel l. c. VI. 239.

1) Vide Nrum. 125.

2) Vide Nrum. 152.

3) Vide Nrum. 134.

## 157.

1203. — Henricus Ungarorum rex — — Andream fratrem suum, de invasione Regni suspectum habens, captivavit et in palatio Strigonien-  
si, quod alio nomine Gran vocatur, custodiae mancipavit, uxorem vero eius,  
filiam Berchtoldi, ducis Meraniae, omnibus bonis destitutam, ad terram pro-  
prium suam remittere permisit.

Compilatio chron. rer. Boic. ap. Defelium Script. rer. Boicar. II. 335. — Katona  
Hist. Crit. IV. 695., qui haec adiicit: „Fieri quidem poterat, ut Andreas primum Strigo-  
nii captivus teneretur, tum in Croatiam transferretur. Nam illic in castro Kheene se  
carceri fuisse mancipatum, ipse — — in diplomate Varasdiensibus dato perhibet.“

Esztergom- Budapesti Főegyházmegye  
Esztergomi Érseki Levéltár

## XVII.

## UGRINUS DE GENERE CHÁK.

1204.

Ugrinus prout exiguo tantum tempore habenas principis Ecclesiae rexit, ita brevem sui nobis reliquit memoriam. Episcopatum tenuit primum Zagrabiensem ab a. 1185., quo Electus in diplomate Belae III. vocatur. <sup>1)</sup> Kercselich <sup>2)</sup> diploma hoc, ut alias iam observavimus (Vide pag. 125.) ad a. 1175. figens, Ugrinum hoc anno Zagrabiensem statuit, nec eum hic ultra 1176. sedisse putat. Inde ad Jauriensem, sedem transiit et quidem ab a. 1188., quo Electus huius ecclesiae nominatur, (Vide Nrum 118.) ad a. usque 1203. <sup>3)</sup> Hinc simul apparet, eundem antequam Strigon. cathedram conscendisset, Archiepiscopum Colocensem, ut Katona <sup>4)</sup> e litteris Innocentii III. a. 1203. ad Vulconem Serviae Jupanum datis, — in quibus Archiepiscopus Colocensis erronee apud Dobner <sup>5)</sup> elemento G. loco J. scribitur, — suspicatur, esse non potuisse. — Anno 1204. Metropolita evasit, quod diploma Emerici Regis, quo Joannem Latinum libertate donat, his verbis testatur: „Anno ab inc. dom. 1204. Venerabili Johanne Colocensi Archiepiscopo, Vgrino Strigoniensi Archielecto et Jauriensi Episcopo.“ <sup>6)</sup> Anno hoc ineunte inauguratus fuerit, nec nisi aliquot menses infula hac fulsit, ut Nro. 163. videbimus; male ergo Mss. incerti auctoris <sup>7)</sup> anno iam 1202. Archiepiscopum fuisse scribit, „sub quo Andreas II. villam Szebeléb — — Capitulo Strigon. medio Laurentio Comite restituit,“ hoc enim a. 1232. factum est, ut Nrus 336. docet. — Ugrinus hic in diplomatibus etiam Hugrinus, Uglinus et Vgorinus vocatur. (Vide Nros. 160. 162.) In Corpore autem Juris Canonici plane Guil. seu Guilelmus appellatur, <sup>8)</sup> et hinc scriptores illum hoc passim nomine vocant. Sed editores in nomine hoc, quemadmodum in a. 1211., cui litteras has assignant, aberrasse ex eo videntur, quia in nullo diplomate hoc nomine comparet; porro Koller, qui litteras easdem ex Regestis Pont. edidit, <sup>9)</sup> directe elementum V. loco Guil. ponit. — Generationem illius Nrus. 162. ostendit.

1) Fejér Cod. dipl. II. 188.

2) Hist. Eccl. Zagr. 78.

3) Vide diploma Emerici Regis Ecclesiae Vesprimiensi hoc a. concessum. Fejér l. c. II. 415.

4) Hist. Crit. IV. 674.

5) Mon. II. 333.

6) Wenzel l. c. I. 92.— Bene ergo Pray quoque (Hier. I. 315.) ad hunc annum Archielectum vocat.

7) Ap. Schmitth Arch. Strig. I. 91.

8) Vide Nrum. 167.

9) Hist. Ep. Quin. I. 322.



## 158.

1204. 24. Apr. — Innocentius PP. III. Archiepiscopo Strigon. Praeposituram Posoniensem de arce in urbem transferendi potestatem concedit.

Innocentius — — Strigon. Archiepiscopo. — — Supplicavit nobis — — Rex Vngarorum illustris, ut quia in quodam castro suo Posoniensi Praepositura consistit, et ex accessu hominum ad eandem timet sibi de castro illo periculum provenire; ei licentiam concedere dignaremur, ut Praeposituram ipsam extra munitionem construere de licentia nostra valeat. — — Mandamus, quatenus super translationem ipsius Praepositurae illud auctoritate nostra statuas, quod necessitati Regni et vtilitati ecclesiae noveris expedire. Provisurus, ne corpus beati Martyris, qui in dicta Ecclesia requiescit, debita veneratione fraudetur. Datum Laterani VIII. Kal. Maii. Pont. a. 7.

Dobner Mon. II. 346., E reg. a. 7. ep. 56., Katona Hist. Crit. IV. 710., Fejér Cod. dipl. II. 430.

## 159.

1204. 24. Apr. — Innocentius PP. III. per Archiepiscopum Strigon. Regis Emerici filium, Ladislaum infantem, coronandum iubet.

— — Supplicavit nobis <sup>1)</sup> — —, ut quia transire proposuit in subsidium terrae sanctae, ne regnum suum remaneret quasi regimine destitutum, tibi scribere dignaremur, ut — — natum suum regali diademate insignires. — — Mandamus, quatenus quum ab eodem rege fueris requisitus, — — praedictum filium eius, quamvis minorem, non differas coronare, recepturus ab ipso patre filii sui vice, corporaliter iuramentum tam super apostolicae sedis obedientia, quam super ecclesiae Vngaricae libertate, sicut progenitores sui cum humilitate et devotione impenderunt. Datum Laterani VIII. Kal. Maii. Pont. a. 7.

Dobner Mon. II. 337., E reg. a. 7. ep. 57., Katona Hist. Crit. IV. 712., qui bene hic Raynaldum (ad a. 1204. Nro. 45.) erroris arguit, quia epistolam hanc ad Strigon. archidiaconum „quum ea tempestate sedes Strigon. vacaret,“ — exaratam ait. Fejér Cod. dipl. II. 431.

---

1) Rex nempe Emericus.

## 160.

1204., — Emericus Rex terram Michaelis Ugrino Archiepiscopo Strigon. ad personam confert.

Constitutis coram nobis Tyba de genere Tomoy, et Clemente filio Joannis ex una parte; Joanne Magistro, Marco, et Laurentio, de genere Chac, ex altera; iidem Tyba et Clemens proposuerunt, ut iidem Magister Joannes, Marc et Laurentius quandam terram ipsorum haereditariam, Kazmer vocatam, detinerent propria auctoritate; Magister vero Joannes, Marc et Laurentius responderunt eo modo, quod ipsa terra, quam Tyba et Clemens dicunt vocari terram Kazmer, et asserunt suam esse hereditariam, non vocaretur terra Kazmer, sed esset terra Michaelis; nec umquam fuisset Tyba et Clementis haereditaria; imo dudum fuisset donatio illustris Regis Emerici bonae memoriae Uglino (sic) Archiepiscopo facta, super qua donatione exhibuerunt nobis privilegium Regis Andreae, felicitis recordationis, et quod eis ipsa terra in linea ipsius Vglini Archiepiscopi devenisset.“

Fejér Cod. dipl. VII. I. 338. — Wenzel l. c. II. 167. — Ugrinus anno tantum 1204. Archiepiscopatum tenuit, ipse etiam Emericus rex anno hoc, 30. Nov. obiit; donatio igitur haec eodem anno fieri debuit.

## 161.

1204. — Innocentius PP. III. constitutionem suam de praepositis regalibus, Nro. 154. exhibitam, interpretatur ac ad notitiam Regis deducit.

Innocentius. — --resumendo sensum litterarum Nri. 154, addit: Consequenter autem bonae memoriae J. Strigon. Archiepiscopus, ad praesentiam nostram accedens, -- -- proposuit viva voce, quod in abbatiis et praepositis regalibus ad eum et Strigon. ecclesiam iurisdictio ecclesiastica pertinebat. Vnde petebat constitutionem praescriptam, tamquam per subreptionem illicitam, revocari. Nos autem viam mediam eligentes, provida deliberatione decrevimus, ut occasione litterarum, quas primo direximus <sup>1)</sup> circa praepositas et abbatias, ecclesiae Strigon. per Vngariam vbicumque subiectas, nullum ei vel successoribus suis praeiudicium generetur. Regalem igitur excellentiam volumus non latere, quod nec per secundas literas <sup>2)</sup> iuri tam nostro, quam regio, nec per primas ipsius Archiepiscopi et Strigon. Ecclesiae iustitiae derogatur; quum in primis constitutum fuerit de illis, quae in spiritualibus ad

1) Datae sunt 1202. 8. Nov. Vide Nrum. 154.

2) Vide. Nrum. 155.

nos, nullo mediante, pertinere noscuntur; in secundis vero de his, quae Strigon. ecclesiae asseruntur esse subiectae.

Dobner Mon. II. 338., Ex reg. a. 7. ep. 58., Katona Hist. Crit. IV. 666., Fejér Cod. dipl. II. 423. — Emericus ergo Rex iura Ecclesiae Strigon. per Jobum archiepiscopum Romae revindicata fuisse, aegre tulerit.

## 162.

1204. — Ugrinus Archiepiscopus Strigon. plura praedia fratri suo, Comiti Nicolao confert.

Ego Nicolaus Comes, frater bone memorie Vgrini, quondam Strigon. Archiepiscopi, — — de rebus meis — — in voluntate ultima sic ordino: — — Preterea habeo terram vnam Echur nomine, pro qua Praepositus <sup>1)</sup> remansit fratri meo Archiepiscopo Vgrino coram iudice. — — Iterum habeo alia praedia, quae mihi Archiepiscopus Vgrinus, qui me pro filio habebat, dimisit, quorum nomina sunt haec: primum praedium ad sanctam crucem, ubi domum edificaverat, cuius terra communis erit omnibus filiis meis, quos nunc habeo, vel habebo; quia locus est specialis, quod vulgo dicitur Wduorhel, sed edificia vel cetera necessaria, quae super ea sunt, ut mos est in Hungaria, iunior habebit. Secundum praedium vocatur Michal, Isaac minori filio dedi. — — Tercium praedium vocatur Kazmer, quod eidem Isaac — — dedi. Quartum praedium vocatur Bodoct, cuius terre duas partes — — Isaac dedi, terciam autem partem — — iuniori filio meo scilicet Laurentio dimitto et eidem vineas, quas in Zomard habeo. Quintum autem praedium vocatur Guedus, quod frater meus Archiepiscopus Vgrinus emerat ab uxore Forcos Comitis; hoc solum ex ipsius Archiepiscopi prediis plenarie dimitto Laurentio cum omnibus suis pertinentiis. Item habeo alia praedia quedam empticia, quedam vero ex regia donacione. — —

E litteris Andreae II. Regis de a. 1231., quibus dispositionem hanc testamentariam confirmat. Fejér l. c. III. II. 227. — Nicolaus hic a. 1137. coram Capitulo Albensi denuo testamentum condit. In his litteris „vir nobilis et illustris Comes Nycolaus, frater Vgrini Archiepiscopi quondam Strigon. de genere Chac“ nominatur. Hic tria tantum praedia, scilicet Michal et Kazmer, ac Gveduch se a fratre suo Archiepiscopo Ugrino accepisse fatetur. (Fejér IV. I. 78. Wenzel VII. 41.) Anno 1239. qua comes de Guedeck, quia „heredem novum Dei gracia est adeptus, Marcum nomine,“ novam dispositionem

1) Probabilius de Ukur=Ökör, quem Conventum primum Cruciferos s. Joannis in Hungaria accepisse adstruitur (Czinár Monast. II. 142.), non tamen recte, si Praepositus hic memoratus, reipsa huius loci fuerit.



facit coram exmissis Conventus Egresiensis, sed iam tunc, ut diploma expresse dicit, in extremis laboravit. (Fejér IV. I. 162. Wenzel VII. 92.) — Nicolai huius frequens est in diplomatibus regiis mentio. Sic 1212. Nicolaus Comes frater Hugrini, quondam Archiepiscopi (Fejér III. I. 125.); a. 1226. frater Vgorinj quondam Archiepiscopi Strigon. (Wenzel VI. 432.); a. 1230. Nicolaus Comes frater Vgrini quondam Archiepiscopi Strigon. (Fejér III. II. 205); a. 1237. Comes Nicolaus frater venerabilis memorie Vgrini quondam Archiep. Strigon. (Wenzel VII. 46.) appellatur. Fuit Nicolaus hic, ut Fejér (III. II. 226.) observat, generationis de Chák auctor; sed ei certe Archiepiscopus Ugrinus splendorem et divitias addidit.

---

163.

1204. ante 20. Aug. — Ugrinus Archiepiscopus praemature fato exstinguitur.

Nomine Guilelmi sum factus terra cinisque

Quicquod es existens, terra cinis qui fui.

Ergo notans quid eram, quid sim modo, tu quoque quid sis,

Et quid eris, releva me prece, quisquis ades.

Occasione demolitionis veteris Arcis Strigon. inventa est superior pars tumbae cum hac in profundum incisa inscriptione. (Máthés Arx Strigon. 60. et Tab. IX. lit. A.,) qui lapidem hunc sepulchralem Guilelmi Archiepiscopi Strigon. esse dicit. Sed nobis recte ob nomen Guilelmi, quo Archiepiscopus hic, ut vidimus, vix vocatus fuerit, verisimile non videtur. — Ugrinus noster vitam non diu produxit. 24. Aprilis adhuc superstitem ostendunt Nri. 158. 159.; ast Nrus. 165. expresse docet, eum si non prius, certe aliquot ante 20. Aug. septimanis vita cessisse; nam Canonici Strigon. ut ibidem dicitur, iam ante festum s. Stephani, seu 20. Aug., successorem eius Regi praesentarunt. Bene ergo Katona (Hist. Crit. IV. 738.) hoc anno Ugrinum decessisse scribit. Attamen huius effati immemor, pag. 769. illum adhuc aliqua parte anni 1205. vixisse ait „ex querelis illi factis, de non praestito denario servili in Kalendis Jan., quas se legisse Péterfius innuit,“ Iam ubicumque hoc Péterfi legerit, subsistere certe non potest. Ceterum in allegata a Katona pagina (Conc. I. 48.) nihil hac de re dicitur.

---

## XVIII.

## CALANUS ELECTUS.

1204. post 20. Aug. — 1205. 1. Aug.

**M**ortuo Ugrino Archiepiscopo, Capitulum Strigon. Joannem Archiepiscopum Coloc. unanimiter in Archipraesulem postulavit, ac regium super hoc obtinuit assensum. Suffraganei attamen Strigon. ecclesiae postulationi huic se opposcentes, rem totam Apostolicae sedi detulerunt. Innocentius III. ergo 1204. 22. Nov. partes dissidentes Romam evocavit „ad septvagesimam proxime venturam“, seu 6. Febr. 1205. (Vide Nrum. 165.) Interim Emericus Rex 1204. 30. Nov. e vita migravit, et regimen regni nomine Ladislai III. infantis Andreas II. suscepit. Hic primis suis ad Papam a. 1205. ante 25. Apr. exaratis litteris <sup>1)</sup> pariter pro eodem Joanne Colocensi Strigonium transferendo institit. Ast paulopost, procul dubio ob exortas cum Regina vidua dissensiones, Joannem Colocensem, quem praecipuum fautorem infantis regis noverat, deserens, eidem Papae per alias litteras suas supplicavit, ut Calanum episcopum Quinqueecclesiensem, quem interea quidam Canonici Strigon. a postulatione priori recedentes, in Archiepiscopum postularunt, ad metropolim Strigon. transferre dignaretur. Et Calanum quidem sedem hanc metropolitanam reipsa conscendisse, inde patet, quia in publico Andreae II. regis a. 1205. diplomate ita subscribitur: „Venerabili Joanne Colocensi Archiepiscopo existente, Calano Quinqueecclesiensi Episcopo et Strigoniensi Archi Electro.“ <sup>2)</sup> Papa tamen postulationem Calani ceu illegalem, 24. Jun. reiecit, (Vide Nrum. 166.) neque Andreas II. amplius pro eodem institit, nam mortuo 6. Maii Ladislao III., causa, ob quam Joanni Colocensi infensus erat, ultro cessavit. Sicque Calanus ad sedem suam episcopalem rediit; sententia tamen Papae non statim innotuit, Calanus enim adhuc 1. Aug. Strigon. electus subscribitur in diplomate quodam Andreae II. <sup>3)</sup> Vitam magni huius nominis viri fuse describit Koller. <sup>4)</sup> — Kollarius <sup>5)</sup> erronee ait „vices in coronando regio filio (Ladislao III.) Calanum Quinqueecclesiensem antistitem obivisse.“ Nrus. enim 165. id Joannem Colocensem peregissee, clare docet.

---

1) Innocentius enim die hoc iam responsum expedivit. Fejér II. 455.

2) Fejér III. I. 21.

3) Fejér VII. V. 170.

4) Hist. Episc. Quinqu. I. 217—354.

5) Hist. dipl. Jur. Patr. 137.

## 164.

1204. 14. Sept. — Innocentius PP. III. Archiepiscopum Spalatensem, qui Abbatiam s. Aegidii de Simigio a rege indebite impetrans, expulsis monachis latinis hungaros substituit, ni excessum suum emendaverit, per Varadiensem Episcopum, Abbatem de Bakony et Praepositum Strigon. canonicè puniendum decernit. Datum Romae apud s. Petrum XVIII. Kal. Oct. Pont. a. 7.

Dobner Mon. II. 347., E reg. a. 7. ep. 128., Katona Hist. Crit. IV. 735., Fejér Cod. dipl. II. 446.

## 165.

1204. 22. Nov. — Innocentius PP. III. in causa postulationis Joannis Archiepiscopi Colocensis ad Metropolim Strigon. Capitulum Strigon. et suffraganeos Episcopos, huic postulationi adversantes, Romam evocat.

Innocentius — — Capitulo Strigon. — — Postulationi, quam celebratis de — — J. Colocensi Archiepiscopo ad Strigon. Metropolim transferendo, — — eiusdem Metropolis suffraganei, videlicet C(alanus) Quinqueecclesiensis, B(oleslaus) Waciensis, K(alanda) Vesprimiensis et J(oannes) Nitriensis episcopi penitus contradicunt, per suas nobis litteras intimantes, quod V(grino) bone memorie archiepiscopo vestro viam universe carnis ingresso, eis inconsultis, vos habito ad invicem Consilio diligenti, quosdam de Canonicis vestris ad — — Unгарie Regis illustris presentiam destinastis, et quem vobis prefici volebatis, nominetenus expressistis. Post dilationem vero non longam, cum ad festum beati Stephani iidem Episcopi solempniter convenissent et super electione Strigon. Ecclesie unanimi deliberatione tractarent, vos ab eisdem Episcopis requisiti, quem illi sedi velletis eligi ac preponi, taliter respondistis, quod nullum auderetis eligere, nisi qui plenam Regis gratiam obtineret et protinus prefatum Coloc. Archiepiscopum, in quem iam pridem cum Rege conveneratis praedicto, nominare curastis, adicientes, quod in Electione Archiepiscopi suffraganei nichil iuris haberent; quibus ipsi suffraganei responderunt, quod a prima christianitatis institutione in Regno Unгарie usque ad ista tempora, nullus ad sedem Strigon. fuerat electus, nisi Suffraganeis una cum Canonicis eligentibus, iuxta constitutionem Canonicam et consuetudinem approbatam; dixerunt etiam, quod prius inquiri deberet, utrum de gremio illius Ecclesie posset utilis et ydoneus repperiri, asserentes, quod in ea multi sunt viri honesti, discreti et litterati, qui possent illi sedi decentius presidere. Illud insuper per easdem nobis litteras intimarunt, quod cum predictus Colocensis Archi-



episcopus usque ad hec tempora Colocensem ecclesiam Strigoniensi Metropoli asseruerit esse parem, eique tam verbo, quam opere varias et intollerabiles iniurias irrogarit, non modicum formidabant, ne si ad memoratam Metropolim transferretur, proprie confessionis et assertionis non immemor, quasi rubore perfusus, ne sibi ipsi contrarius videretur, negotia Strigon. ecclesie minus efficaciter assumeret promovenda, et ipsos Episcopos, qui eius verbis et actibus iuxta debitum suum dure quandoque restiterant, opprimere non cessaret. — Porro — Abbas de Buccon et Magister Petrus, pro Rege predicto, necnon et Prepositus Poson. et Thesaurarius Ecclesie Vestre, pro vobis in contrarium allegantes, asseruere constanter, ea, que ab ipsis Episcopis proposita fuerant, penitus esse falsa, firmiter proponendo, quod per eundem Prepositum et alios ante communem tractatum vocati fuerunt solempniter et venerunt, eorumque de gratia multociens fuerit requisitus assensus, sed cum super Ecclesie vestre provisionem Consilium et auxilium vobis congruum denegarent, vos — vocatis prefatis episcopis, convenistis in unum et vota vestra in predictum Coloc. Archiepiscopum — eis presentibus, contulistis, suppliciter exorantes, ut nos suis litteris pro postulatione vestra rogarent, quod ipsi facere penitus recusarunt. Prenominatis autem nuntijs asserentibus, quod translationem ipsius Archiepiscopi urgens necessitas et evidens utilitas exigebant, in ipsa disceptatione fuit propositum coram nobis, quod memoratus Archiepiscopus Coloc. in grave Strigon. ecclesie preiudicium, vobis reclamantibus et confirmationes sedis Apostolice ostendentibus, filium prefati Regis coronavit in Regem, cum non ad Coloc. ecclesiam, sed ad Metropolim vestram Coronatio regis Ungarie pertinere noscatur; unde tamquam alieni iuris invasor et Apostolici Statuti contempтор debebat graviter castigari, poteratque verosimili coniectura presumi, quod cum ipse querelam contra se ipsum et factum proprium non esset moturus, ius Ecclesie vestre super hoc pretermitteretur indefensum; — quamvis e contrario fuerit replicatum, quod absque contradictione cuiuslibet et preiudicio alicuius prescripta coronatio ab universitate fuerat celebrata. — — Ita duximus providendum, quod si prefati Pontifices in contradictionibus persisterint et vos ad postulationem institeritis obtinendam, quia nobis non constitit de premissis, usque ad septuagesimam proxime venturam <sup>1)</sup> per procuratores — nostro vos conspectui presentetis, quatenus utraque parte presente, quod iustum fuerit, decernamus. — — Quod si contradicentibus Episcopis memoratis vos minus de iure

---

1) 1205. 6. Febr.

videritis confidendum, ne incassum laborem subeatis pariter et dolorem, aliam vobis personam idoneam provideatis canonice in pastorem. Datum Romae apud s. Petrum X. Kal. Dec. Pont. a. 7.

Dobner Mon. II. 349., Reg. a. 7. ep. 159., Koller Hist. Episc. Quinqueecl. I. 314., Katona Hist. Crit. IV. 739., Fejér Cod. dipl. II. 451.

---

166.

1205. 24. Jun. — Innocentius PP. III. postulacionem Calani Episcopi Quinqueecclesiensis ad sedem Strigon. reiicit.

Innocentius — — nobili viro Andreae, domino Vngariae. — — Licet per primas litteras postquam ad regni gubernaculum ascendisti, fraterno sigillo signatas, nos duxeris exorandos pro — — J. Colocensi Archiepiscopo, ad Strigon. metropolim transferendo; postmodum tamen per alias litteras tuo character insignitas, nobis humiliter supplicasti, vt postulationem de — — C. Quinqueecclesiensi Episcopo, ad eandem sedem evocato, admittere dignaremur. Super quo cum fratribus nostris deliberavimus diligenter, et quia invenimus eam post appellationes, ad nos legitime interpositas, in multa discordia non solum suffraganeorum, verum etiam Canonicorum Strigon., contra formam mandati nostri, regulari ordine pretermisso, celebratam, illam, exigente iustitia non duximus admittendam. — — Ne vero Strigon. Ecclesia ulterius maneat desolata, Strigon. Capitulo — damus — in mandatis, vt ad providendum sibi pastorem idoneum per electionem Canonicam vel postulationem concordem, requisito suffraganeorum assensu, si de antiqua et approbata consuetudine fuerit requirendus, infra mensem post susceptionem litterarum nostrarum, procedere non postponant; alioquin extunc — — ad providendum Ecclesiae eidem pastorem idoneum procedemus. — — Datum Romae apud s. Petrum VIII. Kal. Jul. Pont. a. 8.

Dobner Mon. II. 356., Reg. a. 8. ep. 88., Koller Hist. Ep. Quinqu. I. 318., Katona Hist. Crit. IV. 770., Fejér Cod. dipl. II. 460.

## XIX.

## JOANNES I.

1205. 6. Oct. — 1223. circ. Nov.

**I**nnocentius III. Joannem Abbatem s. Martini Montis Pannoniae, quia Andreae Duci contra Emericum Regem adhaesit, Romam evocat. Katona de Joanne hoc sequentia observat: „qui fortassis Andreae favore primum Colocensis, deinde Strigon. Archiepiscopus evasit. Sed hoc incertum.“ <sup>1)</sup> Quin imo certum est, Joannem hunc nullam e cathedris his umquam obtinuisse; Romae enim convictus, et Abbatia privatus erat, ac a. 1233. post Henricum Priorem legitur: „Joannes quondam Abbas, nunc Praepositus praescripti Monasterii B. Martini“; nec amplius de illo quidquam occurrit. <sup>2)</sup> — Probabilius est, Joannem nostrum ecclesiae primum Csanadiensi praefuisse, quo illum Varadiensi cathedra translatus suspicatur Batthyányi, <sup>3)</sup> nullo tamen diplomate opinio haec comprobatur. Occurrit quidem apud Pray <sup>4)</sup> Joannes episcopus Varadiensis ab a. 1181—1188, sed nec hic in ullo documento comparet. Occurrit porro et quidem in diplomatibus ab a. 1174—1193. Joannes episcopus Vesprimiensis <sup>5)</sup>; sed num idem cum Joanne nostro fuerit; anque hinc Csanadinum translatus sic, verisimile ex eo nobis non videtur, quia Joannes ille Csanadiensis a. primum 1198. ut electus comparet <sup>6)</sup>. Quia tamen Joannes hic ecclesiae Csanadiensi ab a. 1198. ad a. 1201. praefuit; <sup>7)</sup> anno autem 1202. iam Joannes Colocensis Archiepiscopus comparet, qui Strigonium deinde transivit; Csanadiensis ille idem cum Colocensi hoc Joanne esse potuit. Magnae auctoritatis Joannem Colocensem fuisse, inde patet, quod Innocentius III. a. 1203. negotium stabiliendae per Serviam, Hungariae fiduciario iure subiectam, fidei cath. illi detulerit. <sup>8)</sup> In eo tamen reprehendendus, quod gravibus litibus iura Jobi Archiepiscopi Strigon. impetierit, easdem ipse subin a successore suo Bertholdo Colocensi, ac a Roberto Vesprimiensi, futuro successore suo

1) Hist. Crit. IV. 485.

2) Czinár Monast. I. 69.

3) Series Episc. Chanad. 6.

4) Hier. II. 161

5) Czinár Index 523.

6) Wenzel VI. 194.

7) Czinár Index 520.

8) Fejér II. 408.



Strigon., experturus. — Quomodo reiecto Calano in Archiepiscopum Strigon. per Capitulum et Suffraganeos Strigon. postulatus, ac a Papa a. 1205. 6. Oct. confirmatus fuerit, Nrus 167. fuse enarrat; in diplomatibus tamen regiis ante a. 1206. hoc axiomate non ornatur. Joannem hunc Kollarius <sup>1)</sup> Gertrudis Reginae fratrem, Schmitthius <sup>2)</sup> autem Meraniae Ducem affirmant, sed opinionem hanc Nri. nunc citati verba haec: „Non poteramus, salva conscientia eidem ecclesiae in alia persona, quae de regno Hungariae originem duceret, congrue providere, nec vellemus ei praeficere alienum“; satis refellunt. — Comemorari meretur, quod Bertholdus Archiepiscopus Coloc. in litteris Gertrudis Reginae a. 1214., modo prorsus inusitato, Joanni nostro praeponatur; sed enim Regina haec soror Bertholdi fuit.

---

1) Hist. dipl. Jur. Patr. 137.

2) Arch. Strig. I. 93.



## 167.

1205. 6. Oct. — Innocentius PP. III. Joannem Archiepiscopum Colocensem ad metropolim Strigon. transferendo, diuturnae controversiae finem imponit.

Innocentius — — praeposito et Capitulo Strigon. — Bone memoriae V. archiepiscopo vestro viam universe carnis ingresso — — — (resumit Nrum. 165.) Ceterum, quum — — H. rex Vngarie viam fuisset interim vniverse carnis ingressus, quidam vestrum a postulatione, quam nobis presentaveritis communiter, temere recedentes, alijs persistentibus in eadem et ad sedem apostolicam appellantibus, Quinqueecclesiensem episcopum in Archiepiscopum postularunt, quorum votis nullus suffraganeorum assensit, excepto dumtaxat Episcopo Nitriensi. Et licet — — Andreas Ungarie Rex illustris, tunc Dux et Regni Ungarie — — gubernator — — (resumit Nrum. 166.) — Verum antequam ad vos nostre littere pervenirent, innitentes mandato priori, Suffraganeos, qui erant in Regno presentes, preter predictum Quinqueecclesiensem, ad concordiam revocastis, ita, quod Vaciensis, Vesprimiensis et Jauriensis Episcopi pro translatione Colocensis Archiepiscopi, salvo iure suo in posterum, cui propter afflictionem et necessitatem Strigon. Ecclesie supersedebant ad presens, nos humiliter rogaverunt, predicto Nitriensi scribente, quod si non placeret nobis postulationem factam de Quinqueecclesiensi admittere, pro postulatione alterius sine preiudicio Juris sui nos suppliciter exhorabat. Post hec autem mandato nostro suscepto, hii qui convenerant in archiepiscopum Coloc., ab eius postulacione — — recedere noluerunt, sed innovantes eandem, quibusdam Canonicorum, qui in partem alteram declinaverant, reversis ad eos, cum predicti Regis et Suffraganeorum litteris, — — A. Magistrum Scolarum, M. Thesaurarium, A. Archidiaconum et F. et N. Canonicos Strigon. ad sedem apostolicam destinarunt, super postulatione sua dispensationis gratiam petituros. Ceteri vero, qui Quinqueecclesiensem Episcopum postularunt, — — convenientes in unum, ceteros Canonicos ad Capitulum convocarunt, ad postulationem concordem vel electionem Canonicam — — procedere cupientes, sed illis nolentibus convenire, intelligentes penes se tantum remansisse facultatem liberam eligendi, quia reliqui ius suum prosequi negligebant, predictum Quinqueecclesiensem episcopum, licet, ne id fieret, fuisset ab aliis appellatum, denuo postularunt. Cum ergo utriusque partis Nuntii ad sedem apostolicam pervenissent, hii, qui pro Quinqueecclesiensi Episcopo venerant, proponebant partem suam iuxta mandatum apostolicum processisse, nec obstare discordiam vel contradictionem eorum, qui iuxta formam mandati nostri procedere contempnentes, illo recepto, nec elegerant quemquam canonice nec concorditer postularant, unde concors debebat eorum postulatio reputari. — — — Ad hec autem ex adverso poterat responderi, quod illi, qui Coloc. Archiepiscopum postularant, formam secuti fuerant per nostras litteras sibi datam, quoniam inni-

tentes postulationi priori iuxta tenorem priorum litterarumstrarum, concordem fecerant, quae fuerat prius discors, dum Suffraganeos ad concordiam revocarant; nec nocebat eorum discordia, qui alium postularant, cum prius in postulatione archiepiscopi supradicti convenissetis pariter universi et consensum vestrum annotatum, litteris et subscriptionibus propriis roboratum, petissetis a nobis per communes nuntios confirmari; nosque vestram recepissemus postulationem diiudicandam, si suffraganei forsitan in contradictione persisterent, vel si consentirent aut cederent, approbandam. Si enim postquam postulatio subscriptionibus postulantium roboratur et presentatur Romano Pontifici approbanda, possent ab ea recedere postulantes, nobis frequenter illuderent et iudicium nostrum ex eorum pendere arbitrio videretur. Poterat quoque addi, quod pars altera mandatum apostolicum non servarat, utpote quae nec postulationem concordem, nec electionem Canonicam celebrarat, cum in maiori contradictione, quam prius, non solum Canonicorum, sed suffraganeorum etiam, ipso Rege adverse parti favente, predictum Quinqueecclesiensem episcopum postulassent. Auditis igitur hiis et aliis, — — intelleximus, quod etsi neutra esset postulatio approbanda, iuxta tenorem tamen prioris rescripti ad nos de cetero Strigon. ecclesie provisio pertineret. Quia vero non <sup>1)</sup> plenam de personis ipsius Regni notitiam habebamus, ideoque non poteramus salva conscientia nostra eidem Ecclesie in alia persona, quae de Regno Ungariae originem duceret, congrue providere, nec vellemus ei preficere alienum, quamvis regularius et honestius videretur, si Suffraganeus ad metropolim suam ascenderet, quam Archiepiscopus a metropoli ad metropolim transferretur; partem tamen elegimus potiore, et eundem archiepiscopum — — — ad metropolim Strigon. transferimus. Datum Romae II. Non. Oct. P. a. VIII.

Reg. a. 8. t. 4. ep. 193., Decretales l. 1. tit. V. de Postul. Prael. c. IV., ubi Archiepiscopus Ugrinus, ut pag. 169. iam observavimus, Guil. appellatur. Kollár Hist. Dipl. Jur. Patr. 142., Koller Hist. Episc. Quinqu. I. 322., Katona Hist. Crit. V. 6., Fejér Cod. dipl. III. I. 23.

---

### 168.

1205. 14. Oct. — Innocentius PP. III. significat Capitulo Colocensi, per translationem Archiepiscopi Coloc. ad Metropolim Strigonium Ecclesiae ipsorum

---

1) Fejér erronee: nos.



nullum „in iure vel dignitate sua praeiudicium“ fieri. Datum Romae apud s. Petrum II. Id. Oct. Pont. a. 8.

Reg. a. 8. ep. 140., Dobner Mon. II. 360, Katona Hist. Crit. V. 13., Fejér Cod. dipl. III. I. 29.

### 169.

1206. 13. Febr. — Innocentius PP. III. Conventum de Kedhel per Archiepiscopum Strigon. et socios contra Annum ac eius filios defendi iubet.

Innocentius episcopus servus servorum dei, Venerabilibus fratribus . . Archiepiscopo Strigon. et . . Geuriensi Episcopo et dilecto filio . . Preposito Alben- si Salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filij . . Abbas et Conuentus de Monte sancte Marie in Hungaria ordinis Cisterciensis, nostro apostolatu sunt conquesti, quod Aianus et filij sui Mic. p. a. n. et quidam alij Geuriensis diocesis, ipsos quibusdam possessionibus et bonis aliis, que fuerunt eorum domuj a fundationis eius exordio in helemosinam ab ipso fundatore concessa, contra iustitiam spoliarent. Cum igitur spoliatis iniuste per restitutionis sit beneficium succurrendum; discretionis uestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eis, si- cut iustum fuerit, restitutis, audiat si quid fuerit questionis, et appellatione re- mota fine debito terminetis, facientes quod decreueritis, per censuram ecclesia- sticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, uel timore subtraxerint, per censuram eandem, cessante appellatione, cogatis ue- ritati testimonium perhibere. Quod si non omnes — — . Datum Rome apud san- ctum Petrum Idibus Febr. Pontificatus nostrj Anno Nono.

Bulla e filis cannabeis pendet. Orig. in Arch. Aerarii Reg. Hung. fasc. 28. Nro. 53. — Extr. Fejér Cod. dipl. III. I. 36., integre VII. V. 171.

### 170.

1206. 13. Febr. — Innocentius PP. III. Conventum de Kedhel protectioni Archi- episcopi Strigon. et sociorum contra violentiam quorundam de Koronczó commendat.

Innocentius episcopus servus servorum dei Venerabilibus fratribus . . Archiepiscopo Strigon. et . . Geuriensi Episcopo et Dilecto filio . . Preposito Albensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filij . . Abbas et Conuentus de Monte sancte Marie in Hungaria ordinis Cisterciensis lacrimabilem nobis ob- tulere querelam, quod P i d e, V k a s et quidam alij de C u r m z w e, Geuriensis di-

oces de timore postposito usque ad effusionem sanguinis in quosdam fratres ipsorum manus iniecerunt temere uiolentas, eosdem quibusdam bonis suis nequiter spoliantes. Quocirca discretionj uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita, dictos manuum iniectores tamdiu appellatione remota excommunicatos publice nuncietis et faciatis ab omnibus arcibus euitari, donec passis iniuriam satisfecerint competenter et cum uestrarum testimonio litterarum ad apostolicam sedem uenerint absoluendj. Quod si non omnes — Datum Rome apud sanctum Petrum Idibus Februarij, Pontificatus nostrj Anno nono.

Bulla e filis cannab. pendet. Orig. in Arch. Aerarii Reg. Hung. fasc. 28. Nro. 60.  
— Extr. Fejér Cod. dipl. III. I. 36., integre VII. V. 170.

---

**171.**

1206. 7. Jun. — Innocentius PP. III. Episcopis et Proceribus Hungariae committit, ut „proli, quae regi nascetur, quod auctore Domino futurum speratur in proximo, iuramentum fidelitatis ad mandatum patris ipsius praestetis. Alioquin noveritis, nos — Strigon. Archiepiscopo et episcopo Vardiensi in mandatis dedisse, ut vos, quum opus fuerit, ad id districtione, qua convenit, — compellant. Datum Ferentini VII. Idus Jun., Pont. a. 9.

Katona Hist. Crit. V. 38., Fejér Cod. dipl. III. I. 37., Dobner Mon. II. 362., Reg. a. 9. ep. 75.

---

**172.**

1206. 13. Jun. — Innocentius PP. III. Archiepiscopo Strigon. et Episcopo Agriensi, ut Palatino regni Hung. in secundo affinitatis gradu auctoritate apostolica dispensationis gratiam impendant, demandat. — Datum Ferentini VII. Idus Jun., Pont. a. 9.

Katona Hist. Crit. V. 36., Fejér Cod. dipl. III. I. 35.

---

**173.**

1206. 11. Jul. — Innocentius PP. III. ad querelam Archiepiscopi Strigon. „quod Praepositus et Capitulum Albense ad eius provincialem Synodum

accedere vel mittere, ut tenentur, pro suae voluntatis arbitrio contradicunt.“ Cum porro super eo, „quod dicti Praepositus et Capitulum Archiepiscopum ipsum recipere processionaliter et celebrare cum pallio in eorum Ecclesia non permittunt, apud sedem Apostolicam quaestio ventilletur et causae non sit continentia dividenda;“ dictum Praepositum et Capitulum Albense in sui conspectum citari iubet. — Datum Lugduni 5. Id. Jul., Pont. a. 8.

Fejér Cod. dipl. V. I. 294.

### 174.

1206. — Andreas II. Joanni Archiepiscopo Strigon. villam Gerle confert.

In Nomine Sancte Trinitatis Et Indiuidue Unitatis. Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chroacie, Rame, Seruie, Galicie (Lodome)rieque Rex In purpetuum. Licet ad salutis et temporalis uite prouentum regie plurimum expediat excellencie, uniuscuiusque merita recompensacionum gratitudine refo-uere; speciali . . . et propensius benigno quo debet fauore magnatum, quorum consilijs et uirtutibus corone, regnique status fulcitur inconcusse, res (illorum) usibus idoneis . . . (peti)ciones, que in iuris tramite informantur, decenter ad-(uer)tere. Proinde venerabilis in xpo. patris ac fidelis nostri, Johannis archiepiscopi Strigoniensis deuocionem, quam . . . , regia pensantes discretione et eius petitionibus debito concurrentes assensu, ob hoc potius, quod primicias fructus uentris . . . am . . . (sp)onte suscepit, quandam uillam, que dicitur Gu-erla, a iurisdicione castri Bors exemptam, cum terra, que XL. aratris sufficit, . . . incolis . . . uocabulis Hrad, Voddu, Petrus, Velsa, Dama-na, Erdeu, Endre, Dedun, Forcos, Vros . . . curia eorum . . . ec-clesie sue perpetuo iure possidendam contulimus. Dedimus insuper et forum, tali libertate dotatum, ut neque tr(ibuta)rij, neque curialis comes, neque bi-loti, neque alij exactores aliqua illud adire possint occasione, uel aliquam in eo facere exactionem. Assignata est autem hec memorata superius possessio archiepiscopo per fidelem nostrum Lucam filium Ipoliti. Quia uero animaduer-timus cuncta humane negotiationis studia ob indictam hominibus uite breui-tatem pertransire, uel obliuione nouercante posse deperire; prefatam regie se-renitatis munificenciam in scriptis redigi et sigillo nostro fecimus eternari. Datum per manus Godefridi, Orodien-sis prepositi, et aule regie cancelarij. An-no ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. VI<sup>o</sup>. Ipso Venerabili Johanne Strigonien-si archiepiscopo existente; Pertoldo Colocensi archielecto; Calano quinque-ecclesiensi; Bolezlao Vaciensi; Petro Geuriensi; Calanda Bezprimiensi; Got-chardo Zagrabiensi; Symone Varadiensi; Desiderio Chenadiensi; Villelmo ultra-



siluano episcopis existentibus. Mochone Palatino et comite Bichoriensi; Chepano, filio Michabano; Smaragdo Vayavoda; Chepano Bachiensi; Marcello Chenadiensi; . . . Albensi; Gyula Budruguiensi; Mercurio Posoniensi; Benedicto Supruniensi; Martino de ferreo castro; Bancone de nouo castro comitibus.

A tergo: Domini Archiepiscopi super Gerla. — Sig. cum zona avulsum. Orig. exesum amplius per integrum legi non potest. In Arch. Cap. Strigon. priv. Lad. 49. fasc. 9. Nro. 1. — Ed. Cod. Strig. II. 12; Wenzel l. c. VI. 307.

## 175.

1206. — Andreas II. in suae coronationis memoriam Canonicis Strigon. annuas centum marcas ex aerario regio donat.

In nomine Sancte Trinitatis et indiuidue Vnitatis. Andreas dei gracia Hungarie, Dalmatie, Chroatie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerieque rex, in perpetuum. Cum (ex r)egie dignitatis officio quibuslibet deo dicatis domibus teneamur manum pietatis clementer porrigere, et earum utilitati modis omnibus intendere; cupientes tamen aliquid in gazophilacium cum paupercula mittere, ueteris instar testamenti, quo mellis inter cetera primicie poni iuebantur in sacrificio; benigniores regie serenitatis oculos illis accomodauimus, quas a primis credulitatis nostre cunabulis et ampliori dignitate preminere, et ardentiori orationum affectioni pro salute nostra cognouimus assurgere. Sane miserationum domini, quibus post tribulationes multas et malas in solio patrum nostrorum sedimus, recordantes, ecclesie beati Adalberti martiris, qu(am m)atrem regni esse et metropolim, quamque patribus et predecessoribus nostris cum insignibus fidei sacramenta regalibus amministrasse constat; in nostre coronationis memoriam, quam desursum capiti nostro per manus uenerabilis patris, Johannis archiepiscopi Strigon. deus imponere est dignatus, has donorum nostrorum primicias, licet exiguum munus, attribuimus, ut annuatim in supradicti martiris xpi. festiuitate, canonicis, deo illic deseruientibus, centum marce argenti, contradictione confusa, de regali offerantur erario. Quod ut ratum, ac stabile perseueret in posterum, presentem paginam, in argumentum nostri muneris annotatam, sigilli nostri roborauimus inpressione. Datum per manus Gothfridi, Orodienensis prepositi et aule regie cancellarij. Anno dominice incarnationis M°. CC°. VI°. Venerabili Johanne Strigon. archiepiscopo existente; Calano quinqueecclesiensi; Bolezlao Vaciensi; Petro Geuriensi episcopis. Mochone palatino et comite Bichoriensi; Cepano, filio mikabano; Benedicto vayavoda; Cepano (co)mite Bachiensi; Smaragdo Zounukiensi et co-

mite curie; Gyula comite Budruguiensi; Marcello Supruniensi; Thibureio Albensi; Poth musuniensi comite.

Sigillum non fuit appressum, sed pendebat, periit tamen una cum zona. Orig. pulcre exaratum, sed iam viciatum, in Arch. Prim. Sec. Lad. U. fasc. 3. Nro. 60. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 31. — Coronatio Andreae II. peracta fuit 1205. 29. Maii festo Pentecostes, cum autem Andreas ipse a. 1205. 1. Aug. adhuc Calanum nominet Archielectum Strigon; Joannes hic qua Archiepiscopus Coloc. coronationem peragere debuit.

### 176.

Ca. 1206. — „Tempore Petri Abbatis de (Bakony) Bel homines Bespriensis (Vesprimiensis) castri quendam terram s. Mauricii de uilla Scis occupauerunt. Predictus autem Abbas de Bel ante Johannem Strigon. Archiepiscopum eos appellavit, ac iusto iudicio eos deuicit et predictam terram ordine iudiciario Ecclesia optinuit.“

Orig. in Arch. s. Montis Pannoniae. Wenzel l. c. I. 92.

### 177.

1207. 2. Mart. — Innocentius PP. III. Archiepiscopo Strigon. et Suffraganeis iura Abbatis de Borsmonostra contra omnes impetitores defendenda committit. — Datum Romae apud s. Petrum VI. Non. Mart. P. a. 10.

Wenzel l. c. I. 95; ubi litterae hae erronee XI. Non. Mart. datae asseruntur; nos VI-tum, quo nempe maior non datur, ponimus.

### 178.

1208. — Joannes Archiepiscopus Strigon. ecclesiam de villa Búcs cum capella villae Mocs Capitulo Strigon. donat.

Johannes dei gracia sancte Strigon. ecclesie Archiepiscopus, vniuersis, qui paginam istam inspexerint, in perpetuum. Piiis petentium desideriis facilem nos conuenit prebere assensum, et uota, que a rationis tramite non discordant, effectum prosequente complere. Nouerit itaque uniuersitas uestra, quod nos diuine retributionis intuitu ad preces dominici cantoris, atque totius capituli, ecclesiam de uilla, que dicitur bulsou, in honore sancte Marie, cum capel-

la eiusdem de uilla, que dicitur moch, contulimus fratribus nostris in perpetuum, hac ratione, quod de redditibus predictae ecclesie in festo translationis sancti adalberti, gloriosi martiris, patroni nostri, sollempne conuiuium prefatis fratribus annuatim exhibeatur. Vt ergo hec donatio nostra inconcusse firmitatis robor optineat, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>. Regnante gloriosissimo Hungarorum Rege Andrea, Anno regni eius quarto. Domino Bertoldo colocensi electo; Chalano quinqueecclesiensi episcopo; Kalenda uesprimiensi; Bodezldo (sic) Waciensi episcopis. Chepano comite palatino et bachiensi; Julia comite budricensi; Moch comite posoniensi et bursensi.

Sigillum cum zona periit. Orig., maiusculis litteris pulchre exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 24. fasc. 1. Nro. 8. — Ed. Fejér Cod. dipl. III. I. 68.

---

**179.**

1209. 20. Apr. — Innocentius PP. III. confirmat Nrum. 175. — Datum Laterani XII. Kal. Maii. Pont. a. 12.

Katona Hist. Crit. V. 108., Fejér Cod. dipl. III. I. 90.

---

**180.**

1209. 9. Maii. — Innocentius PP. III. confirmat Nrum. 155. Datum Laterani VII. Idus Maii. Pont. a. 12.

Katona Hist. Crit. V. 109., Fejér Cod. dipl. III. I. 90 sub nota.

---

**181.**

1209. 15. Maii. — Innocentius PP. III. Joanni Archiepiscopo Strigon. et suis successoribus ius coronandi Reges Hungariae confirmat.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dej. Venerabilij fratri Johanni Strigon. Archiepiscopo et successoribus eius canonice substituendis. In Perpetuum. Justis petencium precibus dignum est nos facilem prebere assensum, et vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Cum ergo Venerabilis in xpo. frater postulasses a nobis, ut ius coronandi Vn-



garicos Reges, quod ad te ac successores tuos asseris pertinere, tibi et illis apostolico dignemur priuilegio confirmare; nos inspecto regesto felicis recordacionis Alexandrij pape, predecessoris nostri, in eo perspeximus contineri, quod cum principes et Barones Vngarici Regni ab eodem predecessore nostro (cum) multa precum instancia postularint, ut si bone memorie (L.) predecessor tuus iuxta mandatum ipsius (inclite recordacionis B. tunc) in Regem Vngarorum Electum (contradiceret coronare), ipsi per alium imponi faceret R(egni diadema, ne Regno et) Ecclesie Vngarice grauia possent pericula p(ro-uenire), si dictus B. celeriter unctionem non reciperet.. et Coronam. idem predecessor noster prefato predecessori tuo per apostolica scripta mandauit et in obediencie uirtute precepit, ut supradictum Electum in Regem omni dilatione, contradictione ac appellacione postpositis, coronaret, aut si per se ipsum eum forte pro debilitate corporis coronare non posset; bone memorie.. Colocensi Archiepiscopo (intimaret), ut eum absque preiudicio honoris et dignitatis sue ac Strigon. Ecclesie, congregatis Episcopis Regnj in loco, ubi Reges coronari consueuerunt, in Regem ungeret et sibi coronam imponere non differet; recepto prius ab eodem Electo in Regem scripto, de consilio et assensu ipsorum et principum Regnj, aperte suo sigillo bullato, quod ex hoc nullum ei uel Strigon. Ecclesie preiudicium fieret, quominus Vngarici Reges ab Archiepiscopis eiusdem ecclesie semper debeant coronari. prefato Colocensi dans nichilominus in preceptis, (ut) si sepedictus predecessor (tuus coronare nolle) eundem, nec in hac parte ipsi committere uices suas; idem auctoritate apostolica fretus, contradictione ac appellacione postpositis, absque preiudicio illius et Strigon. ecclesie non postponeret coronare; ita quidem, quod idem Electus in Regem ante coronacionem suam Ecclesie sepefate scriptum faceret supradictum, quod idem ipsi fecit postmodum in hec uerba:

Sequitur Nrus 105.

Felicis quoque recordacionis Clemens et Celestinus adinstar prefati predecessoris nostrj, dignitatem coronationis Regum Vngarorum decessoribus tuis et Ecclesie tibi comisse auctoritate apostolica (confirmarunt. Nos) igitur eorundem predecessorum nostrorum uestigijs inherentes, prefatum ius, ut uidelicet Vngarici Reges ab Archiepiscopis Strigon. semper debeant coronari, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti priuilegio communimus. Salua semper apostolice sedis auctoritate, a qua Vngaricj Regni corona processit. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petrij et Paulj apostolorum eius se nouerit incursurum. Cunctis autem uobis ius idem seruantibus, sit pax domini nostri ihu. xpi.,

quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

In bullae delineatae medio: s. Petrus s. Paulus. Innocentius pp. III. cum epigraphe: fac mecum domine signum in bonum.

Infra bullam in medio:

Ego Innocentius (cath. Ecclesie Episcopus, cum Monogrammate.

† Ego Petrus Portuensis episcopus . . .

† Ego Johannes Albanensis . . .

† Ego Johannes . . .

† Ego Nicholaus . . .

† Ego Guido . . . episcopus . . .

A sinistris:

† Ego Guttherus tituli s. Laurentij in . . . Presbiter Cardinalis

† Ego Cencjus sanctorum Johannis et Pauli presb. card. tituli Pamachij.

† Ego Petrus tituli s. Marcellj presb. Card.

† Ego Benedictus tituli s. Susanne presb. Card.

† Ego Rogerius tituli s. anastasiae presb. Card.

† Ego Petrus s. Pudentiane tituli Presb. Card.

A dextris:

† Ego Gregorius s. (Georgii) ad uelum (aureum) Diaconus Card.

† Ego . . . s. Nicholai in carcere Diac. Card.

† Ego Johannes . . . . . Diac. Card.

† Ego . . . . .

† Ego . . . . .

† Ego . . . . .

Datum Laterani per manum (Johannis) sancte Marie in Cosmedim diaconi Cardinalis, sancte Romane Ecclesie Cancellarij. Indictione XII. Idibus Maij, Incarnacionis dominice Anno M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. VIII. Pontificatus uero domini Innocentij pape Tertij Anno Duodecimo.

Bulla plumbea e flavo et roseo serico pendet. — Originale pulcherrime exaratum, sed situ consumtum est, ac voces parenthesi inclusae exciderunt, ideoque e transumpto a. 1641. ac alio recentiori additae sunt. Asservatur in Arch. Primat. eccl. vet. Nr. 7. — Ediderunt Baluzius II. 323., Katona Hist. Crit. V. 110., Fejér III. I. 91. — In bullario Romano loco littera L. quae hic Lucam Archiepiscopum Strigon. denotat, Laurentius obtruditur. Bene tamen Pray (Hierarchia I. 113.) subiicit, editores de propaganda in rebus Hungaricis non maxime versatos esse, quum ex littera L., ut solent in veteribus bullis nomina initio characteris fere exprimi, Laurentium efformarunt. Nec exinde Laurentium hunc — ut Katona opinatur (Hist. Crit. IV. 230.) hoc nomine secundum, inter Lucam et Jobum Archiepiscopum collocare debemus.

## 182.

1209. 15. Maii. — Innocentius PP. III. Abbatiam s. Benedicti de Gron sub suam et sedis Apost. protectionem suscipit ac bona eius confirmat.

Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dej, Dilectis Filijs . . Abbati Monasterij sancti Benedicti De Grana, eiusdemque fratribus tam presentibus quam futuris, regularem uitam profectis In P. P. M. Religiosam uitam eligentibus apostolicum conuenit adesse presidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter dilectj in domino filij uestris iustis postulationibus clementer annuimus et prefatum Monasterium sancti Benedicti de Grana, in quo diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum deum et Beati Benedicti regulam in eodem monasterio institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuiolabiliter obseruetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione Regum uel principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis prestante domino poterit adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec proprijs duximus exprimenda uocabulis: Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentijs suis; Ecclesias sancte Marie de Sytowa et sancti Egidij prope monasterium; Terram in Susolgi cum Silua et uenatoribus; Terram de Celiza; de Varanza; villam Piscatorum et Villam peten; Villam pezer; Villam chelece; Villam coach; Villam cholomach; Villam ceuleus; Villam bretka; Villam de sancto; Villam de Semellar; Villam tholomach; Villam kalon; Villam chefar; Villam tayna; Villam celepsen; predium tassar; Villam Golluch; Villam Sichoua; Villam charat; Predium pagran; Villam bescene; Portionem ville de Oudouort; Villam de Gueuch; Villam de Samto; in medio guach; predium fuzeg; Villam pellj; Villam sach; Villam chon cum piscinis et stagnis; predium alpar; partem uille de Somollum; Predium vrs cum uinitoribus et vineis; Vinitores et vineas in Sumug; Portionem ville de Ludan; Piscatores usonum ad finem Sitoua; in Camaran Piscinam usonum; in chokot nautas; In waz aurifabros; Villam Richrz; Portionem ville de Suillan; Villam beillec; Terram in fus; Terram in Seliche; Terciam partem tributi in Bors; Tributum forj de Sobozlou; Tributum aque in Beld; Tributum lignorum, que feruntur super geron; Decimas aratorum monasterij et hominum suorum, ubique existentium; Capellam sancti Martinj de Odort; Villam chene-



sis; Villam Sichoa; Predium Gesteuge et quartam partem decimarum trium Capellarum. Sane noualium uestrorum, que proprijs manibus aut sumptibus colitis, siue de uestrorum animalium nutrimentis nullus a uobis decimas exigere uel extorquere presumat. Liceat quoque uobis clericos uel laicos, liberos et absolutos, a seculo fugientes, ad conuersionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum uestrorum post factam in monasterio uestro professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco discedere, Discedentem uero absque communium litterarum uestRARUM cautione nullus audeat retinere. Obeunte uero te nunc eiusdem loci abbate uel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu uolentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu uel fratrum maior pars consilij sanioris secundum deum et approbata uestri ordinis instituta providerint eligendum. Decernimus ergo ut nullus omnino hominum — — (sicut Nro. 115., nisi quod loco: Ad indicium autem — — persoluetis; ponatur: „et diocesani Episcopi canonica iustitia.)

Ego Innocentius — ecclesie Episcopus. A dextris bulla, in cuius medio: s. Petrus s. Paulus. Innocentius pp. III.; in circulo autem: † Fac mecum domine signum in bonum. — A sinistris monogramma.

A dextris:

- † Ego Cinthus tit. s. Laurentii in Lucina presb. Card.
- † Ego Cencjus ss. Joh. et Pauli presb. Card. tit. pamachii.
- † Ego Petrus tit. s. Marcelli presb. Card.
- † Ego Benedictus ecclesie s. Susanne presb. Card.
- † Ego Rogerius presb. Card. tit. s. Anastasie.
- † Ego Petruss. pudentiane tit. pastoris presb. Card.

In medio:

- † Ego Petrus Portuensis et s. Rufine Episc.
- † Ego Johannes Albanensis Episc.
- † Ego Johannes Sabnensis Episc.
- † Ego Nicholas Tusculanus Episc.
- † Ego Guido prenestrinus Episc.

A sinistris:

- † Ego Gregorius s. Georgij ad uelum aureum Diaconus Card.
- † Ego Guidus s. Nycholai in carcere tullano diac. Card.
- † Ego Oct(avianus?) ss. Sergij et Bachi Diac. Card.
- † Ego Johannes ss. Cosme et Dam. Diac. Card.
- † Ego Pelagius s. Lucie ad septa solis Diac. Card.

Datum Laterani per manum Johannis s. Marie in Cosmedin diaconi Cardinalis s. Romane ecclesie Cancellarij, Idibus Maij, Indictione — In-

carnationis dominice anno M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>. Pontificatus uero dominj Innocentij pape III. Anno Duodecimo.

Bulla e rubro, viridi et flavo serico pendebat. Orig. pulcherrime exaratum, ast hinc inde iam exesum, in Arch. Aerarii Reg. Hung. Acta Eccl. Fasc. 24. Nro. 1. — Fejér Cod. dipl. III. I. 93.

### 183.

1209. — Andreas II. super obtenta a Legato s. sedis facultate Pontificalibus utendi, Abbati s. Benedicti privilegium confert.

IN NOMINE SANCTE TRINITATIS ET INDIUIDUE UNITATIS. Andreas dei gracia Hung., Dalm., Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerieque Rex, in perpetuum. Quoniam priorum gesta patrum modernos latere possent, nisi diligenti beneficio commendarentur; future compacientes ignorancie, dignum duximus ea propalare, semper litterulis comprehensa, que uiuaci uoce ubique non possunt ostendi. Inde est, quod nonnullae regales abbacie, in regno nostro constitute, de indulgencia domini pape infula, anulo, sandalibusque decorentur; uisum fuit nobis, quod congruum esset rationi, ut abbacia sancti Benedicti de Grana, que antiquitate temporis et dote regali fulgebat, eadem fungeretur prerogatiua; et quoniam nostro tempore Gregorius de Crescencio cardinalis, functus officio domini pape, regnum nostrum uisitaturus intrauit, consentaneum equitati fore perpendit, ut ad preces nostras Abbas, nomine Ivo, qui tunc temporis preerat illi Abbacie, necnon et successores sui, eodem honore fulcirentur; cum prefatum monasterium nec dignitate, nec honore minus alijs esse uidetur. Quia sicut nostrum est, ecclesias uel abbacias dotibus ditare, sic nostrum interest, easdem honoribus sublimare. Et ut concessio, ad preces nostras obtenta, ius et robur firmitatis haberet perpetuum; priuilegium a domino G. prefato cardinali obtinuimus et nostrum eidem concessimus habere. Datum per Manus Magistri Thome, aule regie vicecancellarij, Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. Nono. Venerabili Johanne Strigoniensi Archiepiscopo; Reuerendo Bertoldo colocensi Electo, existentibus; Calano Quinqueecclesiensi; Bolezlao Waciensi; Cathapano Agriensi; Simone Waradiensi; Kalenda Bezprimiensi; Desiderio chenadiensi; Petro Geuriensi, ecclesias feliciter gubernantibus. Poth palatino et Musuniensi comite, Bancebano; Michaeli Woiauoda existentibus. Marcello Bachiensi; Jula Budriguiensi (sic); Nicolao Bichoriensi; Martino Keweiensi; Ochuz Supruniensi; Moys ferrei castri; Moche posoniensi, comitatus tenentibus. Regni nostri Anno Quinto.

Sigillum crassum, sed penitus extritum, e roseo et viridi serico pendet. Orig. eleganter exaratum, sed situ maculatum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 1. Fasc. 1. Nro. 1. —

— Ed. truncato initio et fine Novák Vindiciae Dipl. s. Steph. 145., Timon. autem Imago Novae Hung. Viennae 1762. pag. 20. initium solum et conclusionem; integre Katona Hist. Crit. V. 99. et Fejér l. c. III. I. 81.

## 184.

1209. — Joannes Archiepiscopus Strigon. emptos a Catapano Episcopo Agriensi undecim libertinos de Szolnok buchariorum seu pincernarum officio addicit.

Johannes, dei gracia sancte Strigon. ecclesie Archiepiscopus, omnibus in xpo. fidelibus, presentem paginam inspecturis, in uero salutari salutem et benedictionem. Ne rerum gestarum series diuturnitate temporum queat obliterari, iustitucionis, in presenciarum facte, processum ad memoriam scriptis pium duximus reuocari. Nouerit ergo tam presens etas, quam secutura posteritas, nos emisse XI capita libertinorum de uilla Sonok, a uenerabili fratre nostro C., Agriensi episcopo; quibus cum liberum dedissemus arbitrium posse eligendi, in quo seruicio ecclesie beati Adalberti uelint esse obligati; pincernarie seruitutis sibi elegerunt officium; quod nos annuentes, instituimus, ut inscriptum sibi buchariorum de generatione in generationem exequantur officium, nec ad aliquod aliud compelli possint seruicium. Quorum nomina sunt hec: Vnuca, Vitalis, Tobias, Nicolaus, Rescud, Bud, Burla, Michodemus, Leka, Marcel, Joubos. Verum ne cuiusquam machinatione, dolo, uel calumpnia huic nostre institutioni processu temporis possit derogari, factum scriptis iussimus annotari et sigilli nostri patrocinio roborari. Anno incarnationis dominice M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. IX<sup>o</sup>. Regnante glorioso Hungarie Rege Andrea. Me licet indigno sancte Strigon. ecclesie sedi presidente; Balezlao Vaciensi; Petro Geuriensi episcopis. Potone palatino et comite Musuniensi; Moccone Poseniensi; Toma nitriensi comitibus. Petro preposito Strigoniensi; Vbaldo preposito posoniensi; Benedicto preposito sancti Thome; Jacobo lectore; Dominico Cantore; Michael e custode, et ceteris quam pluribus eiusdem loci canonicis existentiBVS.

A B C D E F G H I.

Fragmentum sigilli e roseo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 49. Fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 70., qui deceptus tribus magnis ultimae vocis litteris, hanc sic ad risum erronee reddidit: „existentibus. B. V. m. p.“!



## 185.

1209. — Joannes Archiepiscopus Strigon. colonos, per Emericum Regem Ecclesiae Strigon. donatos, pincernis suis de villa Csém aggregat.

## IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI.

Johannes dei gracia sancte Strigon. ecclesie Archiepiscopus, omnibus in xpo. fidelibus, presentem paginam inspecturis, in eo, qui est salus omnium, salutem et benedictionem. Ne rerum gestarum series diuturnitate temporum queat obliterari, institutionis in presenciarum facte processum ad memoriam scriptis pium duximus renocari. Nouerit igitur tam presens etas, quam futura posteritas, quod cum felicis memorie Rex Hemericus ad petitionem Venerabilis Job, sancte Strigon. ecclesie Archiepiscopi, predecessoris nostri, VII mansiones ciuiliū de iurisdictione castri Golgoucensis exemptos, quorum nomina sunt hec: Vendeg, Paulus, Petrus, Cema, Juuetu, Cuka, Butuz, cum totali terra eorum, ecclesie beati Adalberti perpetuo contulisset; homines pretaxati de uoluntate propria tempore nostro Pincernarie seruitutis officio se obligauerunt, eo pincernis nostris nexu coniuncti, quod in filios filiorum ab ipsis nequeant seiungi, nec a ceteris officialibus nostris de quocunque alio inpeti possint seruicio, sed addictum sibi cum pincernis nostris de uilla Cem perpetuo exequantur officium. Quod ut inconcusse firmitatis robur obtineat, scriptum Sigilli nostri munimine iussimus roborari. Presentibus canonicis ecclesie nostre: Petro Preposito, Jacobo lectore, Dominico cantore, Michaelle custode et ceteris quam pluribus. Nomina autem pincernarum, quorum societati se prenominate VII mansiones copulauerunt uoluntarie, hec sunt: Tupa, Furna, Beneduk, Zutmoz, Arusod, et ceteri. Anno incarnationis dominice M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. IX<sup>o</sup>. Regnante magnifico Hungarie Rege Andrea; me, quamquam indigno, sancte Strigon. ecclesie sedi presidente. Venerabili Bolezlao Vaciensi, Reuerendo Petro Geuriensi episcopis; Cepano palatino, Mocone Posoniensi, Thoma Nitriensi comitibus exstentjbus.

Diploma hoc in duobus paribus expeditum fuit, quae incisa sunt non quidem alphabeto, sed vocibus, in fronte diplomatis legibilibus, ex eoque maximae sunt raritatis, imo forte unica, in tota diplomatica nostra, litteras enim incidere nonnisi loca credibilia consueverunt; non tamen integris vocibus, sed solummodo alphabeto. — Utrumque par in Arch. Prim. Sec. Lad. S. Fasc. 1. Nro. 1. — Sigillum ovale e rubro serico pendens, episcopum sedentem, dextra benedicentem et sinistra baculum tenentem exhibet, epigraphe detritum. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 72.

## 186.

1210. 30 Jun. — Innocentius PP. III. oblatam a nobili viro Herde, Comite de Similione, fundum acceptans, per Archiepiscopum Strigon. „in ius et proprietatem apostolicae sedis“ recipi, ac Episcopum Csanadiensem, loci dioecesanum, moneri vult, „ut pro suis iustitiis, quas de ipsis esset possessionibus percepturus, ab eodem Comite moderatam recompensationem recipiat, et superabundantem gratiam recognoscat, quam ei facimus in hac parte, quum in huiusmodi fundo absque omni recompensatione, libera posset ecclesia fabricari, sicut Hospitalariis et Templariis aliisque nonnullis per privilegia est concessum.“ — Datum Laterani II. Kal. Jul. Anno 13.

Katona Hist. Crit. V. 116., Fejér Cod. dipl. III. I. 99.

## 187.

1210. — Joannes Archiepiscopus Strigoniensis Capitulo suo Ecclesiam de Szemere cum duabus capellis confert.

Johannes dei gracia sancte Strigon. ecclesie Archiepiscopus, omnibus, ad quos littere presentes pervenerint, in domino ihesu, qui est salus omnium, salutem. Piis petencium desideriis facilem nos convenit prebere assensum, et uota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Vniuersitati ergo omnium liquido clarescat scire uolencium, quod ad preces et instanciam dilecti in xpo. filii nostri Michaelis custodis, contulimus ecclesiam Sancti Michaelis de villa Zemera, cum duabus capellis eiusdem de villa Nek et de villa Solad in perpetuum canonicis ecclesie nostre, intuitu retribucionis eterne, tali condicionis tenore: vt in festo omnium Sanctorum annuatim celebretur eisdem Sollempne prandium de redditibus ecclesie pretaxate, et de dimidia Marca eorundem reddituum ematur cera per singulos annos ad opus ecclesie beati Adalberti. Sed quum diuturnitate temporum benefactorum sepius oblitatur memoria, et quod pie uoluntatis geritur officio, post paucos admodum dies ingrata celat obliuio; idcirco, ut hec nostra donacio perpetue firmitatis robur obtineat, factum scriptis iussimus annotari et sigilli nostri patrocinio roborari. Anno ab incarnatione domini M<sup>mo</sup>. CC<sup>mo</sup>. X<sup>mo</sup>. Regnante Andrea, Hungarorum Rege magnifico; Me, licet indigno, sancte Strigon. ecclesie sedi presidente; Domino Bertholdo Colocensi electo; Reuerendo Boleslao Waciensi episcopo; Venerabili Petro Geuriensi epi-

scopo. Poch palatino comite; Marcello bachiensi, Bankone Bichoriensi comitibus existentibus.

Sigillum e serico roseo et nigro pendeat. Orig., pulcherrime exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 51. fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 101.

### 188.

1210. — Dissidia inter Uriam Abbatem B. Martini de Pannonia et Gilbertum abbatem S. Aegidii de Simigio super decimis exorta, Joannes Strigon. Archiepiscopus et Comes Tiburtius amicabiliter componunt. Quod literis authenticis testantur Petrus Praepositus et Capitulum Strigon. Anno ab inc. dom. M. CC. X. „domino Johanne Strigon. Cathedre feliciter presidente; — — Magistro Jacobo Lectore Strigon.; Vbaldo Posoniensi, Benedicto s. Thome (de promontorio Strigon.) Prepositis, Dominico Cantore, Michaelae Custode, Appollinari Nitriensi, Pethone Borsiensi Archidiaconis; Sothomoz Decano, Alberto, Chise, Wos, Juliano, Sedech, Curiaco, Marcello, Isaac Forti, Anania, Alexandro, Nicholao, Filippo, Salamone, Amando Canonicis“ Strigon.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 102—104.

### 189.

1211. 10. Febr. — Innocentius PP. III. Capitulo Strigon. possessiones Bulcsu et Szemere, ab Archiepiscopo donatas, confirmat.

Innocentius episcopus, seruus seruorum dej. Dilectis Filijs Capitulo Strigon. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem (officij nostrj) ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in domino filij, uestris iustis postulationibus grato concurrentes (assensu), Ecclesiam sancte Marie de Bulchu et ecclesiam sancti — — de Scemera, quas (Venerabilis frater noster..) Archiepiscopus uester, uobis canonice pro communi uestra procuracione concessit, sicut eas iuste et pacifice possidetis, auctoritate uobis apostolica confirmamus et presentis scripti patricinio communimus. Nulli ergo — — cet. consue. — — Datum L(a-terani quarto) Idus februarij, Pontificatus nostri anno Quartodecimo.

Sig. plumb. e flavo et roseo serico pendet. Orig. exesum nec amplius per integrum legibile in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. fasc. I. Nro. 5. — Ed. Fejér l. c. III. I. 111.



## 190.

1211. a. 11. Febr. — Joannes Archiepiscopus Strigon. Capitulo suo, eius paupertati compatiens, redditus Ecclesiae Tirnaviensis pro simila et carnibus comparandis donat.

Johannes, dei gracia sancte Strigoniensis ecclesie Archiepiscopus, omnibus, ad quos littere presentes peruenerint, in perpetuum. Qvonia ea, que geruntur in tempore, ne labantur cum tempore, scripture solent testimonio perhemnari; ad vniuersorum noticiam volumus peruenire, quod nos intuita paupertate Capituli Strigon, puro corde et pio affectu eorum inediam desiderantes releuare; ecclesiam de Sumbot cum suis pertinencijs, iure videlicet decimarum et alijs, contulimus liberaliter et libenter perpetuo possidendam; ita videlicet, quod de redditibus illius ecclesie cuilibet canonico simila tribuatur; residuum uero, si superfuerit, in vsum carniū dictis fratribus expendatur. Ne ergo in posterum hec nostra donacio in irritum ualeat reuocari; in argumentum fidei, rei geste seriem presentis cartule testimonio committentes, eam sigilli nostri munimine precepimus roborari. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XI<sup>o</sup>.

Sig. e rubro flavo et cinericio serico pendebat. Orig. elegantissima manu exaratum in Arch. Cap. Strig. Priv. Lad. 43. fasc. 1. Nro. 1. — Ed. Cod. Strig. II. 17., Wenzel l. c. I. 126., Fejér erronee ad a. 1208. Cod. dipl. III. I. 68.

## 191.

1211. 11. Febr. — Innocentius PP. III. Capitulum Strigon. in possessione decimarum Tirnaviensium confirmat.

Innocentius episcopus, seruus seruorum dei, Dilectis filijs, Capitulo Strigoniensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostrj ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in domino filij, uestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu: Ecclesiam sancti Nicolaj de Scembot (sic), quam Venerabilis frater noster J. Archiepiscopus uester, vobis contulit canonice cum pertinencijs suis, sicut eam iuste, ac pacifice possidetis, uobis auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nullj ergo omnino hominum. — — — cet. consvete. — — Datum Laterani III. Idus Februarij. Pontificatus nostrj Anno Quartodecimo.

Sigillum plumbeum e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 43. fasc. 1. Nro 1. — Ed. Cod. Strig. II. 17., Wenzel l. c. VI. 350.

## 192.

1211. a. 12. Febr. — Strigoniensis et Colocensis Archiepiscopi conventionem super coronatione Regis et iurisdictione ineunt.

In nomine patris et filii et Spiritus S. Amen. Haec est forma pacis inter Strigon. et Coloc. Archiepiscopos: Prima coronatio Vngariae specialiter spectat ad solam Strigon. ecclesiam. Verum tamen si Strigon. archiepiscopus non posset, vel malitiose nollet regem coronare, vel Strigon. ecclesia vacaret; coronet regem Colocensis, nullum ex tali coronatione ius sibi vendicando in prima coronatione. Secunda coronatio ei deinceps aequaliter pertineat ad vtramque.

De prouentu monetae decima pertineat ad ecclesiam Strigon., vbiunque in Regno Vngariae eudatur. Quodsi eudi desierit generalis moneta totius Vngariae; quidquid loco generalis monetae successerit, decimam habeat Strigon. ecclesia.

Strigon. archiepiscopus renunciat omni iurisdictioni et iuri spirituali, quod habebat vel habere videbatur in provincia Colocensi; praeter decimam monetae, si ibi contingeret fabricari.

Judicium officialium domus regiae quilibet episcopus habeat in sua parochia.

Exhibitio sacramentorum regibus et eorum liberis, tam ad ipsos Archiepiscopos, quam ad alios episcopos in suis parochiis pertineat pro voluntate regis.

In omnibus aliis vtrique ecclesiae iura sua conserventur illaesa et consuetudines antiquae. — — Salua in omnibus auctoritate apostolica. Quodsi papa non approbaverit; res sit in eo statu, in quo nunc est. Jurauerunt ambo archiepiscopi et eorum suffraganei, — — necnon et procuratores capitulorum vtriusque ecclesiae. — —

E Nro. 193. — Fejér Cod. dipl. III. I. 131., Endlicher Mon. Árpád. 406.

## 193.

1211. 12. Febr. — Innocentius PP. III. conventionem super coronatione Regis inter Archiepiscopos Strigon. et Colocensem initam non adprobat.

Innocentius — — Capitulo Strigon. — — Vesprimiensis Episcopus in nostra proposuit presentia constitutus, quod cum de pace perpetuo statuenda inter Strigon. et Coloc. Ecclesias diu fuerit vobis mediantibus tractatum, tandem — — Strigon. Archiepiscopus de consensu Suffraganeorum Strigon. Ecclesiae, videlicet Agriensis, Georiensis et praefati Vesprimiensis Episcoporum ex parte una et — — Colocensis Electus de voluntate Suffraganeorum Coloc. Ecclesiae, Waradiensis videlicet, Cenadiensis et ultrasilvani Episcoporum ex altera, in certam

formam concordiae devenerint, quam per praefatos Georiensem et Vesprimiensem Episcopos redigi mandaverunt in scriptis; cum illam in scriptis redactam, in medium produxissent et super ea fuisset diutius disputatum, tandem ita correctam exstitit et conscripta, quod eam pars approbavit utraque, et — — iuraverunt, quod formam pacis — — firmiter observarent et laborarent — — bona fide, ut nos compositionem confirmaremus eandem. P. quoque Quinqueecclesiensis Praepositus, ab Episcopo suo missus pro eo, et Benedictus Praepositus Thomae, necnon et Jacobus Scholasticus Strigoniensis pro vobis, a quibus sub debito juramenti se asseruerunt habere mandatum, et Hubaldus Posoniensis Praepositus juraverunt etiam illud idem. Pro Colocensi vero Ecclesia Jacobus Colocensis et Hosmundus s. Laurentii Praepositi praestiterunt consimile juramentum. Unde praefatus Episcopus ex parte — — A. Regis Hung. — — supplicavit, ut compositionem eandem, quam sigillorum predictorum Electi et Waradiensis, Cenadiensis, Ultrasilvani, Agriensis et ipsius Vesprimiensis Episcoporum, necnon Capitulum Colocensis et Bachiensis nobis exhibuit munimine roboratum, auctoritate dignaremur Apostolica confirmare; cuius tenor talis est.

Sequitur Nr. 192.

Cumque super his cum fratribus nostris deliberare vellemus, — — Jacobus scholasticus et Nicolaus Canonicus, praefati Archiepiscopi (nempe Strigoniensis) nuntii, et M. Thesaurarius et Jo. Archidiaconus Strigonienses, procuratores vestri, petierunt a nobis audientiam sibi dari. Qua ipsis de more concessa, nuntii proposuere predicti, — — (sequitur extractive denuo Nr. 192.) ac — — A. illustris Rex et — — Hungarorum Regina per suas a nobis litteras peterent, quatenus primam sedem primamque vocem, cum iuribus supradictis, quae dictus Rex et dicta Regina, necnon et pars Colocensis publice praefatae Strigon. recognoverunt Ecclesiae, ipsi perpetui dignaremur privilegii munimine roborare. — — — Unde quidquid sit scriptum, vel juratum esse dicatur, — — illud ex parte Archiepiscopi confirmari a nobis suppliciter postulabant, asserentes sic actum et intellectum fuisse, idem Archiepiscopus et praefati Agriensis et Geuriensis Episcopi suis litteris declarant.<sup>1)</sup> Procuratores vero vestri proposuere constanter, quod tam illa compositio, quam redactam in scriptis praefatus Episcopus nobis exhibuit, quam illa, in quam praefati nuntii dixerunt Archiepiscopum consensisse, inita fuerat sine assensu vestro, et in enorme dispendium Strigon. Ecclesiae redundabat. Unde contradicentes utrique, nobis humiliter supplicarunt, ut auctoritate Apostolica casaremus utramque. Nos igitur attendentes, quod dictus Rex olim nobis multa precum instantia supplicaverat, ut super jure coronandi Reges Hung. Strigoniensi Ecclesiae privilegium concedere dignaremur, nosque eius precibus in-

1) Dolendum litteras has intercidisse.



clinati, ei super hoc privilegium concesserimus — — ; considerantes etiam, quod si potestas coronandi Reges Hung. penes diversas Ecclesias resideret, toti Regno grave periculum, et haeredibus dicti Regis grande posset dispendium generare, cum frequenter inter Regum Hung. cohaeredes super obtinenda Regni corona scandalum sit exortum, quod utique posset facilius suboriri, si eos diversos coronatores contingeret invenire; propter contradictiones et rationes praedictas compositionem huiusmodi non potuimus, sicut nec debuimus confirmare. Datum Laterani II. Id. Febr. Pont. a. 14.

In eundem modum scriptum est Strigon. Archiepiscopo. Migne Innoc. III. Opera III. 518. Wenzel l. c. VI. 351. — Joannes ergo hic Archiepiscopus, qui dum Colocensem regeret Ecclesiam, iura continuo vellicavit Strigoniensis sedis, ipse nunc similes impetitiones pati debuit, nec eis, ut apparet, resistere valuit; ut adeo defensionis iurium gloria solum maneat Capitulum Strigon., quod conventionem hanc ab initio statim, licet procuratores eius iuramentum eatenus deposuerint, reprobasse videtur, quia tabulas conventionis, Papae ad confirmandum propositas, sigillo suo, ut vidimus, nequaquam munivit. — Electus Colocensis, qui contentiones has excitavit, erat Bertholdus, frater Gertrudis Reginae Hung., qui patrocinio Regis iuribus suis haud parum addere sperabat; obtinuit autem recte contrarium, cum in conventionem hac et Rex et Regina et pars Colocensis, seu illius adhaerentes, primam sedem primamque vocem publice Strigon. Ecclesiae recognoverant, adeoque eius praecedentiam ultro testati sunt. — Robertus Episcopus Vesprimiensis, qui hic pro defalcandis iuribus Archiepiscopi Strigon. nuncium egit, eius tardius successor evasit.

#### 194.

1211. 12. Febr. — Idem Pontifex eundem in modum Andreae Regi rescribit, hac tamen cum additione: „Super episcopatu quoque de nouo creando apud Cibiniensem ecclesiam in vltasiluana dioecesi, qui metropoli Colocensi subdatur, petitionem regiam nequiuimus exaudire; quoniam siue apostolicae sedi, sicut tu ipse firmiter protestaris, siue Strigoniensi metropoli, sicut procuratores ipsius fortiter asserebant, Cibiniensis praepositura sit in spiritualibus immediate subiecta; id absque dubio in alterutrius praeiudicium redundaret.

Baluz Epist. Innoc. III. tom. II. pag. 583. epist. 156., Koller Hist. Episcopat Quinqueecl. I. 335., Katona Hist. Crit. V. 136., Fejér Cod. dipl. III. I. 129.

#### 195.

1211. 15. Jul. — Innocentius PP. III. dissensiones inter Archiepiscopos Strigon. et Colocensem amicabiliter componere svadet.

Andreae illustri regi Hungariae. Receptis et intellectis litteris regiis, hoc

tibi — — duximus respondendum, quod si forsam inter Strigon. et Coloc. ecclesias super dignitatibus suis aliqua pullulat dissensionis materia, gratum nobis exstet, ut tu cum praelatis ac Suffraganeis et Capitulis earumdem ad amicabilem — — compositionem intendas, sine praeiudicio utriusque, in qua si ex privilegiis, quae alterutri sunt ab apostolica sede concessa, quidquam difficultatis occurrerit, quia de ipsis nobis est solummodo iudicium reservatum, illud ad nostrum referatur examen. — Datum Laterani Idibus Jul. anno 14.

Katona Hist. Crit. V. 130., Fejér Cod. dipl. III. I. 112.

### 196.

1212. 3. Febr. — Innocentius PP. III. datis ad Andream II. Regem litteris de concordia inter Strigon. et Coloc. Archiepiscopos gratulatur, „quum non solum inter eos, sed etiam quoslibet alios sopiri velimus contentiones et lites. Vnde quum — — simus in sede iustitiae constituti, — — neutri eorum, si de iure suo voluerint experiri, negare debemus, quod postulat ordo iuris. Datum Laterani III. Non. Febr. Pont. a. 15.“

Katona Hist. Crit. V. 164., Fejér Cod. dipl. III. I. 128.

### 197.

1212. 14. Maii. — Innocentius PP. III. causam Abbatis et Conventus s. Montis Pann. „quod venerabilis frater noster Strigoniensis Archiepiscopus de quibusdam villis eorum, Sala uidelicet et Wac, decimas sibi uendicare nititur minus iuste, occasione quarum boues et res alias hominibus predictarum villarum in eorum preiudicium auferendo,“ — appellatione remota terminandam decernit. — Datum Tuderii II. Id. Maii. —

Wenzel l. c. I. 127. — Annus Pontificatus adscribitur: duodecimus; Wenzel autem addit: rectius decimus quartus; et tamen in fronte diplomatis a. 1212., qui 15. Pontificatus anno respondet, exponit.

### 198.

1212. — Andreas II. Rex ius patronatus monasterii Kapornak ad Michaellem et Henricum spectare decernit.

In Nomine sancte Trinitatis et indiuidue unitatis. ANDreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerieque Rex, in

perpetuum. Solet simplex ueritas falsitatis artibus plerumque sui iuris uiribus eneruari; nisi regie auctoritatis conuentia ius suum impetrauerit diligenter confirmari. Attendentes itaque rei ueritatem, quomodo gloriose memorie Bela rex, pater noster, pro recompensatione monasterij Cuzin, quod Wolfer pater eius fideli suo seruitio inuenit et construxit, Aenz comiti Monasterium copernuch nomine contulit, quod dicto Regi B. remanserat de Martino filio Georgij, de genere cador; in regali consistorio decreuimus <sup>1)</sup> sicut commune ius exigebat, quod patronatus ecclesie copernuch ad filios suos Michaël scilicet et Henrich, et ab eis descendentes deberet de cetero spectare. Pro eo uero, quod in pueritia sua illi duo fratres extra regnum fuerunt et eos fabianus et Benz pro predicto Monasterio iniuste molestare ceperant et inpetebant, regia auctoritate sancimus, quod non illi duo fratres, Benz scilicet et fabianus, uel ab eis descendentes, uel aliqui etiam alij pro aliquo iure dicte ecclesie alios dictos duos fratres, scilicet M. et H., uel heredes eorum de cetero presumant inpetere uel molestare. Vt autem ipsi et heredes eorum filij dicte ecclesie in perpetuum permaneant, eis presentem paginam sigillo nostro corroboramus. Datum per manus Thome Albensis prepositi et tocius Hungarie Cancellarij. Anno ab incarnatione domini M°. CC°. XII°. Venerabili Johanne Strigon. archiepiscopo; Reuerendo Bertoldo Colocensi Archiepiscopo et woiuoda existentibus; Calano Quinqueecclesiensem; Cathapano Agriensem; Roberto Vesprimiensem ecclesias feliciter gubernantibus. Banc palatino et Keweensi comite; Micaele bano existentibus; Jola bachiensis et curiali comite; Andrea budrugiensi; Nicolao Posoniensi comitibus. Regni nostri Anno VIII.

Sigillum ponderis 26 semiunciarum, e flavo et violaceo serico per medium diplomaticis traducto pendet. Originale nitidissime exaratum in Arch. Primat. eccl. vet. Nro. 8. — Ed. Fejér III. I. 125.

---

199.

1212. — Sancta Elisabetha confirmat litteras Stephani II. Regis super iuribus et possessionibus Abbatiae de Grón.

Fejér Cod. dipl. III. I. 128. -- Originale in Archivo s. Benedicti, in quo iuxta Fejér asservatur, frustra investigauimus.

---

1) Fejér erronee: „in regali consistorio X virorum“!



## 200.

1213. 19. Apr. — Innocentius PP. III. Joannem Archiepiscopum Strigon. ad Concilium Lateranense IV. evocat. — Datum Laterani XIII. Kal. Maii. Pont. a. 16.

Labbe Collect. Conc. XIII. 909., Fejér Cod. dipl. III. I. 145.

## 201.

1213. 26. Maii. — Innocentius PP. III. causam inter Capitulum Strigon. et episcopum Vesprim. terminari aut sibi remitti mandat.

Waradiensi et Nitriensi Episcopis et Abbati de Egris. Ex vestris accepimus litteris, quod quum causam, quae inter — — Vesprim. Episcopum et — — Strigon. Capitulum — — super quarundam decimis vinearum, positarum iuxta Strigonium, vertitur, experientiae vestrae — — duxerimus committendam; vos in ipso negotio propter quasdam exceptiones, adversus eundem episcopum ex parte capituli propositas coram vobis, quas sub vestris sigillis ad nostrum transmisistis examen et nos sub bulla nostra vobis remittimus interclusas, procedere distulistis. — — Mandamus, quatenus — — in causa ipsa — — procedatis; — — quum per narrationem eiusdem episcopi et responsionem capituli, asserentis — — K(alanda) praedecessorem episcopi saepedicti, a quaestione, quam super eisdem decimis coram bonae memoriae J. Strigon. Archiepiscopo adversus idem Capitulum moverat, quum decimas illas sui iuris non esse recognosceret, humiliter destitisse, lis intelligi debeat contestata. Si quid autem praetextu decimarum ipsarum — — Strigon. Archiepiscopus contra ipsum Episcopum proponere forte voluerit, audiat, et — — causam — — terminetis. Alioquin — — ad nostram audientiam. — — remittatis. — — Datum Laterani VII. Kal. Jun. pont. nostri a. 16.

Baluz. II. 779. L. XVI. ep. 62., Katona Hist. Crit. V. 167., Fejér Cod. dipl. III. I. 140.

## 202.

1214. 6. Jan. — Innocentius PP. III. „quosdam Vngaros,“ qui „in Colocensem Archiepiscopum manus praesumserunt iniicere violentas, et audacter desaevientes in gregem, qui non timuerant in pastorem, ipsius Archiepiscopi Clericos necnon et Monachos verberibus, damnis et aliis iniuriis afflixerunt,“

per Archiepiscopum Strigon. et vniversos Hungariae episcopos excommunicari iubet. — Datum Laterani 8. Id. Jan., Pont. a. 16.

Baluz II. 825. L. XVI. ep. 161., Katona Hist. Crit. V. 178., Fejér Cod. dipl. III. I. 152.

### 203.

1214. Apr. — Joanni Archiepiscopo Strigon. ambignum de nece Gertrudis Reginae responsum supponitur.

Regina Hungariae Gertrudis, uxor regis Andreae, per conspiracy principum et baronum de Hungaria interficitur, tribus filiis et filialibus duabus superstitibus relictis. De morte autem huius reginae quaedam archiepiscopi Strigon. publicatae sunt litterae amphibologicae, duplicem habentes constructionem, ita quod per unum illorum videbatur idem consentire neci reginae, per alterum contradicere. Unde per istam summi pontificis iudicium dictus est evasisse: qui tenor litterarum talis esse perhibetur: reginam occidere nolite timere bonum est, si omnes consentiunt ego non contradico.

Albericus Mon. ad a. 1213. Idem dicunt Hermannus Altahensis et Compilatio chron. rer. Boicarum ap. Defelium I. 335. 666. Katona Hist. Crit. V. 197. — Schierius (Reginae Hung. 189.) dictum hoc Joannis Archiepiscopi merito in dubium vocat, illudque e Sophistarum schola huc esse traductum ait, tum addit: „Idem fere de Joanna Philippi Pulchri Coniuge apud Gallos, et de Eduardo II. Rege tollendo apud Anglos vulgatum legas; Parisiis vero in Nominalistarum scholis erat decantatissimum.“ Chronicae patriae altum de hoc Joannis Archiepiscopi responso tacent.

### 204.

1214. initio Maii. — Innocentio PP. III. „Abbas et Conventus s. Mart. de Pannonia conquerendo monstrarunt, quod venerabilis frater noster Strigon. Archiepiscopus predia et homines villarum, spectantium ad capellam s. Marie in Sala, (seu Deáki), quae ad eorum Monasterium noscitur pertinere, decimarum pretextu, ad eundem Archiepiscopum non spectantium, annis singulis depredatur, in hijs ipsis et alijs iniuriosus et molestus existens; propter quod iidem ad nostram audienciam appellarunt.“ Idcirco „causam ipsam sufficienter instructam“ per Episcopum Vesprimiensem et coiudices suos submitti, ac partibus terminum competentem assignari iubet, „quo se nostro conspectui

representent, iustam auctore domino sententiam recepture. — — Datum Romae apud s. Petrum.“

Ex Orig. Wenzel l. c. I. 136., ubi datum diei „octauo Nonas Maij“ exprimitur, manifeste erronee, cum Nonae mense Maio sex non excedant.

## 205.

1214. — Andreas II. Rex Innocentium PP. III. orat, ne coronationem filii sui Colomanni ad Legati Apost. adventum differat, sed eum per Joannem Archiepiscopum Strigon. inungi iubeat. Porro eundem Archiepiscopum ab onere accedendi concilium dispensari et litteras de iure coronationis, ad Ecclesiam Strigon. pertinenti, per subreptionem samissas, e registro rescribi petit.

— — Innocentio — — summo Pontifici, Andreas — — rex. — — Galliciae Principes et populus, nostrae ditioni subiecti, humiliter a nobis postularunt, ut filium nostrum Colomannum ipsis in regem praeficeremus. — — Verum ne tam expediens nobis et vobis illorum propositum ex dilatione sustineat impedimentum, quod quidem multis de causis accidere posse constat, si legatum, ad hoc exequendum a latere vestro destinatum, praestolamur, — — postulamus, quatenus venerabili in Christo Patri nostro, J. Strigon. Archiepiscopo, detis in mandatis, ut apostolica fretus auctoritate, dictum filium nostrum eis in Regem inungat. — — Praeterea innotescere volumus vestrae Paternitati, nos ad proficiscendum Hierosolymas — — studiose intendere. — — Ideoque regni nostri curam — — et filiorum nostrorum tutelam, quorum aetas patrono indiget, — — J. Strigon. Archiepiscopo, qui et dignitate ceteris praeeminet et fidei constantia probatus est, cum aliquibus aliis, — — possumus commendare. Quapropter rogamus — —, quatenus — — ipsum ab onere accedendi ad vos habeatis excusatum. — — — Meminerit etiam sanctitas Vestra, anno ante praeterito super iure coronationis, ad Ecclesiam Strigon. pertinente, per venerabilem R(obertum) Episcopum Vesprim., nuntium nostrum, vos nobis litteras direxisse, continentes laudabile vestrum consilium — —, quod si coronatio ad plures pertineret, materiam dissessionis et schismatis facile excitaret, dum unus unum, alius alterum in Regem coronaret, quas cum quibusdam aliis a sede Apostolica nobis directis, et continentibus solam Strigon. Ecclesiam in officiales domus regiae iurisdictionem habere, in occisione — — uxoris nostrae, per subreptionem amisisse, quarum continentiam, quia credimus in registro contineri, petimus a Sanctitate vestra nobis rescribi. Nec diffiteri possumus, nec volumus, quin decima monetae, ubicunque cudatur in tota Ungaria, vel quicquid loco Monetae succedat, ad ius Stri-



gon. Ecclesiae pertineat, quod etiam in formatione pacis anno ante praeterito, a parte adversa publice fuit recognitum, licet minus plene fuerit scriptum, quam intellectum. Praestatio quoque Sacramentorum Regibus et Reginis Ungariae, eorundemque haeredibus, cum ceteris iuribus, sicut in confirmationibus vestris et antecessorum vestrorum — — continetur.

Raynald ad a. 1214. t. 13. Nro. 8., Koller Hist. Ep. Quinqueecl. I. 346, Katona Hist. Crit. V. 209., Acta Comitiorum a. 1807., Fejér Cod. dipl. III. I. 163. — Colomanum reipsa per Joannem Archiepiscopum Strigon. coronatum fuisse, Honorius PP. III. a. 1222. his verbis testatur: „dudum (Colomanno) regi nato tuo secundo genito ad regnum Galetiae sibi datum per — — Strigon. Archiepiscopum, auctoritate sedis apostolicae coronato in regem.“ (Fejér ib. 356.) Male ergo Dlugossus Colomanum hunc per Vincentium episcopum Cracoviensem coronatum asserit. (Katona ib. 215.)

### 206.

1215. 6. Febr. — Innocentius PP. III. „Ecclesiam s. Georgii de Castelluz, cum capellis et aliis pertinentiis suis,“ „Fratribus Hospitalis Hierosolymitani de Vngaria“ confirmat. — Datum Laterani VIII. idus Febr. Pont. a. 18.

Fejér Cod. dipl. III. I. 179.

### 207.

1215. 6. Maii. — Abbas s. Martini de Pannonia coram Innocentio PP. III. comparens, proponit, „quod cum causam, que inter Monasterium suum et venerabilem fratrem nostrum Strigon. Archiepiscopum super quibusdam decimationibus et rebus aliis Ecclesie s. Marie de Sala, pertinentis ad Monasterium ipsum, noscitur agitari, dudum ven. fratri nostro Vesprimiensi Episcopo et coiudicibus suis duxerimus commendandam, idem Archiepiscopus, asserens prefatum Episcopum esse uinculo excommunicationis astrictum, coram eo noluit respondere. Cumque reliqui sine Episcopo procedere non valerent et iamdictus Archiepiscopus a molestacione ipsius Ecclesie non cessaret, idem Abbas nostram audienciam appellavit.“ Idcirco Papa Episcopo Geuriensi et coiudicibus suis comittit, „quatinus partibus conuocatis, causam ipsam, si de partium uoluntate processerit, fine debito terminetis. Alioquin eandem ad nos remittatis ad concilium sufficienter instructam, ex parte nostra partibus iniungentes, ut tunc coram nobis compareant, sentenciam recepture. — Datum Laterani II. Non. Maii Pont. a. 18.“

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 137.

## 208.

1215. — Andreas II. Rex tributum regale de portu villae Kakath, nunc Párkány, Capitulo Strigon. donat.

IN NOMINE SANCTE TRINITATIS ET INDIUIDUE UNITATIS. Andreas dei gracia Hung., Dalmacie, Chroacie, Rame, Seruie, Gal., Lodomerieque rex, in perpetuum. Omnibus, presentes litteras intuentibus, salutem cum regia benignitate. Sanctorum regum, predecesorum nostrorum uestigijs inherentes, et deuocione sancte matris ecclesie Strigoniensis inducti, que reges regni Hungarie non solum spiritualiter, uerum eciam in donis temporalibus, ut tempore coronationis, solet reficere, quoddam tributum nostrum regale, in portu uille kokat archiepiscopalis, a mercatoribus undique uenientibus quod exigi solet, perpetuato Comitatu strigon. archiepiscopatu, ne potestas alicuius Comitis regalis archiepiscopo turbacionem inferat uel dampna, simul cum tributo fori Ciuitatis Strigon., pro salute nostra et animarum absolucione omnium regum, predecesorum nostrorum, fratribus ecclesie beati adalberti martiris, idest Capitulo, in perpetuum donauimus, nullum ius exinde nobis reseruauimus, ita tamen, quod omnes mercatores, a quibuscunque partibus uenientes, in ipso portu debent transire et per ciuitatem Strigon., iustum ibidem tributum persoluant. De transitu autem inter terram domini archiepiscopi, scep dictam, et uillam sancti stephani regis, domus hospitalis, existenti, taliter ordinauimus, ut ibidem terrestres et simplices transeuntes, tempore lutoso uel necessitatis possint transire, et nautas magister ipsius domus, cum domino Archiepiscopo uno consensu tenere possint et precium transeuncium inter se diuidant, sicut uolunt; Capitulo tamen non preiudicent; mercatores tamen, in ipso transitu transeuntes, vel in ipso portu, uenire debent in Ciuitatem nostram Strigon., et ibi tributo persoluto ipsi Capitulo et tricesima reginali, recedant; alij mercatores cum quibuscunque rebus mercimomialibus, ab omnibus regionibus uenientes, cum curribus honeratis, non aliunde, sed per portum kokat transire debent; si qui mercatorum per aliam uiam transiret; tunc quilibet Comes et specialiter Comes strigon., ipsos tales condemnare poterit in rebus, iuxta modum consuetum. Vt autem hec nostra donacio inuiolabiliter ualeat permanere, litteras nostras sigillo regali per manus domini Thome, albensis prepositi, aule regis cancellarij, fecimus in publicum commendari, pro re cerciori. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XV<sup>o</sup>. Venerabile patre Johanne Strigon. archiepiscopo presidente.

Sig. e flavo et violaceo serico texto pendebat. Orig. rudi calamo exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 41. fasc. 3. Nro. 1. — Ed. Katona Hist. Crit. V. 217., Fejér l. c. III. I. 167.

## 209.

1215. — Andreas II. quosdam Castrenses Posenienses ad preces Joannis Archiepiscopi Strigon., inter Jobagiones Ecclesiae Strigon. plena libertate donatos transfert, eisdemque ut villam ipsorum Karcha perpetuo possideant, indulget.

In nomine sancte Trinitatis et indiuidue Vnitatis. Andreas dej gracia Hung., Dalm., Chroacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerieque rex in perpetuum. Cvm a primis generantibus una libertatis cunctorum fuerit condicio, sed declius postmodum humana fragilitas secundum diuersa merita diuersos sortita fuerit euentus; diuina permittit pietas et idipsum annuere debet regia benignitas, ut pro quibus propria uel aliorum efficaciter interpellant merita, licet aliquo Seruitutis debito prius obligati fuerint, pristini libero status aeri restituendi fore censeantur. Hac itaque nos animaduersione monitj, propter honestam et iustam petitionem nostri dilecti Johannis, sancte Strigoniensis ecclesie Archiepiscopi, quosdam homines, Zyda, Alus et eorum consanguineos, Bvcha et paulum, a iurisdictione castri posoniensis, qui eiusdem a suis progenitoribus castrenses fuerant, penitus exemimus et ad uoluntatem et consensum eorundem, eos et eorum successores in perpetuum huiuscemodi libertate donauimus, ut preter omne conditionis obnoxie debitum, inter iobagiones sancte Strigoniensis ecclesie legitimo titulo computandi fore censeantur, et eadem, qua maiores ex eis, libertate pociantur. Annuimus etiam iam dictis hominibus ad preces supranominatj venerabilis Antistitis, ut suas terras, ad eorundem uillam, nomine Corcha, pertinentes, proprijs metis, quibus antea fuerant limitate, in posterum etiam assignatas, cum siluis, pratis et piscinis ipsi et omnes ab eis deesscendentes, omni semota contradictione, perpetua possideant libertate. Vt autem hec a nobis facta concessio nullo falsitatis obelo diluj, nullo superueniencium impulsu nostris uel nostrorum temporibus successorum retractari uel in irritum reuocari ualeat, rei geste Seriem scriptis commendare, nostrique sigilli munimine dignum duximus in perpetuum roborare. Datum per manus Thome Albensis prepositi et aule regie Cancellarij, anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XV<sup>o</sup>. Venerabili Johanne Strigoniensi archiepiscopo presidente; Bertholdo Colochensi archiepiscopo residente; Calano quinqueecclesiensi; Catapano Agriensi; Desiderio Cenadyensi; Simone Waradyensi; Petro Geuriensi; Willermo Vltrasilvano; Roberto Wesprimiensi; Jacobo Wachyensi Episcopis, ecclesias feliciter Gubernantibus. Iula palatino et Comite supruniensi; Johanne bano; Simeone Woywoda existentibus; Ochuz bachiensi et comite curiali; Mycha bichoriensi; Nicholao budrugensi; Smaragdo posoniensi, Comitatus tenentibus. Regni nostri anno Vndecimo.

Sigillum una cum zona periit. Orig. in Arch. Prim. sec. Lad. R. fasc. 1. Nro. 2. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 168.



## 210.

1215. — Innocentius PP. III. admonet Regem „Ungarorum, quod Archiepiscopo Strigon. decimas cum integritate persolvat.

E litteris eiusdem Papae deperditis. Theiner Mon. Slavorum 59.

## 211.

1215. — Innocentius PP. III. committit „Geuriensi et Cenadiensi Episcopis, quod recipiant testes super causa, que inter Strigoniensem et Colocensem Archiepiscopos vertitur, quos partes ipse duxerint producendos.“

E litteris eiusdem Papae deperditis. Theiner Mon. Slavorum 59.

## 212.

1215. — Innocentius PP. III. mandat „Strigon. et Colocensi Archiepiscopis et Suffraganeis, quod moneant Crucesignatos ire simul in subsidium terre sancte.“

E litteris Papae huius deperditis. Theiner Mon. Slavorum 59.

## 213.

1216. 1. Febr. — Archiepiscopus Strigon. et Robertus Episcopus Vesprim. litem quoad coronationem Reginae et alia iura per arbitros Romae componunt.

Pelagius — — episcopus Albanensis et Stephanus basilicae XII apostolorum presbyter cardinalis. — — Vesprim. Episcopus, olim apud sedem apostolicam constitutus, — — Strigon. Archiepiscopum per litteras apostolicas citari obtinuit, sibi super coronatione et inunctione Reginarum Hungariae, abbatibus et praepositis regalibus suae dioecesis et aliis iniuriis responsurum. Vtrique igitur termino praefixo comparente, — — dedit nos summus pontifex super positis articulis cognitores. Coram nobis itaque posuit praefatus episcopus, praesente archiepiscopo contra eum, quod iure et possessione coronandi et inungi reginas, eundem auctoritate propria spoliaret; chrisma, oleum s. et alia ecclesiastica sacramenta praepositis et abbatibus regalibus intra Vesprim. Dioecesim, in ipsius praeiudicium conferendo. — — Demum

post altercationes multiplices — — consensum est, — — quod nos — — quæstiones propositas amicabili — concordia — sopiremus. Vnde nos fere de partium voluntate sic duximus statuendum: quod si rex et regina simul coronari debeant et inungi; Strigoniensis coronet et inungat regem, et Vesprimiensis reginam. Si vero sola regina debeat coronari et iniungi; Strigoniensis inungat eam, Vesprimiensis autem coronam imponat eidem. Quodsi contingat Strigoniensem in coronatione Reginae abesse; Vesprimiensis nihilominus inungat et coronet eam. Si autem contingit Strigoniensem in Budensi ecclesia celebrare ordines; ex permissione Vesprimiensis utatur et non ordinet clericos Vesprim. Ecclesiae, sed tantum Dioecesis suae. Quodsi idem conficit chryisma Budae, ab ipso oleum infirmorum et pro baptisandis pueris non recipiant, quos constat ad Vesprimiensem Dioecesim pertinere, sed a Vesprim. ecclesia; ab eiusdem autem episcopo et non alio omnes Budenses pueri confirmentur, a quo et praestentur eisdem omnia ecclesiastica sacramenta. De Dömösiensi Praepositura intelligimus, illud idem de Abbatiis et Praepositis regalibus observetur, sicut et hactenus observatum. Adicimus quoque, ut Abbates, Monachi Abbatiarum Cisterciensis Ordinis secundum suorum privilegiorum tenorem recipiant omnia ecclesiastica Sacramenta, super quod Strigoniensis nullatenus opponat. Ceterum ecclesiam de Szegusd idem Strigoniensis Vesprimiensi dimittat in pace. Denique omnia suprascripta, salvo iure Romanae Ecclesiae, quod in Abbatiis in Praepositis regalibus se dicit habere, praecipimus observari. — — Datum Calendis Febr., Pont. dom. Innocentii papa III. a. 19.

Róka Vitae Vesprim. Episc. post Baluzium pag. 102., Katona Hist. Crit. V. 228., Fejér Cod. dipl. III. I. 181. et iterum VII. V. 353., ubi datum sic exprimit: „Laterani kal. Apr. — Compositio haec peracta fuerit a. 1211., vel paulo post, dum Robertus hic in controversia inter Strigon. et Coloc. Archiepiscopos ex parte Regis Romae legati munus obibat. (Vide Nrum 193.) Joannem Archiepiscopum tunc personaliter Romae adfuisse, litterae praesentes docent.

---

## 214.

1216. 20. Apr. — Innocentius PP. III. Episcopo Jauriensi, necnon Archidiacono Nitriensi et Scholastico Albensi iniungit, ut Hospitalarios ad restitutionem Abbati Montis Pannoniae decimas Simigienses compellant. — Datum Viterbii XII. kal. Maii, Pont. a. 19.

Fejér Cod. dipl. III. I. 228., Theiner Mon. Hung. I. 8.

---

## 215.

1216. 21. Nov. — Honorius PP. III. „Strigon. Archiepiscopo et Magistris eiusdem Provinciae et Decano et Archidiacono Strigon.“ iniungit, ut statuto Concilii Lateranensis IV., vi cuius „omnes clerici, tam subditi, quam praelati, vicesimam ecclesiasticorum proventuum usque ad triennium integre conferant in subsidium terrae sanctae,“ conformiter, vicesimam hanc magistris domorum militiae templi et Hospitalis Jerosolimitanorum in Strigoniensi provincia constitutis, usque ad Kal. Maii. exhiberi procurent. — Datum Romae XI. Kal. Dec., Pont. a. 1.

Fejér Cod. dipl. III. I. 183. — Theiner Mon. Hung. I. 3. — Hinc Fridericus Pesty (A templariusok Magyarországon. M. Akadémiai Értesítő Tört. osztály 1861. II. 30—152.) bene concludit, Templarios hos Strigonii conventum, in quo etiam Magister ipsorum resederit, habuisse. Caeterum nulla ante hunc annum de conventu hoc mentio occurrit. Bonbardi quidem haec scribit: „Templarii ad radicem arcis, qua campum despectat viridem (seu szent György mező), quasi pro postibus Marianae Basilicae excubabant ad annum usque 1200.“ (Topographia Magni Regni Hung. 164.) Sed unde haec hauserit, non adnotat, nec nobis haec assertio verisimilis videtur; in loco saltem Conventus scriptor hic et qui eum sequuntur Ladislaus Turóczi (Ungaria suis cum Regibus 166), Kolinovich (Chron. Templar. 229.) et Fuxhoffer (Monast. II. 238.) certissime aberrarunt, in diplomate enim quodam, quod ad a. 1294. producemus, expresse dicitur, templarios in parochia ecclesiae s. Petri exstitisse; iam autem ecclesia haec in extima parte civitatis Regiae procul ab arce sita erat. (Memoria Basil. Strig. 34.)

## 216.

1217. 28. Febr. — Honorius PP. III. modum distributionis vicesimae colligendae Archiepiscopo Strigon. perscribit. — — „Pecuniam collectam et colligendam in truncis per distributores (quatuor nempe vel quinque seu plures viros prudentes, clericos et laicos cruce signatos illius civitatis et diocesis, quorum unus sit Episcopus loci, siquidem cruce signatus extiterit, reliquis ab episcopo diocesano et ipsius vicesime collectoribus eligendis) distribui volumus et mandamus inter cruce signatos strenuos et prudentes de populo illo, ubi fuerit pecunia ipsa collecta, quibus ad peragendum votum suum proprie non suppetunt facultates; — — distribuatur tempore arripiendi itineris, vel in portu.“ — — Datum Laterani 2. kal. Mart. Pont. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 6., Wenzel l. c. I. 142.



## 217.

1217. 13. Jun. — Andreas II. incolis terrae Monasterii s. Benedicti libertates hospitum de Pest, Alba, vel Buda concedit.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. (A)NDreas Dej Gracia Hung., Dalm., Cr., Rame, Seruie, Galitie, Lodomerieque rex in perpetuum. Munificentie regalis immensitas licet etiam ad extraneos bone commendationis fragrantia dilatarj debeat; ad illos tamen copiosius munificentie sue dona copiosius (sic) tenetur diffundere, qui et temporalium bonorum impensu sibi fideliter obsequuntur, et in offerendis oracionum sacrificiis pro pace regis ac regnj deo iugiter ac deuote famulantur. Cum itaque cunctarum ecclesiarum in regno nostro, xpo. militantium, illarum tamen maxime, quarum specialis cura iure patronatus nos attrahit, diuine pietatis intuitu curis et defectibus diligenter ac deuote et circumspecte prouidere teneamur; presencium atque posterorum noticie clarescere uolumus, nos liberalitate regia concessisse, Quatenus cuiuscumque nationis homines, saxones uidelicet, hungarij, sclauj, seu alij ad terram monasterij sancti benedictj de Goron commorandi causa iam conuenerunt, vel conuenire uoluerint, prerogatiua eiusdem libertatis iure perpetuo gaudeant, qua hospites nostri in pesth, albe, vel bude commorantes, auctoritatis regie priuilegio tranquillitate perpetua perfruuntur; sub hiis uidelicet exceptionibus, quatenus de omnibus prouentibus et commoditatibus, que ad regiam iurisdictionem pertinent, tam in tributis et in Descensibus, quam in liberis denariis et ponderibus, seu aliis quibuscumque debitis, que in nostro regno solent vel eciam possent emergere, nec fisco, nec cuicumque hominum respondere teneantur; sed ad ecclesie memorate iurisdictionem tam in iudiciis faciendis, quam in aliis, que diximus, liberalitate regia sint in perpetuum deputata. Verum quia quod deo datum est, sanctum esse debet et inreuocabile, ut hec a nobis in nostrorum remissionem peccatorum amore dej principaliter et ad honestam abbatis eiusdem loci, Thome, petitionem facta donatio, per omnia successorum nostrorum tempora, salua semper et inconcussa permaneat, presentem concessimus paginam, sigillj nostri munimine in perpetuum roboratam. Datum per manus magistri Vgrinj, et (sic) aule regie cancellarij. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. X<sup>o</sup>. VII<sup>o</sup>. Venerabilj Johanne Strigoniensi; Reuerendo bertoldo colocensi archiepiscopis existentibus; Kalano V. ecclesiensi; Desiderio chenadiensi; Roberto uesprimiensi; Simeone uuaradiensi; Petro geuriensi; Guillelmo transiluanensi; Jacobo uuaciensi; Stephano zagrabiensi episcopis existentibus et ecclesias feliciter gubernantibus. Jula palatino; Dionisio magistro tazuaruarnicorum et comite nouj castri; Raphain uuoiauoda; bancone bano; Ochuz curialj comite, et ceteris comitibus, comitatus tenentibus. Regnj Nostri anno X<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>.

Datum diei in inferiori margine extraserialiter sic adnotatur: primo Idus Junij. — Sigillum cum zona periit. Orig. exesum amplius per integrum legi non poterat, lacunas e transsumpto simplici sec. 15. supplevimus. In Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 9. fasc. 3. Nr. 1. et Lad. 40. fasc. 1. Nro. 3. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 196., Extr. Wenzel l. c. VI. 572.

---

218.

1217. 27. Aug. — Honorius PP. III. Archidiaconum Nitriensem et Scholasticum Albensem in causa Nri. 214. non obstante absentia Episcopi Jauriensis, „qui, sicut accepimus, iam iter arripuit in subsidium terrae sanctae,“ procedere iubet. Datum Ferentini VI. Kal. Sept. Pont. a. 2.

Fejér Cod. dipl. III. I. 228., Theiner Mon. Hung. I. 8.

---

219.

1217. — Andreas II. Rex Nrum. 54. transcribit et confirmat.

IN NOMINE SANCTE TRINITATIS ET INDIUIDUE UNITATIS. ANDREAS, DEI GRACIA VNGARIE, DALMACIE, CROACIE, RAME, SERVIEQUE REX, tam presentibus, quam futuris, IN PERPETUUM. Quia nobis ad salutem plurimum expedit Religiosa loca, diuino cultui mancipata, inter ceteras regni sollicitudines protectione regia defendere, et in suis iusticiis tanto propensius confouere et efficacius permouere, quanto celebrius in eis omnipotens deus colitur et a fidelibus deuocius honoratur; eorumque quieti tanto diligencius consulimus, quanto peruersitatem humanam cognoscimus ad iuris ipsorum detrimenta prouocantem. Eapropter rerum noticiam cum earum auctoribus pertransire speculantes, occasionem malignantium uel efficaciam diripiencium, propter uetustatem priuilegiorum, a bonis locorum uenerabilium auertere satagentes; quicquid predecessoris nostri, Geise regis, recolende memorie, largicione sub titulo beati Benedicti de Gron regulariter militancium usui, eternorum intuitu, collatum esse dignoscitur, priuilegiique patrocinio dedicatum, quod uidelicet priuilegium predicti regis Geise ob aliquas necessarias eiusdem monasterii causas, ut inferius declaratur, exhibitum extitit, ac per dominum Stephanum regem, Colomanni regis filium, postea corroboratum, Ad honestam petitionem Thome abbatis, fidelis nostri predictum priuilegium domni Stephani regis, tenorem priuilegii ipsius Geise regis plenarie continens, renouare, et presencium auctoritate munire decreuimus. Cuius series talis est:

## Sequitur Nrus. 54.

Ne autem huius renouati priuilegii seriem nequicie stimulis agitatus aliquis in posterum calumpniose contendat in irritum reuocare; Sigillo nostre serenitatis uoluimus corroborare. Si qua igitur cuiuslibet ordinis, uel dignitatis persona presentem paginam temerario ausu infringere temptauerit: iram omnipotentis dei incurrat et regie indignacionis seueritatem in sua districtione et rerum suarum proscripcione uehemencius experiatur. Datum per manus magistri ugrini et (sic) aule Regie Cancellarii. Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XVII. Venerabili Johanne Strigon.; reuerendo Bertoldo Colocensi archiepiscopis existentibus; kalano V. ecclesiensi; desiderio chanadiensi; Roberto wesprimiensi; Simone waradiensi; Petro geuriensi; Guilelmo transilvano; Jacobo waciensi; Stephano Zagrabiensi Episcopis existentibus et ecclesias feliciter gubernantibus. Jula palatino; dionisio magistro tauarnicorum et comite noui castri; raphain woieuoda; Bancone Bano; Ochuz curiali comite, et ceteris comitibus, Comitatus tenentibus, regni nostri Anno X<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>.

Sig. cum zona avulsum. Orig. in membrana lata elegantissima manu. exaratum, sed humore maculatum et hinc inde difficulter admodum legibile, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 9. fasc. 3. Nro. 3. — Ed. Fejér l. c. III. I. 194.

## 220.

1217. — Andreas II. Comiti Paulino et Jacobo pro villa Tardos, quam Archiepiscopo Strigon. restituit, villam Burin confert.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. Andreas Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerieque rex in perpetuum. Cum ea, que bonorum deliberacione legitima disponuntur, et maxime, que regia pertractat autoritas, salua semper et inconcussa permanere debeant; ad uniuersorum presencium, atque posterorum noticiam claresscere uolumus, nos in commutationem uille turdos, quam nostris fidelibus paulino comitj et Jacobo dederamus et postmodum sancte Strigoniensi ecclesie contulimus, terram uille byrin, que ad castrum posoniense prius pertinebat, exceptis castrensibus, memorato paulino comitj et Jacobo et eorum heredibus per nostrum fidelem Lampertum, filium Omodey in perpetuum contulisse; ita uidelicet, ut sicut Strigoniensis ecclesia uillam turdos iurisdictione perpetua suscepit possidendam, eodem iuris ordine sepedictj paulinus comes et iacobus frater eius et eorum successores, tamquam sua patrimonia possideant in perpetuum, sine contradictione, sub eisdem metis et terminis, quibus unquam



plenary, necnon pacifice iam dictum posoniense castrum possidebat, cuius terre conterminales sunt hii: uersus orientem populus monasterij sanctj Martij de pannonia de sala, hinc procedendo conterminatur uille zemere, hinc (tendit ad villam Mynolth, nomine Beren) uersus meridiem, hinc transit aquam duduag et transit procedendo iuxta beren uillam moynolth memoratj, hinc ad uillam Ze(le, ita quod in terra, pratis et siluis et pisscinis Zele uilla buren posoniensis suam habet legittimam porcionem, hinc participat metas cum vduornicis regis uersus (occidentem, hinc tendit ad) uillam Nek castrensiu et inde circuiens, uenit ad predium berecu domine bogosloe et retransiens duduag uersus sala abbatis, (conterminatur predio Sebus comitis,) nomine Thumoy uersus occidentem. Hinc procedit ad tres populos et rediens ad terminos populorum abbatis sanctj Martij, uenit ad priorem metam. Vt igitur hec per nos facta donacio, pariterque dispositio, per omnia successorum nostrorum tempora salua semper et inconcussa permaneat, presentem concessimus paginam, sigilli nostri munimine in perpetuum roboratam. Datum per manus magistri Hugrini aule regie cancellarii, anno ab incarnatione domini Millesimo CC<sup>o</sup>. (XV) II<sup>o</sup>. Venerabili iohanne strigoniensi, Reuerendo Bertholdo colocensi archiepiscopis existentibus; Kalano quinque ecclesiensi; Desiderio chanadiensi; Wllermo ul(trasilua)no; Symone wariensi; Roberto uesprimiensi; Jacobo wachiensi; Petro geuriensi; Stephano zagrabiensi; Thoma agriensi electo episcopis, ecclesias feliciter gubernantibus. Julia palatino; Bancone bano; Dyonisio magistro thauarnicorum et comite noui castri; Rophoyn voyuada; Ochuz curie comite, ceterisque comitibus, comitatus tenentibus. Regni nostri anno tercio X<sup>o</sup>.

Sig. cum zona avulsum. Orig. nitidissima manu conscriptum, sed situ extritum integre amplius legi non potest. In Arch. Prim. Sec. Lad. C. fasc. 5. Nro. 76. — Ed. Cod. Strig. I. 21; Wenzel l. c. VI. 391. Recentissime Tkalcic Mon. Episc. Zagrab. I. 47. unde etiam lacunas et annum suppleuimus; litterae tamen hae potius a. 1218. paulo post Nrum. 223. editae esse videntur.

---

## 221.

1218. 27. Oct. — Jacobus Archidiaconus Nitriensis, Canonicus Ecclesiae Strigon. testatur, „quod Paulus et Thomas, filii quondam Lamperti, Comites, consanguinei et diuisionales fratres Comitum Leustachij, et Petrus de Leustachfalva, Comites Comitatus Nitriensis“ coram ipso particulam terrae arabilis in possessione ipsorum Thelekfeld, „Ecclesie B. Martini Conf. et Pont. in villa Elefant constructe, Ecclesie parochiali scilicet eorum, de-

dissent..“ „Datum in villa Apon tempore conuocationis nostre generalis sexto Kal. mensis Nov.

Fejér Cod. dipl. III. I. 267., Wenzel l. c. I. 161.

---

**222.**

1218. 23. Nov. — Honorius PP. III. Strigon. Praeposito et coiudicibus suis causam Abbatis et Conventus s. Mart. de Pannonia contra „populos Bissenorum de villa Nogholm Vesprimiensis dioecesis, qui decimas ad eos de iure spectantes, contra iusticiam detinent et reddere contradicunt,“ discutiendam committit. — Datum Laterani IX. Kal. Dec., Pont. a. 3.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 160.

---

**223.**

1218. — Andreas II. villam Tardos, Ecclesiae Strigon. ab Emerico Rege, pro eruendis marmoribus donatam, et ex ira in Joannem Archiepiscopum ademptam, Archiepiscopo in gratiam recepto, restituit.

In Nomine Sancte Trinitatis et indiuidue unitatis. Andreas dei gracia Hung., Dalm., Croacie, Rame, Seruie, Galicie Lodomerieque rex, in perpetuum. Munificencie regalis immensitas licet eciam ad extraneos bone commendacionis fragrantia longe lateque dilatari debeat, ad illos tamen copiosius largicionis sue dona debet extendere, qui et temporalium seruiciorum inpensu sibi fideliter obsequuntur, et in offerendis oracionum sacrificiis pro pace regis et regni deo deuote ac iugiter famulantur. Cum itaque noster frater Hemicus rex inclite memorie, temporali commercio uolens eterna metere, in suorum remissionem peccatorum et anime sue remedium, villam Turdos, ad castrum Kracov prius pertinentem et mansiones hominum, cum omnibus eorundem successoribus in ea commorantes, cum pratis, siluis, terris cultibus, et ceteris eiusdem ville pertinenciis, pro extrahendis marmoribus sancte Strigon. ecclesie contulisset, in perpetuum possidendam, et ecclesia memorata donacionem factam sibi legitime, per omnia regni nostri tempora, usque dum quorundam nostrorum principum consilio terre nostre statum, ab antiquis illibate conseruatum, alterantes, Castra, comitatus, terras et ceteros totius opulentis Hungarie prouentus, in perpetuas heredita-

tes nostris baronibus et militibus distribuimus; bona fide, iusto titulo, tranquilla pace possedisset, hoc et eodem tempore contra fidelem nostrum Johannem Sancte Strigoniensis ecclesie archiepiscopum, nouas institutiones fieri penitus renuentem, contigit nos grauiter irritari. Inter agendum quidam ex regni nobilibus, Paulinus comes et Jacobus frater eius, ad nos accedentes, memoratam villam Turdos diligenter a nobis pecierunt, facte distributionis ratione sibi necnon eorum heredibus in perpetuum conferendam, asserentes, eam, excluso iure cuiuslibet, ad Castrum Kracov supradictum integraliter pertinere. Nos itaque tum propter conceptam contra memoratum archiepiscopum iracundiam, tum quia causarum omnium, in regno nostro pullulantium, ad quod humana transcendere non sufficit ratio, singillatim memores esse non possumus, rei geste memoriam tunc temporis non habentes, concessimus; sub hoc tamen condicionis titulo, si ad Castrum supradictum simpliciter et ad neminem donatione precedenti pertineret. Verumptamen, cum postmodum, prout facere debuimus, memoratum archiepiscopum, contra quoslibet oblatrantes sibi penitus insontem, in nostram integraliter recepissemus gratiam; tam per eum, quam per alios regni nostri principes, nec non propria recolentes consciencia, recognouimus, supradictam villam Turdos, cum mansionibus in ea commorantibus, et ceteris pertinentijs, que supra tetigimus, fratrem nostrum Hemericum regem, excellencie recolende, sancte Strigon. ecclesie in perpetuum contulisse. Nos igitur nostrorum Antecessorum instituta, maxime tamen, que ad nostram legitime gesta sunt memoriam, nolentes irritare, sepedictam villam Turdos cum omni suo iure a Paulino comite et fratre suo Jacobo, ad commune nostrorum baronum arbitrium, penitus abstulimus et sancte Strigon. ecclesie integre restituimus, ut nec nostris, nec nostrorum successorum temporibus iam dicti Paulinus et Jacobus, uel eorum successores, seu quilibet alii, ualeant repetere, sigilli nostri karactere in perpetuum roborauimus. Datum per manus Magistri Vgrini aule regie cancellarii. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. XVIII<sup>o</sup>. Venerabili Johanne Strigoniensi; Reuerendo Bertholdo colocensi archiepiscopis existentibus; Kalano quinqueecclesiensi; Desiderio Cenadiensi; <sup>1)</sup> Villelmo ultrasilvano; <sup>2)</sup> Petro Geuriensi; <sup>3)</sup> Roberto Vesprimiensi; Symone Waradiensi; Jacobo Waciensi; Stephano Zagrabiensi; Thoma agriensi electo Episcopis, ecclesias gubernantibus. Jula comite palatino; Bancone bano; Dyonsio Magistro thauarnicorum et comite noui castri; Ochvz comite curiali; ceterisque comitibus, comitatus suos tenentibus. Anno regni nostri tercio decimo.

---

1) Par orig. habet: Chanadiensi.

2) Ibidem: Transsilvano.

3) Ibidem: Jauriensi.



Sigillum una cum zona periit. Nitidissimis characteribus elegantissime exaratum. Manus sec. XVI. in dorso adscripsit: Thurdos penes Thatha. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. C. fasc. 5. Nro. 75, ubi aliud quoque par Orig., scriptura comuni, cum zonis duorum sigillorum adiacet. Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 255. — De distributione hac Andreae Regis inconsiderata, cui Joannes Archiepiscopus restitit, vide dissertationem nostram: Az egyházi javak. Magyar Sion VI. 81.

---

224.

1218. — Andreas II. vineas in Pográny Joanni Archiepiscopo Strigon. confert.

Andreas, dei gracia vngarie rex, vniuersis, presentes litteras inspecturis, salutem et omne bonum. Ad uniuersorum noticiam, tam presencium, quam futurorum, tenore presencium, uolumus peruenire, quod nos ex gracia et bona uoluntate nostra reuerendo in xpo. patri nostro, Johanni, dei gracia Strigon. archiepiscopo, vineas pagran perpetuo contulimus possidendas, quas eciam prius ladislao ruteno donaueramus. Vt igitur hec a nobis facta donacio nostris nostrorumque successorum temporibus salua semper et inconcussa permaneat, nec alicuius cauillationis scrupulo possit irritari, presentem concessimus paginam, dupplicis sigilli nostri munimine in perpetuum roboratam. Datum Annis (sic) ab incarnatione domini Millesimo CC<sup>o</sup>. X<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>. Regni nostri Anno X<sup>o</sup>. V<sup>o</sup>.

Sigillum e roseo serico pendebat. — Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. N. fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 257.

---

225.

1218. — Andreas II. Joanni Archiepiscopo Strigon. terras Gamas, Kopol, Egres et Lulha confert.

Andreas dei gracia Vngarie rex vniuersis, presentes litteras inspecturis, salutem et omne bonum. Ad uniuersorum noticiam, tam presencium, quam futurorum, tenore presencium uolumus peruenire, quod nos ex gracia et bona uoluntate nostra reuerendo in xpo. patri nostro, Johanni, dei gracia archiepiscopo Strigon. terram cuiusdam uille, nomine Gamas, que est communis cum terra uduornicorum regis, cum octo mansionibus hominum, quorum nomina hec sunt: Eccu, eius frater Huus, Hencu, laurencius, Stephanus, Beya, deus, contulimus perpetuo possidendam. Insuper eciam in uilla Copul octo mansiones uinitorum, cum terra eorundem, quorum

nomina hec sunt: Sicus, Domud, Muta, Mocusea, Gapsa, Geus, Mateus, Chemen. Item in uilla Egrus tredecim mansiones uinitorum, cum terra eorundem, quorum nomina hec sunt: Mochu, Peta, Cipeu, Hi- uotol, Hayanduc, Codu, Lat, Cedur, Marcel, Stephan, Fitca, Se- ga, Muta. Item in uilla Iulha undecim mansiones uinitorum, cum terra eorundem, quorum nomina hec sunt: Dionisius, Gelian, Johannes, Marcel, Sumug, Vilma, Sereda, Cesen, Pousa, hunuca, Matey, eidem eciam archiepiscopo contulimus possidendas. In possessionem uero prenominarum mansionum et terrarum prenominatam Archiepiscopum per pristaldum no- strum Andream ruphum fecimus introduci. Vt igitur hec a nobis facta dona- cio nostris, nostrorumque successorum temporibus salua semper et inconcussa permaneat, presentem concessimus paginam, duplicis sigilli nostri munimine in perpetuum roboratam. Datam Annis ab incarnatione domini millesimo CC<sup>o</sup>.X<sup>o</sup>.VIII<sup>o</sup>. Regni nostri anno X<sup>o</sup>.V<sup>o</sup>.

Sig. e serico roseo pendebat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. fasc. 1. Nro. 1. — Fejér erronee ad a. 1208. Cod. dipl. III. I. 66. — Ed. Cod. Strig. I. 20., Wenzel l. c. VI. 393

## 226.

1218. — Comes Samuel a iobagionibus Castri Comaromiensis de villa Örs terram trium aratrorum emit coram Capitulo Strigon.

Sancte strigoniensis ecclesie Capitulum omnibus, ad quos littere presen- tes peruenerint, oraciones in domino. Notum sit uniuersis, quod constitutis in presencia nostra Mo vr primipilo Kamarniensi (sic), Vid iobagione eius- dem castri ab una parte; Petro, filio Cokos, procuratore Samuelis comitis, ut ipse dicebat, ab altera; proposuit dictus P., quod S. comes, dominus ipsi- us, a iobagionibus castri Kamarniensis de villa Vrs, terram ad tria aratra cum pertinencijs ad ipsam, pro IIII Marcis argenti comparasset et de pre- cio eisdem ad plenum satisfecisset. Supradictis uero M. primipilo et V. tum pro se, tum pro ceteris coniobagionibus suis de villa Vrs, super propositis a prefato p. testimonium perhibentibus, postulauerunt communiter, ut secundum recitationem factam rem gestam scripto commendaremus. Ad quorum petici- onem presentem paginam confecimus et sigilli nostri munimine roborauimus. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C. XV<sup>o</sup>III. Regnante feliciter glorioso Andrea Hungarorum rege et in peregrinatione iherosolimis com- morante; Johanne Strigoniensi archiepiscopo; Calano quinqueecclesiensi; Petro Geuriensi; Roberto Vesprimiensi episcopis; Jacobo ecclesie nostre Lecto- re; Amando cantore; Hysce custode; Apolinario Nitriensi; Johanne de Sas-

war; Alexandro Gumvriensi Archidiaconis; Laurencio, Wos, Sedech, Philippo canonicis existentibvs.

A.

B.

C.

Sig. sat bene conservatum e rubro et flavo serico pendet. Orig. nitidissimo calamo exaratum, in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. fasc. 4. Nro. 65. — Ed. Cod. Strig. I. 23., Wenzel l. c. VI. 396.

### 227.

1219. 17. Jan. — Honorius PP. III. Archiepiscopum Strigon. provocat „quatenus vicesimam tam tuorum proventuum, quam tuae Dioecesis, quae nondum collecta est, colligas diligenter, contradictores — — per censuras ecclesiasticas — — compescendo;“ et tam collectam, quam colligendam Acontio subdiacono, Capellano papali in subsidium terrae sanctae resignet. — Datum Laterani 16. kal. Febr. Pont. a. 3.

Fejér Cod. dipl. III. I. 275., Theiner Mon. Hung. I. 18.

### 228.

1219. 11. Jun. — Honorius PP. III. Archiepiscopo Strigon. usum insignium Archiepiscopalium per Dioecesim Colocensem inhibet.

Honorius — — archiepiscopo Strigon. — — Oblata nobis — — Colocensis archiepiscopi conquestio patefecit, quod tu — — in provinciis et dioecesi Colocensi in abbatibus, praepositis et ecclesiis regalibus cum palleo celebras, ac coram te crucem facis in eius praeiudicium baiulari. Quum igitur hoc potius praesumi credatur ex arrogantia, quam ex privilegio vel indulgentia speciali, quum imperium non habeat par in parem; — — mandamus, quatenus a praemissis in posterum taliter conquiescas, quod idem archiepiscopus — — non cogatur — iterare querelam — — Datum Reate III. Idus. Jun., Pont. a. 3.

Reg. a. 3. ep. 487., Katona Hist. Crit. V. 325., Fejér Cod. dipl. III. I. 281., Theiner Mon. Hung. I. 22. — Eodem die indulget Archiepiscopo Coloc., ut „cum constitutae per Hungariam regales Ecclesiae in temporalibus Regi, et sedi Apostolicae in spiritualibus nullo pertineant mediante,“ in regalibus Ecclesiis Dioecesis suae insignibus Archiepiscopalibus uti possit. Item in tertiis eiusdem diei litteris eundem Archiepiscopum in concessione hac turbari vetat. Katona ib. 324., Fejér ib. 280—281., Theiner ib. 21. 22. — Quanta litteris his Ecclesiae Strigon. iniuria irrogata sit, cuilibet, Nros. 170. 171. consulenti, patebit.



## 229.

1219. — Andreas II. Hervinum in possessione terrae Szebeléb confirmat.

Andreas dej gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerieque Rex, Omnibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem et omne bonum. Cum ea, que regalis disponit auctoritas, salua semper et inconcussa permanere debeant; Modernorum atque posterorum noticie clarescere uolumus, quod dum quidam ex iobagionibus Hunt et Blonduch, Heruynum filium Rudgueri comitis, eodem mortuo coram nobis accusarent, ut amplius, quam ad vigintj aratra de terra Zuyhplip, expulsis castrensibus, memoratus R. uiolenter occupasset; iamdictus H. nominatam terram iusto titulo donacionis fratris nostri Heymiriej (sic) Regis, felicie memorie, iam longo tempore possedissee, necnon iuste possidere; nec ultra, quam ad uigintj aratra, contra memoratos homines allegabat. Nos igitur huius rej uolentes experiri ueritatem, transmisso quodam ex nostris fidelibus, comite Chac, de genere Chac, uerum esse cognouimus, quod sepedictus iuuenis, H. uidelicet, asserebat. Huius autem terre Mete sic distinguuntur: prima meta incipit a monte, qui uocatur Zeregna; hinc tendit ad paludem lubus, et per eandem descendendo, uenit ad paludem, que uulgo dicitur meges potach et per eandem uenit usque ad ortum ipsius paludis in medium campum; hinc tendit ad lagku; inde ad montem, qui uulgo dicitur Zevlevmal, hinc transeundo per crepidines moncium, redit ad priorem locum. Porro nos fratris nostri donacionem nolentes irritare, sepenominatum H. in huius terre possessionem per fidelem nostrum Chac comitem confirmauimus et auctoritatis nostre karaktere perpetualiter insigniuius. Datum per manus Hugrinj colochensis electj et aule regie cancellarij. Anno ab incarnatione dominj M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>X<sup>o</sup>IX<sup>o</sup>. Regnj nostri anno Quinto decimo.

Ab extus: „Super Scibichlib.“ Sigillum e roseo serico pendeat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 15. fasc. 2. Nro. 1., Extr. Fejér l. c. III. I. pag. 275. — Ed. Cod. Strig. II. 22; Wenzel l. c. VI. 402.

## 230.

1219. — Andreas II. Joannis Archiepiscopi Strigon., sub sua in terram s. peregrinatione per turbulentos Nobiles e regno expulsi, ac Capituli Strigon., plurima damna perpessi, intemeratam fidem donata eidem Capitulo terra Vincz in Transsilvania remuneratur.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis. Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerieque Rex in perpetuum. Cum Regum omnium et Regnorum potencia, pax et securitas in sola suo-

rum fidelitate consistant; merito apud Regie serenitatis prouidenciam fidelitatis firmitas ceteris est uirtutibus politicis preferenda; et quanto nunc hominibus, ex corruptela seculi senescentis infectis et in malum pronis existentibus, ea rarior inuenitur in terris; tanto carior est habenda et premijs amplioribus compensanda. Hinc est, quod nos inuentam in venerabili patre Johanne Strigoniensi archiepiscopo et eiusdem ecclesie Canonicis constantissime fidelitatis prerogatiuam, perpetue memorie duximus comendandam, eamque etsi insufficienter, utpote omnem premij temporalis affluenciam transcendentem, liberaliter tamen Regia decreuimus largitate donandam. Cum enim nos assumpte peregrinationis debitum reddituri, ultra mare in subsidium terre Sancte fuisset profecti et ex Regie sollicitudinis prouidencia Regnum, positum in pace optima et quiete, commissemus nostris fidelissimis, iamdicto Johanni Archiepiscopo et alijs quibusdam, in statu, in quo nobis recedentibus fuerat, gubernandum; quamplurimi potentum et nobilium Regni, satellites Sathane, Regiam non uerentes offendere maiestatem, nostris dispositionibus ausu presumpserunt nephario contraire, pacem perturbantes et Hungariam hostiliter affligentes. Memoratus autem Archiepiscopus iniunctorum sibi a nobis constantissimus obseruator, cum eligeret mori magis, quam ipsorum malicijs consentire, ab eisdem tyrannis rebus omnibus et redditibus spoliatus, captus, cum iniuria et summo dedecore extra Hungariam est eiectus, ubi pro nostra gracia libenter omnem sufferens inedia, usque ad nostrum reditum exulauit. Canonici eciam memorati plurimis et grauissimis dampnorum et iniuriarum penis et passionibus afflicti, in sue fidelitatis proposito immobiliter permanserunt. Nos igitur in tante fidelitatis memoriam et compensacionem, in passionum et afflictionum suarum quandam consolacionem; eisdem Canonicis in ultrasilvanis partibus dedimus quandam terram, que Wynchy uocatur, cum vduornicis nostris et eorum heredibus in perpetuum possidendam. Dilecto ac fideli nostro Nevke woywode iniungentes, ut eos auctoritate nostra induceret in possessionem et dominium terre prefate et dictorum vduornicorum. Qui conuocatis omnibus, quorum (sic) oportuit conuocari, et presentibus, quorum ad hoc exigebatur presenciam; sepedictam terram, certis circumquaque metis et terminis, nullis contradicentibus, assignatam, Canonicis tradidit sepius nominatis. Cuius terre prima meta progreditur ab eadem villa Wynchy et transit fluuium, qui dicitur Soust et fit prima meta in uia iuxta metam ville Kuen; ville uidelicet sancti Regis. Inde tendit per eundem fluuium superius ad metam Muton per quinque uel sex metas et ibi fit meta in loco, qui dicitur

Telukzad, et inde dirigitur per locum, ubi secatur fenum, et vadit ad locum, nomine Bundrov, et ibi uicinatur mete Dimisiensis ecclesie et Pastuh, et inde tendit ad locum, qui dicitur Tulgistue et ibi uicinatur cum uilla, que dicitur Liquj, populis castrensibus, et ascendit ad radicem montis, qui Nyr dicitur, et inde descendit ad locum Zudtelke, et inde ad locum Toutnetkuta et inde transit vallem et uicinatur cum ecclesia de Eperies, et inde descendit ad sepulcrum sacerdotis Orod, et inde ad stagnum Chazar, et inde reuertitur uersus Morisium ad pratum Mycula, et ibi sunt due mete, altera sancti Adalberti, altera de Eperies. Preterea eadem uilla de Wynchy habet aliam terram et super illa habet siluam super montem Guchbrun, et ibi sunt due mete, altera sancti Adalberti, altera Gyule, et inde transit fluuium Eurmenes, et uadit ad montem magne fagi et inde ad metam ville Myroslov et inde ad montem Cachon et inde reuertitur ad Sycozov. Nomina autem memoratorum vduornicorum, in eadem terra commorantium, hec sunt: Cuzma, Bessu, Scesun, Scese, Andre, Andreas, Fakas, Jacobus, Hysce, Bundu, Kuke, Ruga, Regus, Warous, Farcas, Abel, Stephan, Elemdu, Zalas, Johannes, Scegne, Lessev, Fele, Farkas, Sune, Torda, Bud, Such, Povka, Ereu, Fele, Reuka, Bech, Teth, Cuzma, Ytheu. Vnde quia non minus collatorum conseruacio, quam conferendorum pro cuiusque meritis premiorum ratio ad sollicitudinem pertinet regie maiestatis; in huius nostre donacionis testimonium, et perpetuam firmitatem, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum per manus Cleti, aule Regie Cancellarij et prepositi Agriensis ecclesie. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XIX<sup>o</sup>; eodem venerabili Johanne superius et sepius nominato, Strigoniensi; Reuerendo Vgrino Colocensi archiepiscopis existentibus; Desyderio Chendiensi, Willelmo ultrasilvano; Roberto Wesprimiensi, Jacobo Wachiensi, Stephano Zagrabiensi; Thoma Agriensi; Bartholomeo Quinqueecclesiensi; Cosma Yauriensi; Alexandro Waradiensi episcopis, ecclesias feliciter gubernantibus. Nicholao palatino et comite Supruniensi; Julia bano et comite Zonugiensi; Ochuz curiali comite Regine et comite Budrugiensi; Dyonisio magistro thauarnicorum et comite noui castri; Julia fratre Ratold Curiali comite Regis et comite Kewensi existentibus. Benedicto filio Samud Nytriensi; Johanne Albeni, Batiz Musuniensi; Smaragdo Posoniensi et ceteris comitatus tenentibus. Regni nostri anno sextodecimo.

Et transumpto Ladislai IV. vide ad a. 1276. 9. Aug. — Edidit nimis erronee Fejér l. c. III. I. 269. — V. Cod. Strig. II. 19., Wenzel VI. 399.



## 231.

1220. 25. Aug. — Honorius PP. III. Archiepiscopum Strigon. quod Episcopum Quinqueecclesiensem, defectu aetatis et scientiae laborantem, confirmaverit, a beneficio suspendit.

— — Strigon. Archiepiscopum, qui ad confirmationem et consecrationem tuam contra generalis concilii statuta processit, eiusdem concilii animadversione punimus, ut videlicet non solum confirmandi primum successorem tuum careat potestate, verum etiam a perceptione proprii beneficii sit suspensus, donec, si equum fuerit, indulgentiam mereatur, ipsius beneficii fructibus interim ad aliquam evidentem utilitatem Strigon. ecclesie — — convertendis. — — Datum apud Urbem veterem 8. kal. Sept., Pont. a. 5.

Koller Hist. Episc. Quinqueecl. II. 49, Fejér Cod. dipl. III. I. 295., Theiner Mon. Hung. I. 24. — Eodem die hoc in negotio mandat Vesprimiensi et Agriensi Episcopis, „quatenus hec Strigoniensi et quinqueecclesiensi ecclesiis publicantes, quatenus ad ipsum Archiepiscopum pertinet, faciant per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, firmiter obsevari.“ Theiner ib.

## 232.

1220. 5. Dec. — Honorius PP. III. ad quaerelam Constantiae, Emerici regis viduae, Romanorum Imperatricis „quod cum olim quasi capta in Hungaria remansisset — — (Andreas) Hungariae rex illustris pecuniam et res alias pretiosas usque ad valentiam triginta milium marcarum, quas in domo Hospitalis Ierosolimitani apud Strigonium deposuerat, nec Deo, nec loco deferens per violentiam occupavit,“ Regem per episcopum Vesprim. ad restituenda ablata stringit. — — Datum Laterani Non. Dec., Pont. a. 5.

-Schier Reginae Hung. 177., Katona Hist. Crit. V. 342., Fejér Cod. dipl. III. I. 296., Theiner Mon. Hung. I. 25.

## 233.

1220. 18. Dec. — Honorius PP. III. ad preces Roberti Episcopi Vesprimiensis Nrum. 213. confirmat. — Datum Laterani 15. kal. Jan., Pont. a. 5.

Katona Hist. Crit. V. 346., Fejér Cod. dipl. III. I. 299., et iterum VII. V. 355. Theiner Mon. Hung. I. 26.

## 234.

1220. — Andreas II. Rex Joannem Archiepiscopum Strigon. terram suam Surany in Comitatu Nitriensi Ernei Bano pro terra ipsius Narhid cambiasse testatur.

Fejér Cod. dipl. III. I. 302.

## 235.

1220. — Guncellus rector hospitalis s. Regis Stephani ord. Crucif. Archiepiscopus Spalatensis eligitur.

Erat autem quidam Clericus Vngarus, Guncellus nomine, filius Cornelii, nobilis quidem genere, sed non magni valoris. Ipse hic, cum esset iam provectae aetatis, nullam potuit in Vngaria dignitatem habere, sed assumpto Cruciflorum habitu, factus erat Rector cuiusdam Ecclesiae sancti Stephani Regis. Cum ergo Spalatensis Ecclesia multo iam tempore pastore vacaret, iste Guncellus coepit se sollicite intromittere, ut in Pontificem eligeretur. Factum est autem, ut quidam Yula Banus, qui erat de eius genere, mitteret ad Clerum et populum Spalatensem epistolam, satis loquacem, commendando Guncellum. — — — Erat autem tunc temporis Domaldus Comes Civitatis Spalatensis, vir satis circumspectus et providus; hic quia bene Guncellum noverat, veritatem asserebat de ipso, quia pro suorum levitate morum habilis non erat tanto sacerdotio fungi, alii etiam multi tale de ipso testimonium dabant; sed Petrus Diaconus suorum procacitate verborum omnes revincebat, — — — donec electio qualiscumque sollemnizata est et peracta. — — — Suscepta ergo electione Guncellus valde laetus effectus est et mox ad Summum Pontificem pro confirmatione suae electionis nuncium destinavit; ipse vero iter arripuit Spalatam veniendi. Cum autem esset inops scientiae, ambitionis vero stimulus eum acriter perurgeret, adhuc in itinere positus, apud Vranam Templariorum in vigilia Pentecostes se fecit in Diaconum ordinari — —. Cum autem civitatem intrasset, satis officiose ab omnibus susceptus est, et cum aliquantam ibi moram fecisset, tanta in eo levitas verborum et morum apparuit, ut omnibus in taedium veniret, seraque poenitentia ducti, qualiter ab ipso evadere possent, cogitabant. — — Sed Guncellus Papali confirmatione suscepta, obtinuit nihilominus in partibus Vngariae consecrari, siquidem Dominus Honorius summus Pontifex — — Roberto Vesprimiensi Episcopo praecepit, ut — — munus ei consecrationis impenderet. <sup>1)</sup> Robertus vero — — quam-

1) Bulla haec data est 4. kal. Aug. (28. Jul.) a. 1220. Vide Fejér Cod. dipl. III. I. 292.

vis esset vir discretus et religiosus, non tamen de rerum circumstantiis, quae in huiusmodi processibus inquirendae sunt, curiosus extitit indagator, unde consecrationem ei facile tribuens, praecepit sibi, ut pro petendo pallio Apostolico se conspectui praesentaret. Venit ergo Guncellus ad suam Ecclesiam consecratus, nimiumque ad exercenda Pontificalia festivus et promptus, ne dum obtento pallio Ecclesias consecrabat, celebrabat Ordines et se ubique Archiepiscopum nominabat. — — — Arguebat autem eum frequenter (Aconcius apocrisiarius palis) sed ipse sicut onager assuetus in heremo, et ipsum Aconcium et eius monita contemnebat. (Suspensus idcirco a Legato hoc, Romamque veniens) multa supplicatione pulsabat, ut de suis excessibus misericordia ageretur. Tanta ergo fuit precum instantia, tam importunus labor, ut revocaretur prior sententia (depositionis nempe) et conscriberetur altera mitior, videlicet: ut biennio maneret suspensus, postea de misericordia sedis Apostolicae fieret in omnibus restitutus; quod et factum est.

Thomas Archidiaconus. Spalat ap. Schwandtner Script. Rer. Hung. III. 575. — Guncellus hic procul dubio in Conventu Cruciferorum Strigoniensi rectoris munus obibat.

---

### 236.

Ca. 1220. — Nicolaus Palatinus et Comes Supruniensis „cartulam,“ quam edidit super causa Abbatis s. Mart. de Pannonia contra incolas „de uilla Wicha pro combustionem capelle s. Jacobi et aliis dampnis sibi illatis“, fecit „diuidi per alphabetum et utramque partem sigilli sui munimine roborari, et unam partem dedit Abbati conseruandam, alteram autem iussit reponi in camera cruciferorum s. Regis Strigonii commorantium.“

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 167.

---

### 237.

1221. 2. Jan. — Honorius PP. III. causam inter Abbatem et Conuentum s. Mart. de Pannonia, ac Episcopum et Capitulum Zagrab. „super decimis quarundam possessionum et aliarum rerum in Comitatu Strigoniensi existentium“ diu ventilatam, „sublato appellationis obstaculo“ per Strigon. Praepositum ac socios terminandam, aut partibus eatenus non consentientibus sibi submittendam decernit. — Datum Laterani III. Non. Jan., Pont. a. 5.

Wenzel l. c. I. 175.

---



## 238.

1221. 11. Mart. — Honorius PP. III. causam inter Conuentum de Grón et Archiepiscopum Strigon. terminari aut sibi submitti mandat.

Honorius episcopus seruus seruorum dej, Dilectis filijs.. Preposito Geuriensi,.. Archidiacono Vesprimiensi et.. Custodi Albensi, Vesprimiensis diocesis, Salutem et apostolicam benedictionem. Dilectj filij.. Abbas et Conuentus sancti benedicti de Grana transmissa nobis petitione monstrarunt, quod venerabilis frater noster.. Strigoniensis Archiepiscopus tam per se, quam per officiales suos super quibusdam predijs animalibus et rebus alijs, ad eorum Monasterium de iure spectantibus, dampna eis grauia, et iniurias multiplices irrogauit, nec umquam ab eo potuerunt exinde satisfactionem aliquam obtinere, licet id pluries humiliter postularint. Cumque dilecto filio magistro Accontio Subdiacono et Capellano nostro, de mandato nostro in illis partibus existente, in eum, tamquam in arbitrum fuisset ab utraque parte super premissis concorditer compromissum, quia interim eodem Archiepiscopo ad curiam Carissimi in xpo. filij nostrj.. Illustris Regis Vngarie accedente, predictus abbas pro dilecto filio nobili uiro.. Duce Polonie in Poloniam de ipsius Regis mandato perrexit, nondum de prefato Archiepiscopo super hijs potuerunt iusticiam obtinere, propter quod memoratus abbas ad sedem apostolicam personaliter uenire coactus, nobis humiliter supplicauit, ut cum propter eiusdem Archiepiscopi potenciam in partibus Vngarie de ipso iustitiam habere non possit, eis super hoc prouidere misericorditer dignemur. Quia uero nobis non constitit de premissis, discrecionj uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus conuocatis, audiatis causam et si de parcijs processerit uoluntate, appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod statueritis, auctoritate nostra firmiter obseruari. Alioquin ipsam ad nos remittatis sufficienter instructam, prefigentes partibus terminum competentem, quo per se uel responsales idoneos nostro se conspectuj representent, iustam auctore deo sententiam recepture. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, uel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis ueritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hijs exequendis potueritis interesse, duo uestrum ea nichilominus exequantur. Datum laterani V. Idus Marcij, Pontificatus nostri Anno Quinto.

Tardior manus adiecit: Iste papa fuit 1214. — Bulla e filis cannabeis pendet. Orig. in Arch. Aerarii Reg. Hung. Acta Eccl. fasc. 25. Nro. 46. — Extr. Fejér Cod. dipl. III. I. 306., integre VII. V. 226.

## 239.

1221. 19. Apr. — Honorius PP. III. poenam ob confirmatum Episcopum Quinqueecclesiensem Archiepiscopo Strigon. remittit; non item ob consecrationem Episcopi Jauriensis contractam, ipsumque contra piratas animat.

Honorius — — Strigon. Archiepiscopo — —. Culpam tuam non modicum aggravat, quod prudentia et etate maturus, non videris ex ignorantia deliquisse. Volentes — — rigorem mansuetudine temperare, penam, quam incurristi ex facto — — Quinqueecclesiensis Episcopi, — — tibi omnino duximus remittendam. Eam vero, quam ex facto Episcopi Geuriensis incurrisse nosceris, commutantes, te confirmandi et consecrandi primum successorem ipsius potestate privamus, — — in aliis — — ad spiritualia et temporalia plenarie restitutus. — — Volumus, et tibi in dictae pene recompensationem iniungimus, ut ad coercendam predictorum (Sclavorum) malitiam piratarum, ipsum Regem — — inducas, — — contra illos, si videris opus esse, in persona propria profecturus, dummodo id facere valeas absque gravi Strigon. ecclesie detrimento. Datum Laterani XIII. Kal. Maii., P. a. 5.

Fejér Cod. dipl. III. I. 309., Theiner Mon. Hung. I. 28. — In causa Episcopi Quinqueecclesiensis absolutus ideo fuit Archiepiscopus, quia Papa, ut in litteris suis, hoc anno 29. Jan. exaratis, ipse testatur, comperit, Episcopum Quinqueecccl. tempore electionis suae sufficientis aetatis fuisse (Theiner ib. 27.) adeoque poena, ex hoc capite Archiepiscopo iniuncta (Vide Nrum. 231.) suapte cessare debuit.

## 240.

1221. 20. Apr. — Honorius PP. III. ad querelam Andreae Regis „quod Abbatia de Wisagrade Vesprimiensis diocesis, in qua ius obtinet patronatus, grecos habet monachos et habuit ab antiquo, in quorum manibus abbatia ipsa adeo — — est collapsa, quod nisi persone instituantur ibidem, vicinis ecclesiis lingua et vita conformes, vix aut nunquam adiciet ut resurgat;“ iniungit Archiepiscopo Strigon. et Abbati de Pelis, ut ibidem latinos monachos instituant. — Dat. Laterani XII. kal. Maii., P. a. 5.

Katona Hist. Crit. V. 348., Fejér Cod. dipl. III. I. 310., Theiner Mon. Hung. I. 29.

## 241.

1221. 20. Apr. — Honorius PP. III. decimam monetae contra Episcopum Csanadiensem Archiepiscopo Strigon. confirmat.

Honorius — — Illustri Regi Ungarie — —. Strigon. Archiepiscopus nobis insinuare curavit, quod cum decima monete, quae cuditur in Cenadiensi diocesi

pertineat ad eundem; — — Cenadiensis episcopus pro ea sibi solvenda nostras ad te litteras impetravit, tacito, quod decima eadem ad Strigon. ecclesiam pertineret. Ideoque — — declaramus, quod nostre intentionis non fuit, per huiusmodi litteras iuri, si quid habet, Strigon. ecclesie derogare. Datum Laterani XII. kal. Maii., P. a. 5.

Fejér Cod. dipl. III. I. 347., Theiner Mon. Hung. I. 29., Wenzel l. c. I. 178.

## 242.

1221. 20. Apr. — Honorius PP. III. Archiepiscopo Strigon., ut delinquentes in solutione vicesimae absolvat.

Honorius — — Archiepiscopo Strigon. — —. Tua nobis fraternitas supplicavit, ut cum quidam prelati et clerici tue diocesis ob fraudem commissam circa vicesimam, laqueum excommunicationis incurrerint, et quidam eorum celebraverint sic ligati, — — providere — — dignaremur. Ideoque — — mandamus, quatenus receptis ab eis hiis, que de ipsa vicesima defrauderunt, eis — — beneficium absolutionis impendas, — — ea, que ab ipsis recipies, servaturus succursui terre sancte. — Datum Laterani XII. Kal. Maii., P. a. 5.

Theiner Mon. Hung. I. 28., Extr. Fejér Cod. dipl. III. I. 352., Wenzel l. c. I. 178.

## 243.

1221. 20. Apr. — Honorius Ecclesiam e munitione Castri Posoniensis in oppidum transferri indulget.

Honorius — — Archiepiscopo et — — Preposito Strigoniensi. — — Posoniensis Prepositus proposuit coram nobis, quod cum Posoniensis ecclesia in munitione castri Posoniensis sit sita, frequenter contingit, ut eisdem canonicis castrum ipsum statutis horis intrare nequaquam valentibus, ecclesia ipsa debitis obsequiis defraudetur; quare — — supplicavit, ut in Burgum eiusdem castri eam liceret — — transferri. Quocirca — — mandamus, quatenus — — si expedire videritis, — — transferendi ecclesiam in Burgum predictum auctoritate nostra licentiam tribuatis. Datum Laterani XII. Kal. Maii., P. a. 5.

Fejér Cod. dipl. III. I. 312., Theiner Mon. Hung. I. 29.



## 244.

1221. 23. Apr. — Honorius PP. III. ad querelam Praepositi Posoniensis „universis ecclesiarum prelatis Strigon. et Vesprimiensis diocesum“ inhibet, „ne parochianos ipsius interdictos vel excommunicatos recipere ad divina“ presumant. — Datum Laterani IX. kal. Maii., P. a. 5.

Theiner Mon. Hung. I. 29., Extr. Fejér Cod. dipl. III. I. 352., Wenzel l. c. I. 179.

## 245.

1221. 23. Apr. — Honorius PP. III. Archiepiscopum Strigon. plene restitutum esse nuntiat.

Honorius — — Capitulo et clero civitatis et diocesis Strigon. — —. Ecclesie Strigoniensis utilitate pensata, — — Strigon. Archiepiscopum ad omnia spiritualia et temporalia plenarie restituimus, eo dumtaxat excepto, quod ipsum confirmandi et consecrandi primum successorem eius, quem ordinavit in Geuriensem episcopum, privavimus potestate. Ideoque — — mandamus, quatenus eidem tamquam Archiepiscopo vestro intendatis humiliter et devote. Datum Laterani IX. kal. Maii., P. a. 5.

Theiner Mon. Hung. I. 30., Fejér Cod. dipl. III. I. 311.

## 246.

1221. 5. Dec. — Honorius PP. III. Strigon. Archiepiscopo et suffraganeis eius. — — Commonefaciatis subditos vestros, ut cum — — a magistro Accontio subdiacono et Capellano nostro, Apostolice sedis legato, — — fuerint requisiti, contra hereticos ipsos (in partibus Bosnie) — — exurgant viriliter et potenter. — Datum Laterani Nonis Dec., P. a. 6.

Theiner Mon. Hung. I. 31., Fejér Cod. dipl. III. I. 351.

## 247.

1221. — Honorius PP. III. Archiepiscopum Strigon. provocat, „quatenus in provincia tua quatuor viros opinionis sincere ac litterature probate, vel tres seu saltem duos, cuiuscumque religionis vel ordinis, Cisterciensis presertim, cui

Dominus benedixit a mari usque ad mare ipsius extendendo palmites, — — usque ad festum b. Martini ad presentiam nostram transmittas, — — ad sollicitudinem diversarum gentium destinandos, ut in eis fungentes legatione pro Christo, reconciliari obsecrent illas Deo. — — Datum Laterani.

Theiner Mon. Hung. I. 27.

## 248.

1221. — Abbas s. Mart. de Pannonia et filii Beus super terra Barsun inter ipsos litigiosa, hoc modo convenerunt „quod prestaldus Archiepiscopi Strigon, qui statum memorate terre et seriem contencionis eorum prenouerat, ad circueundum illam accederet et quidquid de terra illa ordinaret, uel de contencione eorum terminaret, utrique parti ratum fieret et acceptum.“

E litteris Nicolai Palatini. Wenzel. I. c. I. 180.

## 249.

1221. — Nicolaus Palatinus terram quamdam, ab Udvarnicis Strigoniensibus impetitam, Capitulo Strigon. iuxta privilegium Emerici Regis adiudicat.

Nicolaus dei gracia Andreae Hungarorum Regis comes palatinus, omnibus, presentem pagin(am inspec)turis, salutem in domino. Licet ad nostrum pertineret officium odornicorum (sic) Regis terram, quocumque iniusto modo distra(ctam), in statum reformare; de manda(to ta)men domini Regis, nobis ad premissa intendentibus, conqu(eruntur o)dornici Strigonienses, quod Strigon. ecclesie capitulum terram quamdam, cuius situs et quantitas in felicitis memor(ie Regi)s Hemerici priuilegio continetur, contra iusticiam occupasset. Partibus ergo in nostra presencia constitutis et oblato ex parte capituli memorati Regis Hemerici priuilegio, deprehendimus de prudentum uirorum consilio, sepedicti Regis H. donacionem fuisse legitimam, et ob hoc terram prescriptam ad ius Strigon. capituli iusto fuisse titulo deuolutam; <sup>1)</sup> unde et sententia data pro capitulo, sepedictam terram adiudicauimus eidem, perhenni iure possidendam; constituto ad hoc exsequutore (sic) Gathcone, Monetariorum Regis quondam Magistro. Vt ergo huius facti memoria firmitate stabili perduret in eum, in eiusdem rei testimonium presentem paginam confici et sigilli nostri munimine fecimus ro-

1) Vide Nrum. 151.

borari. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C. XXI. Regnante feliciter Hungarie Rege Andrea; Domino Johanne Strigon. et Vgrino Colocensi Archiepiscopis; Roberto Wesprimiensi, Jacobo Waciensi et Bartholomeo Quinqueecclesiensi episcopis. Bancone comite curiali Regis, et Jula curiali comite <sup>1)</sup> Regine; Smaragdo Psoniensi, Johanne Nitriensi et Symone Borsiensi comitibus.

Sig. e rubro serico pendeat. Orig. pulchre scriptum, sed exesum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 47, fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 346.

### 250.

1222. 21. Jan. — Honorius PP. III. „cum videatur satis notorium, — — G. Orode prepositum prepositura et omnibus aliis bonis suis, tam ecclesiasticis, quam mundanis, spoliatum fuisse;“ iniungit Archiepiscopo Strigon. et episcopo Vesprimiensi ac collegis suis, ut sub onere responsionis restitutionem procurent. „Alioquin noveritis, nos dedisse venerabili fratri nostro Episcopo Agriensi (Thomae) et de . . Sirce et de Pelys Abbatibus — — in mandatis, ut si — — negligentes fueritis, — — terminum duorum mensium vobis statuunt, infra quem vos nostro conspectui personaliter presentetis.“ — — Datum Laterani XII. kal. Febr., Pont. a. 6.

Fejér Cod. dipl. III. I. 354., Theiner Mon. Hung. I. 32.

### 251.

1222. ante 7. Maii. — Andreas II. Rex libertates Regni, a s. Stephano concessas, approbat ac bulla aurea confirmat.

In Nomine sancte Trinitatis et indiuidue vnitatis.

§ 1. Andreas dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerieque Rex in perpetuum.

§ 2. Quoniam libertas tam nobilium Regni nostri, quam eciam aliorum, instituta a sancto Stephano Rege, per aliquorum Regum potenciam, ulciscencium aliquando iram propriam, aliquando eciam attendencium consilia falsa iniquorum hominum, uel sectancium propria lucra, fuerat in quam plurimis diminuta, multociens ipsi nobiles nostri serenitatem nostram et predeces-

1) Fejér: et Judiciali comite.



sorum nostrorum, Regum suorum, precibus et instancia multa pulsauerunt super reformatione Regni nostri.

§ 3. Nos igitur eorum petitioni in omnibus satisfacere cupientes, ut tenemur, presertim quia inter nos et eos occasione ac (sic) iam sepius ad amaritudines non modicas est processum, quod ut Regia honorificencia plenius conseruetur, conuenit euitari; hoc enim per nullos alios melius fit, quam per eos. Concedimus tam eis, quam alijs hominibus Regni nostri libertatem a sancto Rege concessam.

§ 4. Ac alia ad statum regni nostri reformandum pertinencia salubriter ordinamus in hunc modum:

Art. I. Vt annuatim in festo sancti Regis, nisi arduo negotio ingruente uel infirmitate fuerimus prohibiti, Albe teneamur solempnizare.

§ 1. Et si nos interesse non poterimus, Palatinus procul dubio ibi erit pro nobis, ut vice nostra causas audiat et omnes seruientes, qui uoluerint, libere illuc conueniant.

Art. II. Volumus eciam, quod nec nos, nec posteri nostri aliquo tempore seruientes capiant, uel destruant, fauore alicuius potentis, nisi primo citati fuerint et ordine iudiciario conuicti.

Art. III. Item nullam collectam, nec liberos denarios colligi faciemus.

§ 1. Super predia seruientium, nec domos, nec villas, descendemus, nisi uocati.

§ 2. Super populos eciam ecclesiarum ipsorum nullam penitus collectam faciemus.

Art. IV. Siquis seruiens sine filio decesserit, quartam partem possessionis filia optineat, de residuo, sicut ipse uoluerit, disponat.

§ 1. Et si morte preuentus disponere non potuerit, propinqui sui, qui eum magis contingunt, obtineant, et si nullam penitus generationem habuerit, Rex optinebit.

Art. V. Comites parochiani predia seruientium non discuciant, nisi causa monetarum et Decimarum.

§ 1. Comites Curie Parochitani (sic) nullum penitus discuciant, nisi populos sui castri.

§ 2. Fures et latrones Biloci Ragales (sic) discuciant, ad pedes tamen ipsius comitis.

Art. VI. Item populi coniurati in unum, fures nominare non possint, sicut consueuerant.

Art. VII. Si autem Rex extra Regnum Exercitum ducere uoluerit, seruientes cum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia ipsius et post reuersionem Iudicium exercitus super eos non recipiet.

§ 1. Si uero ex aduersa parte exercitus uenerit super Regnum, omnes vniuersaliter ire teneantur.

§ 2. Item si extra regnum cum exercitu iuerimus, omnes, qui Comitatus habent, uel pecuniam nostram, nobiscum ire teneantur.

Art. VIII. Palatinus omnes homines Regni nostri indifferenter discuciat.

§ 1. Sed causam nobilium, que ad perdicionem Capitis, uel ad destructionem possessionum pertinent, sine consciencia Regis terminare non possit.

§ 2. Iudices vicarios non habeat, nisi vnum in Curia sua.

Art. IX. Curialis Comes noster, donec in Curia manserit, omnes possit iudicare et causam in Curia incoatam ubique terminare.

§ 1. Sed manens in Predio suo, Pristaldum dare non possit, nec partes facere citari.

Art. X. Si quis Jobagio habens honorem, in exercitu fuerit mortuus, eius filius uel frater congruo honore sit donandus.

§ 1. Et si seruiens eodem modo fuerit mortuus, eius filius, sicut Regi uidebitur, donetur.

Art. XI. Si hospites, uidelicet boni homines, ad Regnum venerint, sine consilio Regni ad dignitates non promoueantur.

Art. XII. Vxores decedencium uel condempnatorum ad mortem per sentenciam, uel in Duello succumbencium, uel ex quacumque alia causa, non fraudentur dote sua.

Art. XIII. Jobagiones ita sequantur Curiam, uel quocumque proficiscantur, ut pauperes per eos non opprimantur, nec spolientur.

Art. XIV. Si quis Comes honorifice se iuxta Comitatus sui qualitatem non habuerit, uel destruxerit populos Castri sui, conuictus super hoc, coram omnino regno dignitate sua turpiter spoliatur cum restitutione ablatorum.

Art. XV. Agazones, Caniferi et falconarij non presumant descendere in villis seruientum.

Art. XVI. Integros Comitatus, uel dignitates quascumque in Predia seu possessiones non conferemus perpetuo.

Art. XVII. Possessionibus eciam, quas quis iusto seruicio obtinuerit, aliquo tempore non priuetur.

Art. XVIII. Item seruientes, accepta licencia a nobis, possint libere ire ad filium nostrum, seu a maiori ad minorem, nec ideo possessiones eorum destruantur.

§ 1. Aliquem iusto Iudicio filij nostri condempnatum, uel causa incoata coram ipso, priusquam terminetur coram eodem, non recipiemus, nec e conuerso filius noster.

Art. XIX. Jobagiones Castrorum teneantur secundum libertatem a sancto Rege institutam.

§ 1. Similiter et hospites cuiuscumque nacionis secundum libertatem, ab inicio eis concessam, teneantur.

Art. XX. Decime argento non redimantur, sed sicut terra protulerit vinum uel Segetes persoluantur.

§ 1. Et si Episcopi contradixerint, non iuuabimus ipsos.

Art. XXI. Episcopi super Predia seruientum equis nostris decimas non dent, nec a predia Regalia populi eorundem Decimas suas apportare teneantur.

Art. XXII. Porci nostri in Siluis, uel Pratis seruientium non pascantur contra uoluntatem eorum.

Art. XXIII. Noua moneta nostra per annum obseruetur, a Pasca usque ad Pasca.

§ 1. Et denarij tales, sicut quales fuerunt tempore Regis Bele.

Art. XXIV. Comites Camere, Monetarij, Salinarij, et Tributarij, nobiles Regni,

§ 1. Hysmahelite et Judei fieri non possint.

Art. XXV. Sales in medio Regni non teneantur, nisi tantum in Zoloch et in Scegved et in Confinijs.

Art. XXVI. Possessiones extra Regnum non conferantur.

§ 1. Si alique collate, uel uendite, populo Regni ad redimendum redantur.

Art. XXVII. Marturine iuxta consuetudinem, a Colomanno Rege constitutam, soluantur.

Art. XXVIII. Si quis ordine Judiciario fuerit condemnatus, nullus potentum eum possit defendere.

Art. XXIX. Comites Jure sui Comitatus tantum fruantur, cetera ad regem pertinencia, scilicet Cybriones, Tributa, Boues et duas partes Castrorum, Rex obtineat.

Art. XXX. Item preter hos quatuor Jobagiones, scilicet Palatinum, Banum et Curiales Comites Regis et Regine, duas dignitates nullus teneat.

Art. XXXI. Et ut hec nostra tam concessio, quam ordinacio sit nostris, nostrorumque successorum temporibus in perpetuum valitura, eam conscribi fecimus in septem paria litterarum et aureo sigillo nostro roborari. Ita quod vnum par mittatur domino pape et ipse in Registro suo scribi faciat. Secundum penes Hospitale. Tertium penes templum. Quartum apud Regum. Quintum in Capitulo Strigoniensi. Sextum in Colocensi. Septimum apud Palatinum, qui pro tempore fuerit, reseruentur.

§ 1. Ita, quod ipsam scripturam pre oculis semper habens, nec ipse deuiet in aliquo in predictis, nec Regem, uel nobiles seu alios consenciat deuiare vt et ipsi sua gaudeant libertate, ac propter hoc nobis et successoribus semper existant fideles, et Corone Regie obsequia debita non negentur.



§ 2. Statuimus eciam, quod si nos, uel aliquis successorum nostrorum aliquo unquam tempore huic dispositioni contraire uoluerit, liberam habeant harum auctoritate, sine nota alicuius infidelitatis, tam Episcopi, quam alij Jobagiones ac Nobiles Regni nostri, vniuersi et singuli, presentes et posterī, resistendi et contradicendi nobis et nostris successoribus in perpetuum facultatem.

§ 3. Datum per manus Clety, Aule nostre Cancellarij, Agriensis ecclesie Prepositi. Anno verbi incarnati M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C<sup>o</sup>. X<sup>o</sup>X. II. Venerabili Johanne Strigon.; Reuerendo Vgrino Colocensi Archiepiscopi existentibus. Desiderio chanadiensi; Roberto Wesprimiensi; Thoma Agriensi; Sthephano Zagrabiensi; Alexandro Waradiensi; Bartholomeo Quinqueecclesiensi; Cosma Jauriensi; Benedicto Wac(iensi Episcopi) existentibus. Regni nostri anno XVII.

E corrigiis tria sigilla pendent, quartum decidit, primum est Joannis Episcopi Nitriensis, secundum, quod periit, Archiepiscopi fuit Strigon, tertium est fratris Ladislai Archiepiscopi Colocensis, quarti autem perigraphie detritum est. Ex his sigillis patet, diploma hoc nequaquam Originale, sed transuntum authenticum esse, ac circ. a. 1318. exaratum fuisse, ut uberius alibi edocui. (Knauz N. Aranybulla. Történ. Tár. X. 211.) Orig. in Arch. Primat. sec. Lad. V. Nr. 1. Edidit Fejér Cod. dipl. III. I. 374. — Editum fuisse diploma hoc ante 7. Maii, annus 17. regiminis Andreae regis ostendit. (Vide Knauz II. Endre szabadságleveli Pest 1869. 34.) — Divisionem textus, prout in Corp. Juris Hung. occurrit, retinuimus.

## 252.

1222. 15. Dec. — Honorius PP. III. inquisitionem contra M., qui „Archidiaconatum (Vaciansem) per symoniacam obtinuit pravitatem, et spurium suum in eadem ecclesia canonicare presumpsit,“ per Episcopum et Archidiaconum Nitriensem et Prepositum s. Thomae Strigoniensis peragendam mandat. — Datum Laterani XVIII. kal. Jan., P. a. 7.

Fejér Cod. dipl. III. I. 389., Theiner Mon. Hung. I. 35.

## 253.

1222. — Andreas II. Rex terram Szebeléb partim dono acceptam, partim emptam, Capitulo Strigon. confirmat, ac incolas a telonio per totum Comitatum Hontensem immunes reddit.

IN NOMINE SANCTE TRINITATIS ET INDIUIDUE UNITATIS.  
ANDREAS dei gracia Hung., Dalm., Chroatie, Rame, Seruie, Galitie, Lado-  
merieque rex, in perpetuum. Cum insopita malorum pernicies ad demolliendum

ueritatis constantiam semper inuigilet, prouida regum adinuenit discretio, ut suis gesta temporibus negocia, perpetue traducenda memorie, ne processu temporis a sui tenoris constantia possit recedere, litterarum testimonio commendentur, auctoritatis regie cyrographo (sic) confirmata. Hinc est, quod terram quandam, nomine zbehleb, cuius partem fratres strigoniensis ecclesie iusto iuris titulo ab antiquo possidebant, partem vero, quam a castris Blondich et Hunt exceptam, ex donacione fratris nostri, bone memorie, regis Heymerici (sic) Ludugeri comes, in recompensationem suorum seruitiorum ei collatam, possederat, eo defuncto, a filio eiusdem Ludegerii Herruino, et Herruini socero Detrico, ex beneplacito ipsorum uendere uolentibus, ne aliquis alienus interueniens posset eos disturbare, memorati fratres, nobis scientibus et assensum prebentibus, nonaginta Marcis compararunt. Cuius terre prima meta incipit, vbi Lvzna pothok cadit in flumen lubus; Inde tendit ad ortum fluminis, quod wlgō dicitur Meges pothok, et inde Lagkv; Deinde iuxta montem Plesca transeundo, venit ad Lubus pothok, et sic per flumen redit ad priorem metam. Nolumus etiam silentio preterire, quod ad preces memoratorum sepius fratrum, hominibus, super dictam terram commorantibus, talem concessimus libertatem, vt nusquam per totum comitatum Hunt, scilicet nec in foris, nec in pontibus, nec in aliis locis tributum soluere teneantur. Vt autem et hec a nobis facta concessio, et memorate rei series, nostro mediante consensu gesta legitime, nec nostris, nec nostrorum successorum temporibus ualeat retractari; ad petitiones utriusque partis supranominate, ementis scilicet et uendentis, presenti eas pagina in noticiam deduci posteriorum et sigilli nostri munimine in perpetuum iussimus roborari. Datum per manus Clety aule regie cancellarii et agriensis prepositi. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XX<sup>o</sup>.II<sup>o</sup>. Venerabili Johanne strigoniensi; Reuerendo Vgrino colonicensi archiepiscopis existentibus. Desiderio cenadiensi; Roberto vesprimiensi; Thoma agriensi; Stephano Zagrabiensi; Bartholomeo Quinqueecclesiensi; Cosma geuriensi; alexandro Waradiensi; Briccio Waciensi ecclesias feliciter gubernantibus. Nicolao palatino et comite supruniensi; Ochuz bano; Paulo Woiawoda; Dionisio magistro tawarnicorum et comite Bachiensis; Bancone curiali comite regis et comite Budrugiensis; Demetrio senescalco et comite Woswariensi existentibus. Regni nostri anno XIX<sup>o</sup>.

A tergo: „Priuilegium fratrum Strigon. ecclesie de Sebehleb.“ Tum: „Super terra Zebheleb.“ — Sig. cum zona avulsum. Orig. magnis litteris aterrimo atramento nitidissime exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 15. fasc. 2. Nro. 3. — Ed. Cod. Strig. II. 23., Wenzel l. c. VI. 408. — Simili caractere fuerit exarata Magna Charta Hungarorum, Nro. 251. exhibita.

## 254.

1222. — Detricus Comes de Zólyom et Herduinus terram Szebeléb Capitulo Strigon. vendunt centum marcis Argenti, e quibus viginti marcas pro sacris in anniversario relinquunt, coram Conventu Cruciferorum Strigon.

A                      B                      C                      D

Detricus comes de Zvolon, et Herduinus filius Reduguerij, omnibus, ad quos littere presentes peruenerint, significamus, quod nos totam terram de Zebelieb, que ad predictum Reduguerum pertinebat, Capitulo Strigoniensi sub testimonio litterarum Andreae illustris Regis Hungarie uendimus perpetuo possidendam, pro summa centum marcarum argentj, de quibus decem Marcas eidem Strigoniensi ecclesie indulsimus pro remedio anime eiusdem Reduguerij, et decem marcas pro remedio anime nostre; ita ut tam in ipsius anniversario, quam nostro, singulis annis in eadem ecclesia fieret memoria in oracionibus. Reliquum uero pecunie predictae, scilicet LXXX Marcas argentj, confitemur nos a prefato Capitulo ante festum omnium sanctorum totaliter et plenissime recepisse. Vt ergo nemo in posterum per aliquam calumpnie speciem contra prefatum Capitulum super hoc ualeat insurgere; confessionem nostram, coram fratribus sancti Stephani regis de Strigonio publicatam et presentibus litteris inscriptam, eorundem testimonio et sigillo exigimus roborari. Factum anno verbi incarnatj M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XX<sup>o</sup>. secundo.

A tergo: „Super terra Ludgueri (sic) in Scibiehlb.“ — Fragm. sigilli e rubro serico pendet. Orig. nitide exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 15. fasc. 2. Nro. 2. — Extr. Fejér l. c. III. I. 393. — Ed. Cod. Strig. II. 25; Wenzel l. c. VI. 414.

## 255.

1223. 31. Jan. — Honorius PP. III. Gregorium filium Calad pro damnis Ecclesiae Orodienſi irrogatis, excommunicatum, ad conventionem seruandam, inspecie ut in casum mortis ipsius haeredes eius Abbati Orodienſi centum marcas puri argenti „in domo hospitalis sancti Regis Strigonii“ persoluant, per Archiepiscopum Strigon., et episcopum Vesprimiensem admoneri iubet. — Datum Laterani II. kal. Febr., P. a. 7.

Fejér Cod. dipl. III. I. 405., Theiner Mon. Hung. I. 37.



## 256.

1223. 11. Apr. — Honorius PP. III. Praepositum Aradiensem ad instantiam Regis, ad eundem Regem, satisfactionem „de dampnis, que N(icolaus) et O(thes) Comites per se ac quosdam paganos, dicto rege mandante, irrogarunt“, recepturum remittit, provocans Archiepiscopum Strigon., et episcopum Vesprimiensem, ut Regem „ad id diligenter monere et efficaciter inducere“ studeant. Datum Later. III. Id. Apr., P. a. 7.

Eodem die ad regem quoque hoc in negotio litteras dedit.

Fejér Cod. dipl. III. I. 411. 412., Theiner Mon. Hung. I. 39. 40. — Qui hic occurrunt pagani, in litteris Nri. 255. appellantur Ismaelitae alias Saraceni. Copiosos hos in Hungaria fuisse, ac revera paganos, idem Honorius his ad Reginam a. 1221. datis litteris attestatur: „Quum multitudo Saracenorum Hungariae ad te pertinere dicatur, serenitatem tuam rogandam duximus — —, quatenus non impedias, — — quominus Christiani tam servi, quam liberi, de manibus Saracenorum abstrahantur; quum — — ex cohabitatione ipsorum multi in gentilitatis errorem, vt dicitur, elabantur.“ Vide Fejér ib. 312., cui Saraceni hi „cum Andrea II. e terra sacra subintrasse videntur.“ Ib. 407.

## 257.

1223. 7. Oct. — Honorius PP. III. Archiepiscopo Strigon. indulget, ut praebendas Ecclesiae suae Capellis annectendis augmentare valeat.

Honorius — — Archiepiscopo Strigon. — —. Ex parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum — — prebende Strigon. ecclesie tenues sint equaliter et exiles, de nostra tibi permissione liceret Canonicis Strigon. ad provisionem eorum augendam conferre capellas. — — Quia tamen per hoc statutis derogaretur generalis concilii, que volumus inconcusse servari, te in hac parte nequivimus exaudire. Porro — — concedimus, ut, si evidens necessitas vel utilitas exigat, ecclesie memorate prebendas de Capellis in perpetuum annectendis eisdem valeas — — augmentare. — — Dat. Anagninae Nonis Oct., P. a. 8.

Fejér Cod. dipl. III. I. 419., Theiner Mon. Hung. I. 42.

## 258.

1223. circ. Nov. — Joannes Archiepiscopus Strigon. finem vitae sortitur.

Annus emortualis e diplomatibus regiis apparet, cum enim in diplomatum a. 1222. subscriptionibus Joannes adhuc compareat, in diplomatibus a.

1223. sedes Strigon. iam vacare dicitur (Fejér III. I. 395. 401. 403. VII. I. 214. Wenzel l.c. VI. 419. 425.). Quia tamen in diplomatibus his datum diei non exponitur, diem obitus sui nonnisi approximative ex apposis regiminis annis determinare valemus. Omnia diplomata haec, unicum si excipias, quod errore calami a. 22. exhibet, (Fejér III. I. 404.) vigesimo regiminis Andrae II. regis anno signata sunt; iam autem combinatione per nos facta, cum certitudine eruimus, Andream hunc in diplomatibus suis a. 1223—1235. editis annos regiminis sui vel a morte Emerici Regis, seu a. 30. Nov. a. 1204., vel a coronatione Ladislai III. seu a 26. Aug. 1204. computare. Adeoque diplomata superius citata vel post 26. Aug., vel post 30. Nov. a. 1223. edita sunt, sicque etiam Joannes noster hoc circ. tempore diem suum ultimum obire debuit. Et revera non ante exitum huius anni vita functum, litterae Papales 31. Jan., 11. Apr. et 7. Oct. ad illum directae (Vide Nros. 255. 256. et 257.) clare ostendunt. Mense circ. Nov. obiisse illum, inde concludimus; quia diplomata regia sedem Strigon., ut vidimus, hoc circ. tempore vacare dicunt, litterae autem papales 12. et 13. Dec. editae (vide Nrum. 259. et Fejér III. I. 421.) illum adhuc in vivis existentem supponunt; non ergo diebus his adhuc fama obitus sui Romam pertigerit; adeoque non longe ante fatis cesserit. — Diploma quod Fejérius (III. I. 323. et VII. V. 224.) ad a. 1221. producit, in quo sedes Strigon. pariter vacare dicitur, in dato manifeste depravatum est, quod vel annus regiminis sic confuse: „regni nostri decimo et octavo nono,“ appositus, abunde ostendit.

---

### 259.

1223. 13. Dec. — Honorius PP. III. Archiepiscopo Strigon. ut sententias per Episcopum Transilvanum in incolas terrae Borzae equitum Teutonorum indebite latas, si Episcopus ipse eas non revocaverit, „tanquam a non suo iudice promulgatas, denunciaret esse nullas.“ Datum Laterani Id. Dec., P. a. 8.

Fejér Cod. dipl. III. I. 420—22., Theiner Mon. Hung. I. 43. — Die praecedenti hoc in merito Episcopo Transilv. scripsit. Ib.

---

### 260.

1223. — Conventus Cruciferorum Strigon. terram suam in Hetény vendit Hogel Archidiacono Comaromiensi.

Johannes Magister et totum Capitulum Hospitalis Sancti stephani Regis

Hvngarie, ad quos littere presentes pervenerint, oraciones in domino. Cum sola negocia, stili officio assignata, subsistant, nec a ruminatione mortalium possint evanescere; ratio persuadet, vt quod in presenti geritur, viuacium scripturarum testimonio confirmetur. Vniuersitatem igitur tam presencium, quam succedencium nosse volumus, quod terram nostram, quam in villa Heten ad dvo aratra cum pratis et fenetis habuimus, Hogel Archidiacono de Kamaron, pro tribus Marcis argenti, quia instabat nobis causa mittendi pecuniam vltra mare, vendidimus cum consensu omnium convillanorum eius, pro quibus consentaneis isti fuerunt procuratores: Mathias et Andreas sacerdotes, Zeha et Pentek clericus, de quorum progenitoris donatione in ius Domus nostre cesserat; ita, quod dictus Archidiaconus cuicumque uellet, hereditario iure conferret et si eius heres penitus sopiretur, predicti villani si terram sepedictam vellent redimere, Ecclesie Sancti Adalberti tres Marcas argentij persoluant. Alioquin ipsam terram dicta ecclesia iure perpetuo possideat. Quod vt ratum ac stabile perseueret, nec processu temporum super hoc possit exoriri calumpnia, presencium auctoritate et nostri sigilli munimine fecimus corroborari. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXIII<sup>o</sup>. Datum per Manus Floriani scolastici dicte DoMVS.

A                      B                      C                      D

Fragm. sigilli e rubra et flava sericea zona pendet. Orig. pulcherrime exaratum in Arch. Prim. Sec. Lad. C. fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 428.

## 261.

1223. — Homines de villa Dorog pro terra quinque aratrorum, metis separanda Capitulo Strigon. terram campestem ad totidem aratra et de terra arabili viginti quinque iugera, absque metis, cedunt coram Conventu Cruciferorum Strigon.

A                      B                      C                      D

Cum omnia sint transitoria et caduca, ratio exigit, ut facta presencium perveniant ad aures sequencium per scripta. Ego ergo Johannes, Magister hospitalis domus sancti Stephani regis Hungarie, ceterique fratres eiusdem domus, videlicet Visuntinus custos, Hemericus decanus, Thomas et ceteri fratres eiusdem domus, tam clericj, quam laicj, significamus omnibus, presentes litteras inspecturis, quod constitutus in presenciam nostra Chepanus, filius Mochov, de villa Kuroi, qui se pristaldum Jule comitis Palatinj esse asserebat, proposuit, quod Canonicj strigonienses homines de villa Buruth, ipso mediante, ad presenciam Palatinj conuocantes, contra ipsos proposuerunt, quod in eadem villa terram haberent ad Quinque aratra, Quod illi non negantes, ita esse, sicut Canonicj asserebant, publice sunt confessi.



Precepit ergo iudex eidem pristaldo, ut dictam terram, metis distinctam, dictis Canonicis assignaret. Verum post hoc dictj Canonicej et villanj sic inter se composuerunt, ut de terra campestri ad Quinque aratra et preterea de terra culta ad uigintj Quinque iugera, absque metis, sub testimonio litterarum, prefatj canonicj in villa prefata possiderent. De predictis autem Canonicis duo, videlicet Salamon decanus et Paulus succentor, et de villanis sex homines, videlicet Bebus, Vz, Arva, Pouka, Budov et Budurog coram nobis presentes affuerunt, qui ea, que pristaldus in suprascriptum modum nobis proposuit, uera esse sunt professi. Postulauerunt ergo communiter, ut in huius rei testimonium litteras nostras concederemus. Ad quorum petitionem presentem paginam confecimus et sigilli nostri munimine roborauimus. Anno ab incarnatione dominj M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XX. Tercio.

A tergo: „littere Capituli Strigon. pro terra Burd;“ tum a diversis manibus: „Brud“ „Buruth“ et „Dorogh.“ Sig. e corrigia pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 41. fasc. 1. Nro. 1. — Ed. Fejér l. c. III. I. 427.

## XX.

## THOMAS I.

1224.

Primum ut Vicecancellarius, mox dein ut Cancellarius occurrit a. 1209. <sup>1)</sup>, quo munere ad annum usque 1216. fungebatur. Praeterea a. 1211. Vesprimiensis <sup>2)</sup>; a. 1212. Cibiniensis et Vesprimiensis <sup>3)</sup>, ac eodem anno separatim Cibiniensis <sup>4)</sup>, tandem ab a. 1212—1217. Albensis Praepositus erat. <sup>5)</sup> A. 1212. Albensis Praepositus et totius Hungariae Cancellarius, <sup>6)</sup> alias vero aulae regiae Cancellarius, a. autem 1214., errore probabilius calami, Vice Cancellarius <sup>7)</sup> appellatur. A. 1217. ad episcopatum Agriensem promotus fuit, nam in diplomatibus regis huius anni ut Electus <sup>8)</sup> comparet; sed hoc anno etiam confirmatus fuerit, quia in uno diplomate iam episcopus Agriensis nominatur. <sup>9)</sup> — Anno eodem Andreae Regi in Palaestinam proficiscenti comes adhaesit; quod ipse rex his verbis testatum facit: „qui nobiscum in ultramarinis partibus divino tunc temporis vacabant servitio, Petri videlicet Geuriensis Episcopi, et Thomae Agriensis electi —“ <sup>10)</sup>. Eodem circ. anno causam castrensiū de Borsod contra Demetrium Comitem ipsorum, e commissione Regis cum Salamone bano diiudicat. Tum iterum eosdem castrenses in alia causa ad examen ferri candentis Varadinum misit. <sup>11)</sup> 1220. 25. Aug. Honorius III. sententiam, qua Archiepiscopum Strigon. ob episcopum Quinqueecclesiensem consecratum a beneficio suspendit, exsequendam Thomae nostro comittit (Vide Nrum. 231.) A. 1221. 29. Jan. iterum in causa Episcopi Quinqueecclesiensis <sup>12)</sup> provocatur. Anno 1222. 21. Jan. causa Praepositi Aradiensis illi commendatur. <sup>13)</sup> 28. Maii Papa informari per illum de sponsalibus a Bela rege contractis desiderat, <sup>14)</sup> 15. Dec. autem illi iniungit,

---

1) Vide Nrum. 183. et Fejér Cod. dipl. III. I. 89.

2) Fejér ib. 107. 116.

3) Ib. 116. 123. 125.

4) Ib. 120.

5) Ib. 117. 175. 202.

6) Ib. 117. 126.

7) Ib. 151.

8) Ib. 201. 206. 210. 214. 227. 236. 242.

9) Ib. 199.

10) Ib. 236.

11) Regestrum de Varad. ap. Endlicher Mon. Arpad. 703. 736.

12) Theiner Mon. I. 27.

13) Vide Nrum. 250.

14) Theiner l. c. 33.

ut in publicis conventibus regni, quibus ipse Rex personaliter interesse teneatur, auctoritatem huius tueatur.<sup>1)</sup> 1223. 12. Jan. illi mandat, ut terrae Burzae idoneum Archipresbiterum vel decanum praeficiat.<sup>2)</sup> — In sede Agriensi ad finem usque anni 1223. permansit; nam in litteris, quibus Antistites Hungariae de Belae divortio Papam edocent, adhuc Agriensis vocatur;<sup>3)</sup> litterae autem hae, cum nullus in iis Archiepiscopus Strigon. compareat, post mortem Joannis I., adeoque mense circ. Nov., non autem, mense Jul., ut Kato<sup>4)</sup> et Theiner<sup>5)</sup> existimant, scriptae fuerint. Hoc eodem 1223. anno etiam in diplomate regis, vacante iam sede Strigon., adhuc Agriensis nominatur.<sup>6)</sup> Sed initio statim a. 1224. ad Strigon. Metropolim promotus fuerit, nam Papa iam 3. et 22. Febr., 13. Mart. et 2. Apr. litteras suas ad Archiepiscopum Strigon., adeoque Thomam hunc dirigit (Vide Nros. 262. 263. 264. et 265.), 30. autem Apr. iam certissime Archiepiscopatum hunc tenuit; nam Papa in litteris suis hac die datis expresse ait: „Venerabilem fratrem nostrum Strigon. Archiepiscopum, tunc Episcopum Agriensem.“<sup>7)</sup> Hinc una clare apparet, aberasse Schmitthium, quum Thomam hunc a. 1224. qua episcopum Agriensem e vivis excessisse scribit.<sup>8)</sup> In duobus Andreae Regis diplomatibus, a. hoc datis, pariter Archiepiscopus Strigon. nominatur,<sup>9)</sup> quae cum 21. regiminis anno signata sint, post 26. Aug. aut 30. Nov. edita fuerint. Sed Thomas noster hoc eodem anno etiam mortuus fuit, nam in aliis huius anni diplomatibus sedes Strigon. vacare dicitur.<sup>10)</sup> Dies obitus non constat, e nunc citatis tamen diplomatibus concludere licet, mortem eius in alteram anni huius partem incidisse; nullum autem in casum ante 7. Maii obiit, quia in quodam diplomate Andreae Regis hoc anno edito, ac 20. regiminis anno signato, sedes Strigon. pariter vacare dicitur;<sup>11)</sup> iam autem 20. regiminis annus hic tantum a regiminis Andreae initio, seu a 7. Maii 1205. computari potest. Nec e contra ultra mensem Nov. vitam protraxit; quia 4. Dec. Papa inquisitionem contra Praepositum Strigon. Varadiensi et Vaciensi episcopis committit, (Vide Nrum. 267.) certe Archiepiscopo Strigon. tamquam immediato eius superiori commissurus, si de morte eius iam tum sibi non constitisset.

---

1) Ib. 36.

2) Ib. 37.

3) Fejér III. I. 413.

4) Hist. Crit. V. 427.

5) L. c. pag. XIII.

6) Fejér III. I. 395.

7) Ib. 461.

8) Ep. Agr. I. 129.

9) Fejér I. c. 458. 466.

10) Fejér I. c. 445. sub nota., Cod. dipl. Patr. IV. 12. et Wenzel VI. 425.

11) Wenzel I. 197.

---



**262.**

1224. 3. Febr. — Honorius PP. III. Archiepiscopo Strigon., quatenus iniungat „iudicibus quibus sunt ipse cause (Conventus Montis Pannoniae) commisse“, ut in causis ipsis finaliter procedant. — Datum Laterani III. Non. Febr., P. a. 8.

Theiner Mon. Hung. I. 43., Wenzel. l. c. I. 198.

---

**263.**

1224. 22. Febr. — Honorius PP. III. Archiepiscopo Strigon. et Suffraganeis eius. Monitis insistant apud Andream Regem, ut in primogenitum suum Belam „malitiosum se non exhibeat, vel infestum, sed in regno suo, ubi cum uxore ac suis, sicut Regium decet heredem, honeste valeat commorari, redditus ei certos assignet.“ — Datum Laterani VIII. kal. Mart., P. a. 8.

Fejér Cod. dipl. III. I. 433., Theiner Mon. Hung. I. 44.

---

**264.**

1224. 13. Mart. — Honorius PP. III. Archiepiscopo Strigon. mandat, „quatenus solerter invigiles, sique diligens, sollicitus et attentus, ne, seminariis discordie prevalentibus, sint inter patrem et filium (Andream nempe Regem et Belam) simultates, quin potius ad — — fovendam pacem interponas efficaciter partes tuas.“ Datum Laterani III. Id. Mart., P. a. 8.

Fejér Cod. dipl. III. I. 438., Theiner Mon. Hung. I. 49.

---

**265.**

1224. 2. Apr. — Honorius PP. III. Archiepiscopo Strigon. Abbatem et Conventum de Egres a perversorum molestiis defendendos commendat. — Datum Laterani IV. Non. Apr., P. a. 8.

Fejér Cod. dipl. III. I. 451., Theiner Mon. Hung. I. 49. — Idem et Regi Andreae iniunxit. Ib.

---

## 266.

1224. 11. Jul. — Honorius PP. III. causam Abbatis et Conventus s. Martini de Pannonia „contra Vesprimiense Capitulum super Ecclesia s. Salvatoris de Tord et quibusdam decimis de Simigiensi Comitatu plene ipsis prouenientibus, quas occasione Ecclesie s. Appollinaris idem Capitulum dicitur usurpare,“ diu ventilatam, quamque idem Papa de Abbatis et Conventus supradicti „et Venerabilis fratris nostri . . Strigon. Archiepiscopi, tunc Episcopi Vesprimiensis, assensu,“ Episcopo Vaciensi et coiudicibus suis commisit, finaliter diiudicandam, aut sibi submittendam decernit. — Datum Laterani V. Id. Jul., Pont. a. 8.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 202. — Hic manifeste Robertus Archiepiscopus intelligitur, qui cum anno primum 1226. Archiepiscopus renunciatus fuerit, error in dato harum litterarum latere debet.

## 267.

1224. 4. Dec. — Honorius PP. III. contra Praepositum Strigon., qui Andream Regem iniuriis lacessivit, inquisitionem mandat.

Honorius — — Waradiensi et Waciensi Episcopis et — Preposito Albensi. — — Altiora se querere Strigon. Prepositus et super se dicitur etiam ambulare. De illo enim — — Rex Ungariae per — — magistrum Florentinum, custodem Orodiensem, nuntium suum, graviter est conquestus, quod idem metiri se nesciens, in tantum prorupit audaciam et furorem, quod Regem eundem, contra quem contumeliose surrexit, gravibus iniuriis lacessivit, in derogationem utique regie dignitatis et ordinis ac officii prepositi memorati. — — Dictus prepositus eo gravius dignoscitur excessisse, quo tam pro se, quem modestum esse deceret, quam pro sublimitate regali, cui est merito deferendum, linguam suam debuit fortius refrenasse. Cum igitur tantum linguae lubricum non sit in preposito predicto palpandum, nos non ab alio, set a nobis puniri volentes tam grandis temeritatis excessum; — — mandamus, quatenus veritate super hoc diligentius inquisita, nobis, quod inveneritis, — — fideliter exponatis, ut si fuerit ille culpabilis, pena docente gravius instruatur, quam grave sit, hominem sui ordinis et officii, tamquam modestie nescium et pudoris ignarum, ad conviciandum esse tam facilem et os suum assuescere maledictis. — — Datum Laterani II. Non. Dec., P. a. 9.

Pray Hierarchia II. 163., Katona Hist. Crit. V. 453., Fejér Cod. dipl. III. I. 463., Theiner Mon. Hung. I. 52.

## 268.

1224. — Julia Palatinus piscinam Csehtó Capituli Budensis novis metis providet.

Julia dei gracia palatinus et Supruniensis Comes, Vniuersis, presentem paginam inspecturis, Salutem in eo, qui mandat salutes Jacob. Vt emergenti calumpnie inponatur silentium et obliuionis redimatur dispendium; prouida adinuenit ratio fidelem memoriam litterarum sibi efficacem adiutricem. Sciat igitur etas presens, et noscat postera, Quod vniuersum Capitulum Budensis ecclesie, considerans Predia et Piscinas, collata eidem ecclesie ab antiquo, ne prolixitate temporum vel metarum vetustate super eis dampnosa possit calumpnia suboriri, a nobis humiliter postulauit, quod ad eorum piscinam, que wlgó Chechtow dicitur, de nostris fidelem, qui eam circumspiceret et nouas metas veteribus apponeret, transmitteremus. Nos igitur Sebastianum clericum, fidelem et prouidum, ad negocium tam arduum decreuimus destinandum; predictus igitur S. vicinis conuocatis et omnibus commetalibus, predictae Piscine terminos circuiuit, et ex circumiacentibus memorate piscine nec est inuentus aliquis contradictor. Porro terra prefate ecclesie, infra cuius terminos prefata piscina concluditur, primam habet Metam ab oriente iuxta Ticiam, proximam silue, que wlgó Fyzuforku dicitur; Inde uero protenditur per medium fluuium Tycie ultra lacum, qui Laposfeu dicitur, iuxta quem exiens a predicto fluuió versus orientem, protenditur ad aque ductum, qui Chechtow dicitur, includens piscinam, que Feyrtow dicitur, et inde reuertitur ad Tyciam iuxta aque alueum, per quem omnes incluse piscine detrimentum aque suscipiunt et augmentum, et ibi ad rippam eiusdem aluei meridionalem transiens, ad occidentem flectitur, et tangit quoddam precipitium, quod Peteraya dicitur, et inde extenditur iuxta ripam Sedum, et inde girans versus meridiem, iuxta eandem rippam tendit ad villam Salamonis, et inde ad villam Kokot, inde uero ad occidentem dilatatur iuxta sepedictam ripam ad terram filiorum Kollou et inde ad terram seruorum Regis extenditur versus aquilonem; deinde uero (per) sepedictam ripam tendit ad uiam precipitem, que Golombaya dicitur, et inde protenditur vsque ad terram Bulsu, et ibi terminantur mete, iuxta ripam posite memoratam; et inde reflectitur versus orientem, includens radicem aluei, qui Homusher dicitur, et complectens paludem, Tamar nomine, multis metis interpositis tendit ad metam primam, de qua circum(scri)pcio dicte terre fuerat Incoata; quidquid autem infra metas concluditur memoratas, Budensis ecclesia ab antiquo tempore possedit pacifice et quiete. Vt autem huius rei series permaneat inconcussa et illesa per posterios, eam censuimus recordacione presencium litterarum et nostri Sigilli munimine roborari. Anno uerbi incarnati Millesimo, ducentesimo vigesimo quarto.

E transumpto Sigismundi Regis a. 1389. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. U. fasc. 4. Nro. 93. — Edidit Fejér l. c. III. I. pag. 470.



## XXI.

## VACAT SEDES.

1224—1226. 13. Mart.

Thoma circa finem a. 1224. praemature fato erepto, Capitulum, ut videtur, paulo post ad electionem, seu potius postulationem processit. Ast convenire Canonici non valentes, Papa 17. Mart. 1225. utramque postulationem, e parte Canoniorum propositam, reiecit, Capituloque iniunxit, ut infra mensem novam electionem adornent. (Vide Nrum. 270.) Sed nec terminus hic observatus fuit, nec Capitulum in unam personam concordare potuit; pars una enim denuo Csanadiensem Episcopum, alia autem Thomam Archidiaconum, ut videtur, Strigoniensem elegerunt. Papa 26. Oct. has quoque discordes electiones reiecit ac quatuor Canonicos, nuncios Capituli, ad 6. Jan. 1226. Romam evocavit; (Vide Nrum. 274.) sed causae decisio etiam post hunc terminum protrahebatur, sicque sedes Strigon. usque 13. Mart. 1226. pastore orbata permansit; prout etiam diplomata regia huius 1225. anni, 22. regiminis anno signata, adeoque altera anni parte edita, sedem hanc vacare dicunt <sup>1)</sup>. Occurrunt quidem litterae Papales a. 1225. 13. Febr., quae Archiepiscopis Strigon. et Coloc. inscribuntur, (Vide Nrum. 269.) sed cum litterae hae generatim ad praelatos Hungariae directae sint, inscriptio illa e stylo nonnisi curiali adiecta fuerit; obitus enim Thomae Archiepiscopi hoc tempore Romae iam certe innotuit.

---

1) Fejér III. II. 70. 71. 482. — Wenzel I. c. I. 211.

---

## 269.

1225. 13. Febr. — Honorius PP. III. Benedictinos in Hungaria ad capitula annue celebranda et visitationes coenobiorum instituendas stringit.

Honorius Episcopus seruus seruorum dei, Venerabilibus fratribus . . Strigoniensi et . . Colocensi Archiepiscopis et eorum suffraganeis salutem et apostolicam benedictionem. Sapiencia, que ex ore prodit altissimi, cuius delicie sunt esse cum filiis hominum, inter eos habitatura, in ipso sibi paradisu voluptatis plantauit, claustrum videlicet Regularium, in quo plantauit homines quos formauerat, iam non primi Ade portantes ymaginem, sed secundi, et benedicens ei de rore celi, vt flores odoris et fructus honestatis proferret, sicut ager plenus, cui dominus benedixit, ipsum vario genere arborum et herbarum redolentium consitum, Benedicto domini benedicto, tradidit excolendum, Qui eius cura suscepta, ne ad deuastandum illum possent ingredi male bestie, a parte Capituli ueluti orientali, iusticia, et a meridiana rectorij temperancia, nec non ab occidentali, quasi forinseca, fortitudine, ac ab aquilonari, a qua malum panditur super terram, prudentia, quasi muris firmissimis communiuit, ad valuarum custodiam deputans timorem diuini nominis et amorem, editis in eo modo viuendi et regularibus institutis, Quibus in eodem firmiter obseruatis, ipsius arbores multipliciter excreuerunt, extendentes ramos suos vsque ad vltimum terre, ac operientes eciam cedros libani, fructus protulerunt pulcherrimos et suaves, quorum odore hij, quibus dominus de terre pinguedine benedixerat, extra ipsum paradisu positi, sunt relecti, et deposita sarcina camelorum, dimissisque solijs et diuicijs temporalibus, cum multa humilitate in eodem postularunt admitti, salutis diuicias recepturi; quoniam sapiencia et sciencia timor domini et ipse thesaurus eius. Viuente in eo denique Benedicto, per regularia, que ediderat, instituta, vinea eius rore celi perfusa et irrigata quadripartito flumine scripturarum, floruit et dedit ordorem suum, cultuque iusticie tenente silentium, operarij eius sederunt in pulcritudine pacis et in requie opulenta; at vbi cepit diuiciarum torrentibus irrigari et Regum lactari mamillis, eructante terre crassitudine super eam, Benedictoque quasi sublato de medio, ex pinguedine multa degenerans, spinas et tribulos germinauit et fructifere arbores luxuriantes in folia fructus, nullos attulere vel raros. Nam flores eorum emarcuerunt et deciderunt antequam formarentur in fructus, Et qui aliquando prouenerunt ex illis, ante maturitatem omnino fere insipidi et aridi defluerunt. Vitis quoque soareth, in eodem plantata, in amaritudine vitis aliene conuersa, produxit non vuas precoquas, sed labruscas. Sic igitur paradiso deliciarum paulatim redacto in salsilaginem ex neglectu, succreuit in eo saliuncula pro abiete ac vrtica pro mirto et pro suaui odore fetor asscendit, municionibus eius pene penitus dissipatis. Muro namque orientali a suis subli-

mibus videlicet et superbis confracto, emollito nimirum rigore iusticie, plagam meridianam temperancia non potuit custodire, Qua foras expulsa, qui ab oriente recesserant, in eadem meridiana campum Sennahar, excussionem uidelicet dencium Castrimargie dediti tenuere, ac Sacerdotes et prophete, prelati quidem et subditi, maiores pariter et minores absorti a uino, pre ebrietate nescierunt uidentem et iudicium ignorarunt. Quorum mense sunt vomitu sordibusque replete; et quid secatur (sic) ex hijs, qui audit prudenter aduertat, Quoniam venter et genitalia sunt propinqua. Vnde et philisthijm ab occidente luxurie positione cadentes, velud a parte forinseca irruentes in fortitudinem, eam miserabiliter eneruarunt, qua luxurie inquinamento prostrata, dereliquit prudencia locum suum, non valens resistere aquiloni, predictis eius sodalibus tribus et coadiutricibus superatis et plaga crudeli percussis, ac sic vndique patente Hostibus aditu, timor et zelus diuini nominis stantes pre foribus corruerunt, quorum loca timor mundanus et cupiditas eosque per se introducentes ad inferos, occuparunt. Inuaso sane sic ab Hostibus paradiso, sapiencia, que non intrat in maleuolam animam, nec in subdito peccatis corpore habitat, a loco deliciarum effugata discessit. Et quoniam spiritus sanctus discipline fictum effugit et auferit se a cogitationibus, que sunt sine intellectu, sapiencia discedente subtrahit se a sepepredicti cultoribus paradisi. Qui profecto ex adipe prodeunte iniquitate ipsorum, depositum veterem hominem resumentes, abiecta ymagine noui, in qua et per quam fuerant reformati, et comedentes de fructu ligni sciencie boni et mali, pulchro aspectu et delectabili ad edendum, fructu ligni vite contempto, quod erat in medio paradisi, transierunt in cordis affectum, que sua sunt querentes potius, quam que xpi. Et qui vt essent pauperes conformati ei, qui cum omnium diues esset, pro nobis factus est pauper, seculum reliquerunt, proprijs abdicatis, plus in seculo remanentibus, suis commodis inhiantes, animo ad seculum sunt reuersi et abhominantes manna deserti, rediere ad ollas carnum, cucumeres, allia et pepones egipti. Et quamquidem omnes declinauerunt a regularibus disciplinis, subditi videlicet et prelati, simulque inuitiles facti sunt, vix inuenitur in eis, qui faciat bonum, eo, quod sit omne caput languidum et omne cor merens et a planta pedis vsque ad verticem in eis sanitas non existat, obediencie iugo abiecto et eliminata nutrice humilitate virtutum, propter quod hostes intus ingressi, videntes ipsorum ignominiam et superbiam, deriserunt sabbata eorundem. Construxerunt etenim in loco deliciarum turrem babel, superbiam vite in confusionem ducentem, diruta turre gregis, dispersique sunt per vniuersam egiptum ad paleas colligendas pro coquendis lateribus, quos habuere pro saxis. Terrena uidelicet opera igne cupiditatis decocta, pro soliditate virtutum et pro humilitatis cemento in constructione turris predictae habuere bitumen, voluptates quidem carnales, que profecto conglutinant, quos inficiunt et coniungunt. Ex quorum fetore ac fu-



mo quamplurimi moriuntur. Sic denique ab huiusmodi turre confusionis locus deliciarum babilonis sortitus est nomen. Que quondam dilecta, posita est in miraculum, cum domus ipsius, dudum gloriose ac inclite, draconibus sint replete, sicque habitacio strutionum facte, saltent ibi pilosi et respondeant in edibus eius vlule, ac sirene in delubris voluptatis pangant. Dissipatis itaque taliter eius muro et antemurali, plauserunt manibus super eam omnes transeuntes per viam, sibilauerunt et mouerunt capita sua, dicentes: heccine est urbs perfecti decoris? De cuius contricione sedes apostolica, que cum infirmantibus infirmatur et de subditorum scandalo vritur, conturbata, repletaque amaritudine vehementi, sepe sepius sumpsit resinam ad mitigandum dolorem et vlnera eius sananda, mittens angelos pacis ad exhibendum eius contricioni medelam, corrigendo et reformando tam in capite, quam in membris, que correctionis et reformationis officio indigebant. Sed quoniam vt ferrum per eos extraheretur de vlneri, non fuit desuper eis datum, illud malagma suppositum interius non curauit, Etsi per ipsum superficialiter sit obductum. Et quoniam ferro non extracto computruerunt et deteriorauerunt vlnerum cicatrices et facta est quasi insanabilis ipsa plaga, flentes amare pacis angeli recesserunt, dicendo: curauimus Babilonem et non est sanata, derelinquamus eandem. Verumtamen sedes Apostolica pia mater, que filiorum vteri sui obliuisci non potest, a cura ipsius non destitit, nec zelus eius recessit ab ipsa, studens vlus eiusdem circumligare fascijs, et medicamine curare liuorem, plagamque tumens oleo confouere. Vnde felicis recordacionis Innocencius papa, predecessor noster, de rehedificatione ac cultu sepedicti paradisi sollicitus, sacro generali statuit approbante Concilio, vt in singulis Regnis siue prouincijs de triennio in triennium, saluo Jure dyocesanorum pontificum, fieret cummune Capitulum Abbatum atque priorum, Abbates proprios non habencium, qui non consueuerunt tale concilium celebrare; ad quod vniuersi, Impedimentum non habentes canonicum, conuenirent apud vnum de Monasterijs ad hoc aptum, Tractaturi de ipso in statum pristinum reformando; Vt euulsis ex eo sentibus viciorum et destructa turre confusionis, muri reedificarentur destructi et plantarentur in ipso arbores generose, facture vmbraculum cultoribus suis ab estu, ipsosque a turbine ac pluua protecture. Verum operante illo, cuius inuidia mors introiuit in mundum, quod non sine amaritudine mentis referimus, ex constitutione predicta, in memorato concilio habito, parum adhuc, aut nichil utilitatis prouenit, eo quod Abbates et priores, abbates proprios non habentes, neglexerunt ad huiusmodi Capitulum conuenire, ac hij, qui presidere debebant eisdem, cogendi rebelles non sunt visi habere aliquam potestatem; et sic vsque modo in stercore suo computruere iumenta et Moab in suis fecibus requieuit. Licet igitur facta (?) videatur desperabilis plaga eius, scientes tamen, quod non est abbreviata manus domini, ut saluare non possit et excoquere

scoriam eius ad purum, necnon auferre omne stagnum illius, ac restituere Iudices eius, vt prius fuerunt, et consiliarios sicut antiquitus; compaciendo ex intimo cordis super contricione Joseph, adhuc curacione eius duximus insistendum, dilectis filijs . . de Warad et . . de Bulch Abbatibus, Quinqueecclesiensis et Chanadiensis Dyocesis, nostris dantes litteris in mandatis, vt apud Monasterium de Moducha, Colocensis dyocesis, hoc anno conuocantes Capitulum, Abbates et priores, non Habentes abbates proprios, tam exemptos, quam non exemptos, Strigoniensis et Colocensis prouinciarum, qui non consueuerunt huiusmodi celebrare capitulum, venire ad illud, dummodo non sint impedimento canonico prepediti, monicione premissa, per censuram ecclesiasticam sublato cuiuslibet contradiccionis et appellacionis impedimento, compellant. Et aduocatis caritatiue duobus Cystersiensis ordinis vicinis Abbatibus, procedant in celebratione Capituli, deum habentes pre oculis, iuxta constitutionem concilij memorati, eadem censura facturi, que in eo deliberacione prouida fuerint ordinata, firmiter obseruari et reddituri domino, in cuius conspectu omnia nuda sunt et aperta, in extremo die districti examinis rationem, si omnem sollicitudinem et diligenciam, que circa correccionem et reformationem ordinis ac visitacionem cenobiorum adhibende fuerint, neglexerint adhibere. Vt autem que statuta fuerint, magis teneantur memoriter et seruentur; Volumus et mandamus, vt huiusmodi Capitulum in singulis Regnis, siue prouincijs annis singulis celebretur, concessa eis, qui ad presidendum annis futuris Capitulis celebrandis fuerint ordinati, conuocandi abbates et priores predictos et cogendis rebelles appellacione postposita, simili potestate. Adicientes, vt si visitatores, qui fuerint in eodem ordinati Capitulo, aliquos exemptos inuenerint deponendos, id apostolice sedi non differant nunciare; in ceteris iuxta formam sepedicti Concilij processuri; si forte conuertatur dominus et ignoscat, et relinquens post se benediccionem, gloriam libani det deserto et carmeli decorem. Quocirca fraternitati vestre per Apostolica scripta precipiendo mandamus, Quatenus Rectores Monasteriorum vestrorum, quos visitatores predicti vobis a suis locis denunciauierint remouendos, singuli vestrum in sua dyocesi, sublato cuiuslibet contradiccionis et appellacionis obstaculo, non differant amouere. Alioquin poteritis non inmerito formidare, quod minus Iurisdiccionis uobis relinquetur in eis, quam habuistis actenus et habetis. Datum Laterani Idus Februarij, Pontificatus nostri Anno nono.

E transumpto Capituli Nitriensis a. 1327. In Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. fasc. 1. Nr. 14. — Fejér Cod. dipl. III. II. 19.

## 270.

1225. 17. Mart. — Honorius PP. III. Capitulum Strigon. ad novam electionem archiepiscopi seu postulacionem provocat.

Honorius — — Watiensi et Aggriensi Episcopis. — — Duabus postulationibus, una videlicet de — — Cenadiensi, reliqua vero de — — Nitriensi episcopis, in Strigon. ecclesia celebratis, cum nullam earum invenerimus esse canonicam, et in tanta contradictione non consueverit postulatio, que si etiam concorditer fieret, plus gratiam, quam ius requirit, admitti, neutram — — duximus admittendam. Nos autem facientes — — Capitulo Strigon. hac vice gratiam, — — universitatem eorum monemus — — ut infra mensem — — in personam idoneam, que tanto congruat oneri et honori, per electionem seu postulationem liberam et canonicam — — curent — — convenire; ita quod non videamur eis in preiudicium Strigon. ecclesie detulisse, neque providere cogamur eidem ecclesie per nos ipsos. Quocirca — — mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, eos ad id diligentius monere et inducere procuretis. Datum Laterani XVI. kal. Apr., P. a. 9.

Theiner Mon. Hung. I. 54. — Scriptum est etiam Capitulo Strigon. Ib. — Fejér Cod. dipl. III. II. 27. — Schmitth Episc. Agr. I. 137. — Katona Hist. Crit. V. 481.

## 271.

1225. 9. Maii. — Honorius PP. III. causam Monasterii s. Spiritus, contra Hospitalarios, qui illud combusserunt, ab Innocentio PP. III. bonae memoriae Archiepiscopo Strigon. et A. Ultrasilvano ac G. Oradiensi prepositis commissam, eo, quod „sepedicti Archiepiscopus et Prepositi sint, negotio indeciso, ab hac luce subtracti,“ aliis iudicibus terminandam committit. — Dat. Tibure VII. Id. Maii., P. a. 9.

Theiner Mon. Hung. I. 55. — Fejér Cod. dipl. III. II. 30. — Archiepiscopus hic fuerit Joannes. —

## 272.

1225. 26. Maii. — Honorius PP. III. Abbatiae montis s. Martini inter caetera confirmat: „In Archiepiscopatu Strigon. Ecclesiam s. Mariae cum pertinentiis suis in loco, qui dicitur Wag et Sala.“ — Datum Tiburi VII. kal. Jun. —

Fejér Cod. dipl. III. II. 34.



## 273.

1225. 16. Sept. — Honorius PP. III. magistro Enoe Archidiacono Nitriensi et collegis mandat, ut de lite super decimis inter Episcopum Vespriemiensem et fratres Hospitalis diu agitata inquirant, causamque Romam remittant. — Datum Reate XVI. kal. Oct., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 61., Wenzel l. c. I. 211.

## 274.

1225. 26. Oct. — Honorius PP. III. reiectis postulationibus Capituli Strigon., quatuor Canonicos in negotio eligendi Archiepiscopi Romam mitti mandat.

Honorius — — Capitulo Strigon. — — Resumto Nro. 270. continuat: Vobis autem nequeuntibus in unam concordare personam, quidam vestrum eundem Cenadiensem episcopum postularunt; quidam vero Thomam archidiaconum elegerunt. Set cum presentatum nobis utriusque partis processum minus canonicum invenerimus, electionem cassavimus et postulationem non duximus admittendam. Nolentes itaque, ut eadem ecclesia diutius maneat pastoris solatio destituta, — — mandamus, quatenus quatuor vestrum — — usque ad proximum venturum festum epyphanie ad nostram praesentiam transmittatis, quorum consilio de persona provideamus idonea ecclesie memorate. Alioquin — — eidem providebimus ecclesie per nos ipsos. Datum Reate VI. kal. Oct., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 63. — Katona Hist. Crit. V. 484. — Fejér Cod. dipl. III. II. 56.

## 275.

1225. 24. Dec. — Laurentius Abbas de Grón deposito iuramento, terram in Ság h revindicat.

Laurencius abbas sancti benedicti abbatis monasterii de goron, una cum fratribus suis, presentes literas aspecturis Salutem in domino. Quoniam in mundi rebus quandoque solet oriri controuersia, negocia preuenienda providenda sunt cavete. Inde est, quod notum fieri uolumus tam presentibus, quam postea nobis successuris, Quomodo quidam iuuenis, nomine petrus, georgii filius, terram X aratrorum in uilla Ság h, que predicto pendet monasterio, dum acquirere et sibi annectere (?) se exaltaret, terminum ut ante presenciam palatini iule comparerent, uille iobagionibus imposuit. Sed quia ficta res

quandoque per sententiam ueram solet deprehendi, Ego abbas I. hoc mihi reuelato, ad iudicem ire properans, illic petrus aduersum populum meum et me litigii uoces commouit. Sic et nos aduersus eum respondentes, tandem a iudicis discussione talis efulsit sententia, ut ego abbas L. et frater meus presbiter petrus, necnon curialis comes meus, in scyget in templo sancti nicolay confessoris si iuraremus, terram sic possideremus, mediante pristaldo nemel; quod nos propter nostrum ius fecimus, quia in dicto loco coram abbate iohanne et uniuerso capitulo iuramenti uoces emisimus. Et ut in processu temporis nullius posteritas, aut petri, possit commouere rem hanc, quartarum (sic) testimonio confirmauimus, Quarum primam nos retinuimus, Secundam in Scyget locauimus, ex consciencia abbatis iohannis et fratrum eius. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXV. Epactae IX. concurrentes II. communi consilio multorum hec carta est assignata VIII. kal. mensis Januarij.

A      B      C      D      E      F      G      I      K

Ad marginem manus sec. 15. adiecit: Juramentum fuit in Abbacia Zegediensi in templo s. Nicolaj. — Fragm. sigilli e zona membranacea pendet. Orig. atris characteribus exaratum, in Arch. Aerarii Regii Hung. Acta Eccl. fasc. 24. Nro. 2.

## 276.

1225. — Vendégi de villa Epel portionem suam Epelensem vendit Benedicto coram Capitulo Strigon.

Nicolaus prepositus Strigoniensis et eiusdem loci Capitulum omnibus, ad quos littere presentes peruenerint, oraciones in domino. Vniuersitati uestre significamus, quod constitutis in nostra presencia Wendegy de uilla Epely, ab una parte; Benedicto et filio eius Muthud de eadem uilla, ab altera; proposuit dictus Wendegy, quod ius, quod habebat in dicta uilla epely, tam in terra, quam in feneto, quam etiam in siluulis, que vulgo Horosth dicuntur, de uoluntate uillanorum suorum, prefato Benedicto et filio eius Muthud pro IV. Marcis argentj et dimidia totaliter uendidisset, perpetuo possidendum et de precio plenissime sibj satisfactum esse confessus est. Hijs a uenditore propositis, VI homines de eadem uilla, uidelicet: Jacobus, Petha, Cheta, Mogd, Bescha, Chumov, ex parte uillanorum transmissj, ut dicebant, prefatum contractum ipsis consencientibus inter partes factum esse protestatj sunt. Postulauerunt ergo omnes communiter, ut super hoc facto litteras concederemus testimoniales, sigillj nostrj munimine roboratas. Quod

et fecimus. Anno ab incarnatione dominj M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XX<sup>o</sup>.V<sup>o</sup>. Datum per Manus magistrj Benedictj, Lectoris Strigoniensis.

A. B. C. D.

Fragm. Sigilli e zona membr. pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. fasc. 1. Nro. 1. — Ed. Cod. Strig. II. 28; Wenzel l. c. VI. 429.

### 277.

1225. — Incolae de Béla recognoscunt coram Cruciferis Strigon., Capitulum Strigon. in villa ipsorum possidere terram trium aratrorum.

A B C D

Quoniam labilis est hominum memoria et rerum turbe non sufficit; solent ea, que inter homines siue in iudicio, siue extra iudicium legitime geruntur, litterarum testimonio commendari et scripture memoria perhennari. Hinc est, quod ego Herbrandus Magister Hospitalis domus sancti Stephani Regis Hungarie de strigonio, meique fratres, videlicet Hemericus Decanus, Visuntinus Custos, Thomas et ceteri fratres eiusdem domus, tam Clerici, quam laici, ad vniuersorum noticiam uolumus peruenire, Quod constitutis in presencia nostra canonicis strigoniensibus, ab una parte; hominibus de villa Bela, videlicet: Bodun, Chefun, Ciba, Topsa, ylarrio, Doncus, Gude et Bot, pro tota eadem villa, ab altera, proposuerunt dictj homines, quod cum dicti Canonici terram ad tria aratra, quam in uilla ipsorum habebant, ab ipsis repeterent et ipsi inficientes eandem reddere dissimularent; canonicj ordine iudiciario dictam terram ab ipsis requirere intendebant; videntes ergo ipsi, quod tantum ius ecclesie beatj Adalberti absque magno sui dampno et animarum suarum graui periculo celare non possent, recognouerunt ante litis ingressum, eandem ecclesiam habere terram ad tria aratra in villa ipsorum, preter terram ad vnum aratrum in eadem villa, quam a Cosma, filio Comitis Paschasij, eidem ecclesie olim dicebant esse collatam; et hec omnia coram nobis homines supradicti pro tota villa sunt confessi. Ne ergo super hijs inter ipsos et ecclesiam questio oriatur inposterum; ad petitionem utriusque partis presentem paginam confecimus in testimonium, Sigilli nostri munimine Roboratam. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C. XX<sup>o</sup>. V<sup>o</sup>.

Sigillum e corrigia dependet. Originale litteris maiusculis pulchre exaratum in Arch. Cap. Strig. publ. Capsa 18. fasc. 6. Nr. 25. — Transumit idem Conuentus a. 1304. In Arch. eiusd. Cap. priv. Lad. 24. fasc. 1. Nr. 9. — Ed. Cod. Strig. II. 27; Wenzel l. c. VI. 430.



## XXII.

## MAGISTER ROBERTUS LEODIENSIS.

1226. 13. Mart.—1239. 2. Nov.

**R**obertus, qui etiam Rudpertus et Rupertus scribitur, <sup>1)</sup> e Leodiensi in Belgio Dioecesi oriundus, iam a. 1199. occurrit in litteris Innocentii III., a quo mutilati regesti Pontificii crimine accusatur (Vide Nrum. 144.); si tamen Robertus ille, qui in litteris his Anglicus vocatur, idem cum nostro fuerit. Si ita; tunc eius criminis suspicione se certe purgavit; secus enim per varios dignitatum gradus summum in Hungaria sacerdotium vix umquam obtinisset. A. 1207—1209. Praepositi Albensis et Cancellarii Aulae Regiae munere functus, <sup>2)</sup> eodem adhuc a. 1209. ad Vesprimiensem Cathedram promotus, eiusdem ecclesiae Electus scribitur. <sup>3)</sup> — Eodem hoc anno impetrat ab Innocentio III. confirmationem super iure patronatus ecclesiae s. Joannis per Ragueleam quandam mulierem fundatae. <sup>4)</sup> Eodem etiam anno iussu Papae episcopum Jauriensem admonet, ne decimas a Cruciferis exigat. <sup>5)</sup> A. 1210. Monialibus de Valle Vesprimiensi decimas a Joanne praedecessore suo subtractas, restituit. <sup>6)</sup> A. 1211. ex parte Andreae Regis Romae legatum egit, <sup>7)</sup> ut Papam ad approbandam conventionem super coronatione Regis inter Archiepiscopos Strigoniensem et Colocensem initam adduceret, (Vide Nrum. 192.) qua occasione ipse ex parte sua lite convenit Archiepiscopum Strigon. (Vide Nrum. 213.) A. 1213. etiam Capitulum Strigon. impetivit, (Vide Nrum. 201.) A. autem 1215. Abbatem Montis Pannoniae liti implicuit. <sup>8)</sup> A. 1216. monasterium in insula desolatum a rege, interveniente consensu suo, fratribus Teutonicis concessum significat. <sup>9)</sup> A. 1217. ab Honorio Papa illi iniungitur, ut quinque vel sex cruce signatos, quibus Rex Andreas in sua absentia tutelam filiorum et regni commisit, a voto absolvat. <sup>10)</sup> A. 1218. in episcopum Va-

1) Fejér III. II. 482; IV. I. 111.

2) Fejér III. I. 44. 65. III. II. 470.

3) Ib. III. I. 89; III. II. 472.

4) Róka Vitae Vesprim. Praesul. 75., Katona Hist. Crit. V. 102. et Fejér IX. VII. 643.

5) Fejér III. I. 84.

6) Ib. 103.

7) Ib. 129.

8) Fejér III. I. 171. Theiner Mon. I. 11.

9) Ib. 186. Theiner Mon. I. 4.

10) Theiner ib. 5.

ciensem inquirendi, eumque Romam citandi, a. autem 1220. cruce signatis prospiciendi provincia eidem committitur; <sup>1)</sup> A. 1220. Guncellum Archiepiscopum Spalatensem consecravit, quod Thomas Archidiaconus Spalatensis his testatur: „Siquidem Honorius summus pontifex, missa auctoritate Roberto Vesprimiensi Episcopo precepit, ut examinatis diligenter tam electi persona, quam electionis forma, si nihil obstaret de canonicis institutis, munus ei consecrationis impenderet. Robertus vero, suscepto apostolico mandato, quamvis esset vir discretus et religiosus, non tamen de rerum circumstantiis, quae in huiusmodi processibus inquirendae sunt, curiosus extitit indagator. Unde consecrationem ei facile tribuens, praecepit sibi, ut pro petendo pallio apostolico se conspectui praesentaret.“ <sup>2)</sup> Papa in negotio hoc etiam Capitulo Spalatensi scripsit, hoc de Roberto nostro dicens: „Vesprimiensem episcopum virum novimus circumspectum, de quo indubitata fiduciam obtinemus.“ <sup>3)</sup> Eodem hoc anno executio sententiae in Archiepiscopum Strigon. latae illi deferitur. (Vide Nrum. 231.) Tum provocatur, ut regem ad restituendas reginae viduae pecunias compellat. <sup>4)</sup> Eodem pariter anno Papa ad preces Roberti Nrum. 213. confirmat (Vide Nrum. 233.) A. 1221. ut episcopum Quinqueecclesiensem defendat, provocatur. <sup>5)</sup> Eodem anno Papa annuit, ut Canonicis Vesprimiensibus, paupertate gravatis, de parochialibus ecclesiis vel redditibus episcopalibus providere valeat. <sup>6)</sup> Regem autem Andream iam a. 1217. persuasit, ut in recompensationem pretiosorum, ab ecclesia Vesprimiensi occasione itineris sui in terram sanctam ablatorum, amplas mansiones conferret. <sup>7)</sup> A. 1221. pallium Guncello memorato iussu Papae tradit. <sup>8)</sup> A. 1222. negotium Nri. 250. a. autem 1223. negotium Nri. 255. et 256. exequendum illi committitur. Eodem a. 1223. Papam cum reliquis episcopis in causa divortii Belae regis interpellat. <sup>9)</sup> A. 1224. a Papa provocatur, ut monasterium de Telki ordini Cisterc. assignet. <sup>10)</sup> A. 1225. presbyteri quidam illi subiiciuntur; <sup>11)</sup> ac facultas proventus Canonorum suorum augendi denuo illi confertur. <sup>12)</sup> Capellam etiam episcopalem rebus sacris providit. <sup>13)</sup> Anno 1226. in Segust con-

1) Theiner I. c. 13. 23.

2) Hist. Salonit. c. 27. — Vide Nrum. 235.

3) Farlati Illyr. S. III. 247.

4) Theiner I. c. 25.

5) Ib. 27.

6) Ib. 30.

7) Fejér IX. VII. 646.

8) Theiner I. 31.

9) Ib. 42.

10) Ib. 49.

11) Ib. 52.

12) Ib. 53.

13) Fejér IV. III. 325.

stitutus, a Luca et fratribus terram Bagata venditam esse testatur. <sup>1)</sup> Ultimario a. 1226. 17. Febr. occurrit ut episcopus Vesprimiensis, quo die nempe illi iniungit Papa, ut regem ad restitueundam fratribus Teutonicis terram Burzae inducat. <sup>2)</sup> Sequentis enim iam mensis die 13. ab Honorio III., postquam Capituli Strigon. postulationem, ut minus canonicam, bis reiecisset, Archiepiscopus Strigon. renunciatus est. (Vide Nros. 270. 274. et 279.)

---

1) Wenzel VI. 433.

2) Theiner I c. 66.





## 278.

1226. 23. Febr. — Abbas et conventus Montis Pannoniae, necnon Hospitalarii de Alba et Csurgó in causa decimarum Simigiensium in arbitros compromittunt sub poena 135 marcarum, pro qua poena Syndicus Hospitalis „de consensu Magistri sui et fratrum suorum, commorantium Albe et Curgou et Strigonij et in Oratha et Keztelch, obligavit uillam Bodogo. — Feria secunda post Cathedram s. Petri, Albe in claustro Albensi.“

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 222.

## 279.

1226. 13. Mart. — Honorius PP. III. Robertum Episcopum Vesprimiensem ad metropolim Strigon. transfert.

Honorius — — Capitulo Strigon. — — Resumens Nrum. 274 prosequitur: nuper autem — — Thesaurario Nicolao, A. et Johanne canonicis Strigon. coram nobis comparentibus, vice vestra, nos intellecta voluntate ipsorum, cum eadem ecclesia diu viduata extiterit, — — cuius iam parcendum erat laboribus et expensis, quibus est hactenus non modicum fatigata, — — Vesprimiensem episcopum, virum dilectum a Deo et hominibus, vita et conversatione preclarum, de quo certi sumus, quod — — Regis Ungarie et regni sui exaltationem diligit et augmentum, cum nullum alium ad predicta invenerimus tam idoneum, — — absolventes eum a vinculo, quo Vesprimiensi ecclesie tenebatur, ad Strigoniensem metropolim ipsum transferimus. — — Datum Laterani III. Id. Mar., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 66. — Eodem die hoc in negotio scripsit Andreae Regi et ipsi Roberto. Ib. — Fejér Cod. dipl. III. II. 80—84.

## 280.

1226. 17. Nov. — Honorius PP. III. ad petitionem Episcopi et Capituli Csanadiensis, ut, quum „ipsius capituli redditus propter guerras et multiplicem malitiam temporis adeo sint imminuti, ut nonnulli canonici prebendas suas dimiserint, eo quod ex illis non poterant sustentari,“ liceat „ipsorum Canonorum prebendas de redditibus Capellarum Cenadiensis diocesis augmentare“; iniungit Archiepiscopo Strigon. „quatenus personaliter ad ecclesiam Cenadiensem accedat et — — super hoc provideat, prout pensatis omnibus circumstantiis viderit providendum.“ Datum XV. Kal. Dec., P. a. 11.

Theiner Mon. Hung. I. 70. — Fejér Cod. dipl. III. II. 98.

## 281.

1226. — Jobagiones Castri Barsiensis tertiam partem tributi Goznucha die subeundi duelli, iudicialiter indicti, Conventui s. Benedicti de iuxta Grón cedunt coram Capitulo Strigon.

Nicolaus prepositus Strigon. et eiusdem loci Capitulum, omnibus, ad quos littere presentes peruenerint, oraciones in domino. Vniuersitati uestre significamus, quod constitutis in presencia nostra Laurencio abbate Monasterij Sanctj Benedictj de Goron, ab una parte; Paulo Jobagione castri borsiensis, et tunc curiali comite eiusdem castri, ab aliis eiusdem castri iobagionibus transmissio, ut dicebat, ab altera; mediante Leustachio, filio Borc, qui se pristaldum Regis esse dicebat, proposuit idem pristaldus, quod cum Dominus Rex causam, que inter predictum abbatem et conuentum ipsius et iobagiones monasterij, ab una parte, et inter dicti castrij iobagiones ab altera, super tercia parte tributj Goznucha uersabatur, Nicolao comiti, filio Borc, et Petro, tunc comiti Borsiensi, commisisset cognoscendam; constitutis partibus in presencia iudicum, dictus abbas et conuentus, necnon iobagiones Monasterij terciam partem dicti tributj, nomine iuris suj monasterij, a dictis castri iobagionibus repetebant. Illi uero nullum ius ipsum Monasterium in illo tributo habere dicebant. Iudices ergo auditis hinc inde propositis, utrique partj duellum indixerunt. Verum in die, examinacionj duelli assignato, partes amicabiliter conuenerunt, ita, quod in bono pacis iobagiones castri terciam partem dictj tributj dicto Monasterio resignauerint, sine contradictione perpetuo percipiendam. Hijs a pristaldo propositis, partes hec omnia ita esse, ut pristaldus proposuerat, asseruerunt. Ne ergo per posterorum maliciam super hoc questio oriatur in posterum; ad petitionem parcium et pristaldi sepedicto Monasterio litteras concessimus testimoniales, sigilli nostrj munimine roboratas. Anno ab incarnatione dominj M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XX<sup>o</sup>.VI<sup>o</sup>. Datum per manus Magistri Benedictj, Lectoris Strigoniensis.

A

B

C

D

Sigillum e flavo serico pendebat. Orig. pulchre exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40. Fasc. 1. Nro. 4. -- Aliud par humore maculatum, in quo litterae incisae in fronte conspiciuntur, ibidem Nro. 5. — Fejér l. c. III. II. pag. 93., extr. VII. V. 236.

## 282.

1226. — Nicolaus Praepositus et Capitulum Strigon. super terra Gyemes litteras edunt per manus Benedicti Lectoris.

Fejér Cod. dipl. III. II. 93.

## 283.

1226. — Nicolaus cum sociis suis, quos Vrias abbas Montis Pannoniae servientes Ecclesiae suae esse asseruit, se coram Nicolao Palatino ab antiquo liberos esse „proclamaucrunt et priuilegium Regis Bele super libertate sua se eciam habere sunt professi. Cumque illud priuilegium in statuto termino coram Archiepiscopo Strigon. et aliis multis nobis presentassent, et diligenter ipsum una cum Archiepiscopo et omnibus alijs ydoneis et discretis ecclesiasticis personis inspexissemus, compertum omnino esse falsum.“

E litteris eiusdem Palatini. Wenzel l. c. I. 221.

---

## 284.

1227. 11. Jan. — Honorius PP. III. mandat Archiepiscopo Strigon. „quatenus iniuncte tibi predicationis officium exerceas studiose, magnos et parvos secundum datam tibi a Deo prudentiam sedulis exhortationibus inducendo, ut in instanti Augusto, quo generale passagium est indictum, impendant suum dicte terre sancte subsidium modis omnibus, quibus possunt. Crucesignatos autem, ut occasione cessante in ipso passagio transeant, efficaciter moneas et si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam, nisi quos evidens necessitas excusaverit, sublato appellationis impedimento, compellas.“ Datum Laterani III. Idus Jan., P. a. XI.

In e. m. Archiepiscopo Coloc., episcopo Geuriensi. cet. — Theiner Mon. Hung. I. 70., Wenzel l. c. I. 226.

---

## 285.

1227. 13. Jan. — Honorius PP. III. Archiepiscopo Strigon. nuntiat, se imperatorem Romanorum cruce signatum sub beati Petri protectione suscepisse, mandatque „quatenus si qui — — ipsius Imperatoris honores et iura, que infra fines tue metropolis — — obtinet, invadere vel minuire — — presumpserint, huiusmodi presumptores, — — ut a sua presumptione desistant, — — per excommunicationem — — cogas.“ Datum Laterani Idibus Jan., P. a. 11.

Theiner Mon. Hung. I. 71., Wenzel l. c. I. 227. — Imperator Rom. nulla, quod sciam, infra ambitum Metropolis Strigon., iura obtinebat.

---



## 286.

1227. 18. Jul. — Gregorius PP. IX. transumit et confirmat Nrum. 59. — Dat. Anagnie XV. Kal. Aug., P. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 85., Wenzel l. c. 242., Tkalcic Mon. Episc. Zagrab I. 61.

## 287.

1227. ante 31. Jul. — Robertus Archiepiscopus Strigon. ad preces Borizii principis Cumanorum, in Cumaniam profectus, quindecim millia baptizat.

In Hungaria Magister Robertus Vesprimiensis, vir bonus et religiosus, in Leodiensi dioecesi natus, factus fuerat archiepiscopus Strigoniensis, cui, cruce signato et in procinctu itineris constituto, occurrit filius principis de Cumania et ait: domine, baptiza me cum duodecim istis et pater meus veniet ad te ultra silvas in tali loco cum duobus millibus virorum, qui omnes desiderant de manu tua baptisari. Quo facto abiit archiepiscopus ultra silvas (seu in Transilvaniam) in occursum patris illius et ibi baptisati sunt, Deo dante, quindecim millia.

Magnum Chron. Belgicum ap. Pistorium III. 242.; Pray Hier. I. 415., Katona Hist. Crit. V. 341. 508. — Chron. quidem haec ad a. 1220. enarrat, sed hic errorem cubare, ac non ante hunc annum haec facta fuisse, Nrus. 288. abunde ostendit.

## 288.

1227. 31. Jul. — Gregorius PP. IX. Roberto Archiepiscopo Strigon. plenae legationis officium in Cumania et terra Brodnic committit.

Gregorius — — Strigon. Archiepiscopo, apostolice sedis Legato. — — Nuper per litteras tuas — — accepimus, quod — — aliqui nobiles gentis (Cumanorum) per se ad baptismi gratiam pervenerunt et quidam princeps, Bortz nomine, de terra illorum cum omnibus sibi subditis per ministerium tuum fidem desiderat suscipere christianam, propter quod unicum filium suum una cum fratribus predicatoribus, messis dominice operariis in terra predicta, ad te specialiter destinavit, attentius obsecrans, ut personaliter accedens ad ipsum et suos, viam vite ostenderes ipsis. — — Unde quamvis pro executione voti tui, quod emiseras pro terre sancte succursu, in peregrinationis esses itinere constitutus, considerans tamen tam magnum animarum fructum

— — si piis eorum desideriis condescendas, intermisso dicte peregrinationis itinere, — — Archidiaconum de Zala ad nos destinare curasti, — — supplicans, ut tibi hoc faciendi, non obstante voto predicto, licentiam preberemus; et quia magis fructificare poteris, si apostolice sedis legatione fungaris, cum auctoritas semper consveverit multum favoris habere in Cumania et Brodnice terra illa vicina, de cuius gentis conversione speratur; legationis officium tibi committere dignaremur, per quod habeas potestatem in eisdem terris vice nostra predicandi, baptizandi, edificandi ecclesias, ordinandi clericos, necnon et creandi episcopos. — — Cum igitur — — de tue caritatis ardore geramus fiduciam plenioram, accedendi ad dictas provincias licentiam tibi concedimus postulatam, devotioni tue super predictis plene legationis officium in eisdem provinciis committentes. Datum Anagnie II. Kal. Aug., P. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 86. — Katona Hist. Crit. V. 509. — Fejér Cod. dipl. III. II. 119.

## 289.

1227. 20. Aug. — Gregorius PP. IX. Waciensi et Nitriensi Episcopis ac Abbati Varadiensi iniungit, ut si Canonici Albenses arbitrium Archiepiscopi Strigon., tunc Vesprimiensis Episcopi et eius collegarum, in quos partes sub certa pena compromiserunt, in causa, ratione certarum decimarum per Abbatem Montis Pannoniae contra ipsos mota prolatum, observare nollent, contra eos, soluta prius poena, procedant. — Datum Anagnie XIII. Kal. Sept. Pont. a. 1.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 243.

## 290.

1227. 15. Sept. — Gregorius PP. IX. ad querelam Abbatis et Conventus Montis Pannoniae, quod Archiepiscopus Strigon., tunc Vesprimiensis Episcopus, quandam eorum capellam cum suis edificiis incendi fecerit, et monachos, existentes ibidem, bonis omnibus spoliari, et cum super hoc ad Archiepiscopum Colocensem Apostolicas litteras impetrassent, „dictus Strigoniensis Sedem Apostolicam appellasset, sed appellationem suam non est infra tempus legitimum prosecutus;“ — iniungit Episcopo, necnon Praeposito et Cantori Jauriensi, „quatenus si ita est, negotium ad priores iudices

remittatis; alioquin supersedentes eidem, condempnetis in expensis legitimis impetrantes. — Datum Anagnie XVII. Kal. Oct. Pont. a. 1.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 246.

---

### 291.

1227. — Bela iunior Rex Ecclesiae Strigon. quatuor mansiones Castrensiarum in Aranyos-Vincz confert.

Bela, deus gratia Rex primogenitus Regni Hungarie, omnibus christi fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presens inspecturis, salutem et gratiam. Cum ecclesia, que mater est omnium, per regum dotalicia (?) debeat sublimari; Ad universorum noticiam volumus pervenire, quod cum Strigoniensis ecclesia, quia ab ipsa, tamquam a matre ceterarum et magistra, ecclesiastica recepimus sacramenta, prerogativa gaudere debeat speciali, concessimus ad petitionem fratrum eiusdem ecclesie, in ultrasiluanis partibus quatuor mansiones castrensiarum, in predio eorundem, quod Oranas Vinc appellatur, commorantes et ad comitatum Torda spectantes, scilicet Bicca et Nel, cum alijs duobus socijs eorum, ut dicte ecclesie secundum suam libertatem seruirent. Ut autem hec nostra concessio irretractabilj gaudeat libertate, nec per alicuius suggestionem possit in irritum revocari; litteras nostras presentes capitulo concessimus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum per manus Mathie prepositi Zagrabiensis, Aule nostre cancellarij. Anno M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXVII<sup>o</sup>. Pons magistro tauarnicorum nostrorum et comite Albensi et Pousa vojuoda existentibvs.

Sig. e serico cinericio pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 66. fasc. 1. Nro. 3. — Ed. Cod. Strig. II. 29.

---

### 292.

1227. — Capitulum Strigon. super quarta parte villae Fys litteras per manus magistri Benedicti Lectoris Strigon. edit.

Fejér Cod. dipl. III. II. 485.



## 293.

1228. 21. Mart. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopo Strigon. in negotio conversionis Cumanorum quasdam facultates concedit.

Gregorius — — Strigon. Archiepiscopo, apostolice sedis legato. Gaudemus in domino, quod labori tuo — — fructum dedit, conversionem videlicet non parve multitudinis Cumanorum, iamque in partibus illis — — Theodoricum de ordine fratrum Predicatorum, eruditum in lege domini et vita preclarum, — — in episcopum prefecisti. Cum autem gens predicta vaga et instabilis — — nunc hedificare civitates et villas — — et ecclesias fundare desideret, nos — — tibi concedimus, ut fidelibus, qui personaliter iverint vel miserint subsidium ad construendum ibidem ecclesias — —, peccatorum indulgentiam, — — et proficiscentibus ad recuperandam christianorum terras, Cumanis vicinas, quas Soldanus de Iconio vel infideles alii occuparunt, ac euntibus contra illos, qui Cumanos conversos impugnant, — — remissionem — — largiaris. Ad hec — — indulgemus, ut si de iam profectis vel proficiendis in Cumaniam — — aliqui in canonem inciderint sententie promulgate, — — possis eis — — absolutionis beneficium impertiri. — Datum Laterani XII. Kal. Apr., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 87. — Ad a. 1229. Fejér Cod. dipl. III. II. 153. et Katona Hist. Crit. V. 535.

## 294.

1228. 21. Mart. — Gregorius PP. IX. provocat Priorem Ordinis Praedicatorum de Ungaria, ut, cum Archiepiscopus Strigon., apostolice sedis legatus, Theodoricum de eodem ordine in episcopum Cumanorum praefecerit, „in mittendis ad Cumanos fratribus, qui magis idonei videbuntur,“ se facilem exhibeat. — Datum Laterani XII. Kal. Apr., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 87. — Ad a. 1229. Katona Hist. Crit. V. 536. et Fejér Cod. dipl. III. II. 154.

## 295.

1228. 21. Mart. — Gregorius PP. IX. dilaudat Belam, Andreae regis natum, quod „pro convertendis Cumanis, cum — — Archiepiscopo Strigon., apostolice sedis legato, terram illorum intraverit.“ — Datum XII. Kal. Apr., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 87. — Ad a. 1229. Fejér Cod. dipl. III. II. 151.

## 296.

1228. — Andreas II. Rex servos refractarios Ecclesiae de Gron de villa Udvard in semirasura capitis condemnat et Ecclesiae readiudicat.

Andreas dei gracia Rex Hungarie, Vniuersis presentibus et futuris, hanc paginam inspecturis, salutem in eo, qui dat salutem regibus. Cum tempore nostro serui ecclesie nostre sancti benedicti supra Granam de Willa Wdword se a debita seruitute alienassent; dilectus et fidelis noster Cēna, Abbas eiusdem loci, maiores de iam dicta uuilla Wdword cum pristaldo nostro de nostra aula, nomine agabito, de uuilla Chesev, ad nostram citauit presenciam, propones (sic) contra eos, quod seruos suos et terram in eadem uuilla xl aratorum contra ius retinerent. Cui respondentes Wduordienses dixerunt, quod abbas nullam in eorum uuilla haberet porcionem. Nos ergo, ut ratio exigebat, abbati probacionem indiximus. termino ergo statuto, abbas sepedictus legitimam induxit circumiacencium testium probacionem et insuper quod in eadem uuilla ius de seruis et terra habuisset, exhibicione priuilegij declarauit. Vnde nos cum nostro palatino Dionisio et nostris fidelibus sententiauimus contra infideles seruos abbatis, quod semirasis capitibus eidem ecclesie redderentur, et ut presens factum a memoria non possit elabi, eosdem seruos nominatiu duximus exprimendos: fenerus cum tribus filijs; Scintha cum tribus filijs; Prodit cum uno filio; Monchu cum uno filio; Chuda cum uno filio; Boscoy cum tribus filijs; Paulus cum uno filio; Sica sine filio; Zothmar cum tribus filijs; tvrda sine filio; Scesa cum uno filio; paulus sine filio; Benedictus cum uno filio; Esav; Jacob; Vzud sine filijs; Maraz cum duobus filijs; Tomas cum uno filio; Morouth; Sumba; Chece; Mog; Peth; Sibolth sine filijs; Nanas cum duobus filijs; pethus cum duobus filijs; Olsod cum uno filio; Bodou; potho; Cruse; Seldeu; Zezer; Zousa; petrus; Mauricius sine filijs; et ad nostram petitionem et fidelium nostrorum concessit sepedictus abbas, quod de terra xl aratorum, in quanto seruos nostros Vduordenses coram nobis conuicerat, acciperet terram quindecim aratorum, tali tamen tamen (sic) pacto statuto, quod utcumque maiestati nostre cum consensu abbatis de terra uel de aliqua alia possessione utile uideretur, pro residio terre Wduord eidem ecclesie in cambio donaremus. Vt ergo hoc statutum robur in se habeat firmitatis, sigilli nostri duplicis munimine fecimus roborari. Datum per manus Balsuprepositi Geuriensis, aule nostre Cancellarij. Anno gracie M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XX<sup>o</sup>.VIII<sup>o</sup>.

## 297.

1228. — Robertus Archiepiscopus Strigon. Episcopatum Cumanorum erigit.

Robertus Strigoniensis de Hungaria novum fecit Episcopum in Cumania Theodoricum nomine.

Albericus Mon. ad h. a. — Pray (Hier. I. 417.) episcopos Cumanorum ut plurimum Regionarios et Episcopatum hunc a Milkoviensi distinctum fuisse coniicit. Katona contra haec asserit: „Robertus igitur non tam novum episcopatum condidit, quam novum veteri nomen indidit, quum Milkoviensem Cumanorum deinceps appellari voluit.“ Hist. Crit. V. 534. — Benkő (Milkovia I. 32.) fusius demonstrat, „non in Transilvania, non Valachia transalpina, sed in Moldavia, olim Cumania dicta, — — fuisse Episcopium, sive sedem praesulis Milkoviensis.“

## 298.

1228. — Robertus Archiepiscopus Strigon. tamquam homo regius, praesente testimonio Capituli Quinqueecclesiensis, Comitem Marcellum in possessionem Ozyagh introducit, et possessionem hanc metis circumscribit.

Fejér III. II. 135. — Mirum certe est, Robertum Archiepiscopum etiam tali officio functum fuisse.

## 299.

1228. — Thomas Praepositus et Capitulum Strigon. super venditione terrae Ryvchka et Bela litteras „per manus magistri Benedicti Lectoris Strigon.“ edit.

Wenzel l. c. VI. 460. et extr. I. 257. — Fejér Cod. dipl. VII. V. 568., qui tamen terras Byncha et Bella appellat. Tum extr. Magyar Történelmi Tár IX. 99.

## 300.

1228. — Capitulum Budense de divisione villae Nána inter Capitulum Strigon. et homines de Berki peracta testatur.

A. B. C. D. E. F. G. I.

In nomine domini nostri ihesu xpi. Nos fratres Budenses, uidelicet cantor Johannes, custos Jonas, decanus Symon, Sacerdotes uero Petrus Chananeus,



Petrus Dyonisij, Grazinus et ceteri, Notum facimus vniuersis, quibus presentes Littere patuerint, quod accedens ad presenciam nostram Ambrosius sacerdos et canonicus Strigoniensis, ex parte eiusdem capituli, ab una parte, et ab altera Csom, Kuka, Joanz, Beztir, Latizko, Rapolt, Nana, filius Nane, de uilla Berky, pro se et pro suis cognatis, proposuerunt partes communiter, quod de terra uille Nana, que ad ipsos communiter pertinebat, talis inter eos facta est diuisio, quod fundus illius uille a loco, qui Sohtut dicitur, qui a goron transit per magnam foueam, per metas diuiditur per medium usque ad magnam uiam, per quam itur in Bors, et huius fundi pars, que est uersus Strigonium, pertinet ad Capitulum Strigon., pars uero, que est uersus ecclesiam sancti Galli, pertinet ad prefatos Jobaiones (sic), preter tres fundos molendinariorum capituli, qui sunt in parte Jobaionum super Goron, quos fundos diuidit a parte ipsorum salix et meta posita iuxta Sohtut (sic). Item culta terra eiusdem uille, que uulgo Teluc dicitur, et fenetum, quod eidem terre adiungitur, per metas biuisa sunt per medium a prefata uia, qua itur in Bors, usque ad prefatam foueam, que est uersus Goron et huius diuisionis pars, que conterminalis est metis filiorum Paulj, pertinet ad capitulum, Pars uero, que est uersus ecclesiam sancti Gallj, pertinet ad prefatos Jobaiones. Item nemus diuiditur per metas a loco, ubi super foueam sunt tres mete terre, directe ad quercum, in qua est signum et inde usque ad portum Banj, qui est circa Goron, et huius diuisionis pars superior pertinet ad predictum capitulum, inferior uero pars pertinet ad dictos Jobaiones. Item terra campestris, que est ultra dictam uiam Bors, diuiditur per medium, cuius ea pars, que est uersus Strigonium, pertinet ad capitulum; Pars uero, que continuatur terre filiorum Paulj, pertinet ad Jobaiones, qui ex ea parte pro remedio animarum suarum et progenitorum suorum terram ad tria aratra contulerunt ecclesie beati Adalbertj, in eo loco, ubi illa terra continuatur terre filiorum Paulj. Preterea terra, que circuit forascolere et salices, que incipiunt a fine fouee, ubi meta nemoris Jobaionum terminatur et directe ad Goron protenditur usque ad nemus Dominici cantoris, quod specialiter ad Capitulum pertinet, sunt communes. Item parue insule, que sunt inter Goron, sunt communes. Item pratum, quod est sub predicto nemore capituli usque ad metas populorum Tadej, est commune. Loca uero molendinorum sunt communia. Vt autem istud ratum et firmum permaneat et nulla calumpnia suboriri ualeat; ex consensu utriusque partis presentes litteras, ad petitionem ipsorum Alfabeto diuisas et sigilli nostri munimine roboratas sub testimonio nostri capituli concessimus. Actum Anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XXVIII<sup>o</sup>. regnante glorioso rege Andrea, filio quoque ipsius rege Bela; Rudberto (sic) archiepiscopo presidente; Petro Bvdensi preposito existente.

## 301.

1229. 15. Mart. — „Cum Prepositus s. Thome Strigoniensis“ Abbatem et Conventum Montis Pannoniae „super quadam summa pecunie coram Priore de Pel auctoritate Apostolica conueniret, ipsi, habentes Priorem eundem suspectum ex eo, quia cum ipso similem causam facti et iuris habebant, dari sibi arbitros, coram quibus suspensionem probarent huiusmodi, petierunt, quos cum dictus Prior eis concedere denegaret,“ ad Papam appellarunt. Gregorius IX. ergo causam hanc Magistro Aegidio subdiacono et Capellano suo committit. — Datum Laterani Id. Mart., Pont. a. 3.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 264.

## 302.

1229. 6. Jul. — Aegidius domini Papae subdiaconus et Capellanus litem diuturnam super decimis inter Abbatem Montis Pannoniae et Capitulum Alben-  
se arbitrio suo „et magistri Manasses Archidiaconi de Saswar et Canonici Strigon.“ componit. „Actum est hoc in Hospitali Sancti Stephani Regis in Strigonio. — — mense Julio die sexta — — Dompno Laurentio Magistro Hospitalis s. Regis Stephani supradicti, Aaron Custode, Ysuntino, Michaelae et Johanne sacerdotibus predicti Hospitalis.“

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 266—268.

## 303.

1229. 18. Jul. — Gregorius PP. IX. litteras, quibus, praemittendo malefacta Friderici Imperatoris in terra sancta, „ad vindicandam iniuriam salvatoris“ plures Reges et Praelatos hortatur, etiam Archiepiscopo Strigon. submittit. — Datum Perusii XV. Kal. Aug., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 89. — Fejér Cod. dipl. III. II. 168.

## 304.

1229. — Andreas II. jobagiones Udvardienses Ecclesiae s. Bened. de Grón ab omni tributo, in eadem villa solvendo, immunes reddit; ita tamen, ut in aliis locis dimidiam partem tributi persolvant.

A. dei gracia rex Hungarie, Omnibus, ad quos presens scriptum peruene-

rit, salutem et Omne bonum. Ad uniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod nos piis antecessorum nostrorum uestigiis, atque statutis inherere cupientes; populos ecclesie nostre de Gron, in uilla Wduord constitutos, ab omni tributo, quod in ipsa eadem uilla deberent soluere, liberauimus. Ita tamen, quod in aliis locis, ubi tributa exigenda sunt, dimidiam particulam tributorum solummodo persoluant. Et ut huius rei series nullis unquam temporibus possit retractari, presentem paginam sigilli nostri munimine per Manus Bulch, aule nostre cancellarii, Geuriensisque prepositij (sic) fecimus roborari. Anno dominice Incarnacionis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XX<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>.

Fragm. Sig. e rubro et fusco serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40. fasc. 1. Nro. 6. — Ed. Cod. Strig. II. 31; Wenzel l. c. VI. 483.

### 305.

1229. — Bela iunior Rex confirmat Nrum. 296.

Bela dei gracia Rex primogenitus regis Hungarie, Omnibus presentem paginam inspecturis, salutem in eo, qui est salus omnium. Nouerint uniuersi, quod cum inutiles et superfluas perpetuitates destrueremus, oblatum est nobis priuilegium patris nostri sub duplici sigillo, super quadam causa, que uertebatur inter Wduornicos regis et abbatem de Goron sancti Benedicti, sub hac forma:

Sequitur Nrus. 296.

Vnde nos sententiam patris nostri rationabilem et utilem secundum processum huius cause considerantes, dictam terram cum dictis seruis eidem contulimus nostro priuilegio confirmantes. Datum per manus Mathie Zagrabiensis, aule nostre cancellarij, Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XX<sup>o</sup>. IX<sup>o</sup>., p o u s tawarnicorum; C h a k dapiferorum; p o u s a filio S o u l u m agasonum nostrorum magistris existentibus.

Sigillum simplex, e filis cannabeis caeruleis dependens, regem in throno sedentem exhibet, perigraphie iam exesum. Originale atro caractere nitide exaratum in Archivo Aerarii Regii Hung. Arch. Eccl. Fasc. 24. Nro. 3. — Fejér Cod. dipl. III. II. 195.

### 306.

1230. 27. Jan. -- Gregorius PP. IX. Abbati et Priori de Egris, ut mandatum Honorii PP. III., quatenus Episcopus Varadiensis S. presbitero quondam Archidiacono de Betis, qui casu fortuito homicidii crimen incurrerat, competens



beneficium assignet, Episcopo Varadiensi, tum Strigon. Archiepiscopo hoc facere renuentibus, exequantur. — Datum Perusii VI. Kal. Febr., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 91. — Fejér Cod. dipl. III. II. 202.

### 307.

1230. 24. Jul. — Aegidius Capellanus domini Papae in causa, quae vertitur inter Abbatem et Conventum Montis Pannoniae, ac Capitulum Vesprimiense, sententiam ut arbiter dicit „de consilio iurisperitorum, scilicet Vbaldi Prepositi s. Thome — — et Magistri Manasses Archidiaconi de Saxwar“ Canonorum scilicet Strigon. „Pronuntiatum fuit hoc arbitrium ab ipso magistro Egidio suprascripto apud Hospitale sancti Regis in Strigonio in Capella s. Alexii. Presentibus Laurentio Magistro predicti Hospitalis, — — — et magistro Jacobo physico Canonico s. Thome Strigoniensis — — die VIII. Julio exeunte.“

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 278—281.

### 308.

1230. 3. Nov. — Andreas II. Rex committit Capitulo Strigon., „quatenus litteras nostras super facto fratris Johannis Magistri Cruciferorum Sancte Crucis de Strigonio, Comiti Barleo Castellano de Strigonio, destinatas, — — faciatis eidem exhiberi. — — Datum Bude die dominico proximo ante Octavas omnium Sanctorum.“

Wenzel l. c. VI. 484.

### 309.

1230. 12. Nov. — Thomas Praepositus et Capitulum Strigon. mandatum Regium Nro. 308. comprehensum exequuntur. — Datum in Crastino B. Martini C.

Győri Tört. és Rég. füz. I. 206. Wenzel, l. c. VI. 490.

## 310.

1230. — Almanda et filius suus Perrin terram Kis Tata Florentino praeposito Szebeniensi et Canonico Strigon. vendunt coram Capitulo Strigon.

Thomas prepositus et Capitulum Strigoniense, omnibus, ad quos littere dresentes peruenerint, oraciones in domino. Vniuersitati uestre significamus, quod mulier quedam, Almanda nomine, filia Danielis, uxor quondam Laurencij latini, auri malliatoris <sup>1)</sup> de Strigonio, et Perrin, filius eiusdem Laurencij, cum Florentino preposito Scibiniensi, nostro concanonico, coram nobis constituti; terram ad vnum aratrum, quam habebant vltra Danubium in uilla Thata iuxta Gron, tam illam, quam secum, cum ad coniugium ipsa transiit, tulerat, quam eciam illam, que a patre predicti Perrin fuerat empta, cum suis pertinencijs, cum nostro et Villanorum consensu, uendiderunt prefato preposito pro sex Marcis argenti et dimidia perpetuo possidendam, cuius precium ab eodem preposito coram nobis plenarie receperunt. Preterea est quedam terra in eadem uilla non partificata, de qua prepositus habebit in porcione sua, quantum alij duo homines de uilla; cum autem contigerit eam partificari, equali gaudebit porcione, qua et alij duo homines in pratis et in pascuis et in ripis, in montibus et in uallibus, spectantibus ad eandem uillam. Preterea predictus prepositus habebit ante ecclesiam sancti Mauricij duas mansiones et duas plateas ad duo molendina edificanda et duas mansiones in longum ripe. Preterea idem prepositus habebit duo prata teneti circa Granam et unum ultra Granam. Est eciam supra Granam quoddam Buscagium <sup>2)</sup>, de quo dictus prepositus habebit tantam partem, quantam alij duo homines habent de uilla. Vt igitur hec, coram nobis legitime acta perpetue firmitatis robur obtineant; ad petitionem uenditorum prefato preposito litteras super hijs concessimus testimoniales, sigilli nostri munimine roboratas. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXX<sup>o</sup>. Datum per manus Magistri Benedicti, Lectoris Strigoniensis.

A. B. C. D.

A tergo manu sec. 15. „Kisthatha.“ — Sigillum minus detritum e flavo et rubro serico pendet. Orig. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 30. fasc. 1. Nro. 1. Extr. Fejér l. c. III. II. 221. — Ed. Cod. Strig. II. 31, ac Wenzel l. c. VI. 487.

1) Mallia, ut Du Cange docet, est „monetae species, quo nomine aureas quasdam monetas appellatas docemus.“ Fuit ergo Laurentius hic monetae opifex.

2) Buscagium, perhibente Du Cange, est „praestatio pro buscis, seu lignis, quae in urbem inferuntur.“ Sed hic probabilius idem significat, ac boscus, buscus, et buscaria, nempe silvam.

## 311.

1230. — Andreas filius Daut et fratres eius de villa Sagisidoud 30 iugera terrae Deodato presbitero Canonico s. Georgii, (Strigon. nempe) vendunt pro duabus marcis argenti, coram Thoma Praeposito et Capitulo Strigon., cuius litteras eatenus Magister Benedictus Lector Strigon. expedivit.

Orig. in Arch. Aerarii Regii Buden. Wenzel l. c. VI. 488.

## 312.

1231. 26. Febr. — Gregorius PP. IX. privilegium Coelestini PP. III. Nro 125. exhibitum suo nomine edit.

Gregorius episcopus, servus servorum dei, Venerabili fratri.. Strigon. Archiepiscopo — — textum transcribit Nri. 125; pro verbis tamen: „predecessoris nostri Alexandri auctoritate,“ ponuntur: „predecessorum nostrorum Alexandri auctoritate et Celestinj;“ Bela III. sic memoratur: „recolende memorie B. Rex Vngarie;“ Gregorius autem legatus sic: „felicitis memorie Gregorius, sancte Marie in porticu diaconus Cardinalis, tunc in partibus Vngarie apostolice sedis legatus.“ — — Datum Laterani IIII. Kalendas Martij, Pontificatus nostri anno Quarto.

A tergo legitur: Quod Archiepiscopus Strigon. habeat auctoritatem coronandi Regem et excommunicandi maiores de regno et Statuendi seu installandi prepositum de Sebenio — Bulla plumb. e flavo et rubro serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. Fasc. 11. Nro. 3. — Ed. Fejér l. c. III. II. 240., Theiner Mon. Hung. I. 92.

## 313.

1231. 27. Febr. — Gregorius PP. IX. Robertum Archiepiscopum Strigon. a voto peregrinationis s. absolvit et ei Officium legationis apost. in Cumania iterum committit.

Gregorius — — Archiepiscopo Strigon — — Te accepimus referente, quod Jesus Christus — — super gentem Cumanorum clementer respiciens, eis salvationis hostium aperuit hiis diebus. Aliqui enim principes et alii nobiles gentis illius — — per te ad baptismi gratiam pervenerunt, attentius obsecrantes, ut iterum personaliter ad eos accedens, viam vite ipsis ostendas. — — Unde quamvis ad executionem voti tui, quod emiseras pro terre sancte subsidio, tenearis, considerans tamen tam magnum animarum fructum — — si piis eorum deside-



riis condescendas, — — supplicasti, ut te a voto absolventes eodem, hoc facien-  
di tibi licentiam preberemus. Et quia magis fructificare poteris — — reliqua ut  
Nro 288. cum hac tamen additione: a predicto voto te penitus absol-  
ventes, accedendi ad dictas provincias licentiam tibi concedimus. — — Datum  
Laterani III. Kal. Mart., P. a. 4.

Theiner Mon. Hung. I. 93. — Fejér Cod. dipl. III. II. 238.

### 314.

1231. 28. Febr. — Gregorius PP. IX. iura et privilegia Ecclesiae Strigon.  
„ad exemplar felicis recordationis Innocentii pape“ confirmat. (Vide Nrum. 155.,  
quem iisdem plane verbis transcribit.) — Datum Laterani II. kal. Mart., P. a. 4.

Theiner Mon. Hung. I. 93. — Fejér Cod. dipl. VII. V. 402. qui tamen litteras has  
erronee Gregorio X. adtribuit ac ad a. 1275. ponit.

### 315.

1231. 3. Mart. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopo Strigon. iniungit, ut Sarracenos et  
Judaeos per subtractionem communionis fidelium, Christianos autem per censuram ecclesi-  
asticam ab excessibus coerceat.

Gregorius — — Archiepiscopo Strigon. — — — Horrendus — — ad  
nos rumor ascendit. — — Inter alia — —, propter oppressionem christianorum  
pauperum, et Sarracenorum Iudeorumque — — dominatum, multi christiano-  
rum — — videntes Sarracenos melioris conditionis et maioris libertatis preroga-  
tiva gaudere, sponte se transferunt ad eosdem; — — non solum per errorem  
christiani Sarracenorum et Sarraceni christianorum mulieribus commiscantur,  
verum etiam illas ducunt dampnabiliter in uxores. Emunt preterea Sarraceni  
mancipia Christiana — — et ipsas apostatare compellunt. — — — Passim Iudei  
ac Sarraceni publicis officiis preponuntur. Libertas quoque ecclesiastica adeo in  
ipso Regno subversa esse dicitur, quod non solum ecclesiarum hominibus, sed  
etiam ipsis ecclesiis et personis ecclesiasticis collectae ac tallie inponantur a laicis  
et respondere cogantur sub examine iudicis secularis. — — Et quamvis cause  
matrimoniales ad examen ecclesiasticum pertinere noscantur, huiusmodi tamen  
cause ibidem ad secularem iudicem perferuntur et per secularem iudicem matri-  
monia separantur. — — — Fraternitati tue mandamus, quatinus prefatos chri-  
stiani nominis inimicos per subtractionem communionis fidelium et aliis modis

— — ; christianos vero per censuram ecclesiasticam — — a tam presumptuosis excessibus studeas coercere. — — Datum Laterani V. Non. Mart., P. a. 4.

Theiner Mon. Hung. I. 93. — Fejér Cod. dipl. III. II. 241.

### 316.

1231. 22. Mart. — Gregorius PP. IX. Abbatiam de Kedhely protectioni Archiepiscopi Strigon. et reliquorum Praelatorum Provinciae Strigon. committit. — Datum Laterani XI. Kal. Apr., P. a. 4.

Tudománytár új foly. XV. 126, et Wenzel l. c. I. 285.

### 317.

1231. 9. Maii. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopo Strigon. committit, ut Georiensem et Agriensem Episcopos ac quosdam Comites cruce signatos, voto mutato, ad succurrendum Imperatori Constantinopolitano inducat; „cum Imperium Romanie — adeo ab hostibus sit arctatum, quod nisi succuratur eidem, extremum de ipso periculum formidatur.“ — — Datum Laterani VII. id. Maii., P. a. 5.

Theiner Mon. Hung. I. 97., Schmitth Ep. Agr. I. 143, Katona Hist. Crit. V. 589., Fejér Cod. dipl. III. II. 248.

### 318.

1231. 28. Aug. — Gregorius PP. IX. de vita et miraculis Lucae Bánffy Archiepiscopi Strigon. inquire iubet.

Gregorius — — Episcopo Cenadiensi, et — — Abbati de Siccodoro, <sup>1)</sup> — — et Magistro hospitalis sancti Regis in Strigonio — — — —. Cum ex parte — — Strigon. Archiepiscopi et Suffraganeorum suorum fuisset nobis sepius intimatum, quam iuste, sobrie atque pie felicitis recordationis Lucas Strigon. Archiepiscopus, predecessor Archiepiscopi memorati, vixerit in hoc mundo, quantaque sanctorum patrum mirabilis splendor Deus operetur miracula per eundem,

1) Rectius Czikádor.

langorem multorum, qui devote auxilium implorant eiusdem, relegando ab ipsis; nobisque fuisset devotissime supplicatum, ut et canonizaremus eundem, et sanctorum annumerari cathalogo faceremus. — — Ideo — — mandamus, quatinus inquiratis per iuratos testes idoneos tam de vita et conversatione ipsius Archiepiscopi, quam de miraculis supradictis et circumstantiis universis diligenter et perspicaciter veritatem et eorum dicta fideliter redigentes in scriptis, ea sub vestris sigillis — — transmittatis. — — Datum Reate V. kal. Sept., P. a. 5.

Theiner Mon. Hung. I. 99. — Fejér Cod. dipl. III. II. 251.

### 319.

1231. 20. Oct. — Gregorius PP. IX. arbitrium super quibusdam decimationibus inter Abbatiam Montis Pannoniae et Praeposituram Albensem per E. Subdiaconum Papalem „tunc in Ungaria commorantem“ et Magistrum M. Archidiaconum de Saswar prolatum, <sup>1)</sup> reprobat. — Dat. Reate XIII. kal. Nov., P. a. 5.

Theiner Mon. Hung. I. 99; Fejér Cod. dipl. III. II. 267.

### 320.

1231. — Andreas II. in recompensationem damnorum, quae Archiepiscopus et Capitulum Strigon. occasione sacrae suae peregrinationis perpessi sunt, a singulo curru in Aranyos Vincz sales deferenti, ratione tributi unum salem dependi iubet.

Andreas dei gracia Rex Hung., omnibus, presentem paginam inspecturis, Salutem et omne bonum. Ad vniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod cum Strigoniensis ecclesia, quia ab ipsa, tamquam a matre <sup>2)</sup> ceterarum ecclesiarum et magistra, ecclesiastica recipiamus sacramenta, prerogatiua gaudere debeat speciali; statuimus, vt in loco, qui Oronos Winch dicitur, quem locum cum suis pertinencijs eidem ecclesie, nullo participante, contulimus, in recompensationem Dampnorum, que tam Archiepiscopus, quam ipsi Canonici pro nobis perpessi sunt, dum essemus in seruicio ihu. xpi., <sup>3)</sup> quilibet currus, cuiuscunque sit, inde pertransiens et Sales deferens, unum Salem conferat Capitulo pro tributo, Scilicet duos Kulus.

1) Vide Nrum. 302.

2) Hic in Originali subtracta, seu deleta vox: nostra sequitur.

3) Vide Nrum. 230.



Vt autem hec nostra constitucio ac donacio robur habeat in futurum, Litteras nostras Capitulo concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Si quis autem nostre constitucionis contemptor extiterit, condempnamus cum Regali iudicio, tamquam statuti Regij contemptorem. Datum Anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXX. I<sup>o</sup>. Regni autem nostri decimo octauo. (sic).

E litteris Ladislai IV. vide ad a. 1276. 9. Aug. — Ed. Fejér l. c. III. II. 224.

### 321.

1231. — Andrees II. terram Ság, a Nicolino Praeposito Capitulo Strigon. legatam, sed ob non requisitum consensum Regium ademptam, eidem Capitulo restituit.

Andreas, dei gracia Hungarie Rex, Omnibus, tam presentibus, quam futuris, litteras presentes inspecturis, salutem et omne bonum. Ad uniuersorum, tam presencium, quam posterorum noticiam, presencium tenore, uolumus peruenire, quod nos regia liberalitate inducti, terram Sag v, quam fidelis noster Nicolynus, prepositus ecclesie Strigoniensis, ex nostra donacione possidebat, que antea ad castrum de Hunt pertinebat, et illam eciam, quam ipse idem prepositus a filijs Chepea pro quadam sumpma pecunie sue, in quibus ei illi remanserant, ordine iudiciario optinuerat; cum ipse N. prepositus iter uniuerse carnis ingressurus, in ultimo testamento suo, non accepta a nobis licencia, nec nostro consensu et beneplacito inquisito, illas terras pro remedio anime sue ecclesie Strigoniensi reliquisset, et nos easdem terras, sicut ad regium Fyscum debebant de iure deuolui, ueluti possessiones illorum, qui sine herede solent decedere, a dicta ecclesia recepissemus; tamen regia pietate, sicut in primis est pretaxatum, inducti, tum recordatis fidelitatibus et seruicijs nominati prepositi, ecclesie Strigoniensi, eodem iure, cum omnibus suis pertinencijs, quibus ipse prepositus possidebat, restituimus, primam donacionem sepedicti prepositi regia auctoritate confirmantes. Vt igitur hec a nobis facta donacio salua semper et inconcussa permaneat, nec nostris unquam, seu nostrorum successorum temporibus ualeat retractari; presentem paginam dupplicis sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Anno Dominice Incarnacionis Millesimo CC<sup>o</sup>. XXX.<sup>o</sup> I. Regni nostri Anno Vjcesimo octauo.

Fragm. sigilli e rubro serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 24. fasc. 1. Nro. 10. — Ed. Cod. Strig. II. 34; Wenzel l. c. VI. 498.

**322.**

1231. — Andreas II. Rex iura Regni denuo exhibet, eaque servaturum se promittit, „spontanee consencientes, ut sive nos, sive filij nostri et successores nostri hanc a nobis concessam libertatem confringere voluerint, Strigon. archiepiscopus premissa legitima admonitione, nos vinculo excommunicationis et eos innodandi habeat potestatem.“ Anno regni XXIX.

Pray Annal. I. 233.; Palma Not. Rer. Hung. I. 641.; Katona Hist. Crit. V. 628.; Kovachich Vest. Com. 98; Kovachich Jos. Sylloge Decr. I. 1.; Fejér Cod. dipl. III. II. 255.; Theiner Mon. I. 109; Knauz II. Endre Szabadáságlevelei p. 37.

**323.**

1231. — Andreas II. Rex causam Bartholomaei Episcopi Vesprimiensis contra „cives utriusque Pest super loco follyati ad exigendas decimas vini deputato“ Dionysio Palatino commisit terminandam. „In cuius praesentia — — iudicatum est, ut super sacramento venerabilis patris Roberti Archiepiscopi Strigon. omnis contentio sopiretur. Assignato itaque termino, dictus Archiepiscopus super eo, quod Ecclesia Vesprimiensis ab antiquo semper locum pro foliato ad exigendas suas decimas habuerit, ad altare s. Adalberti (Strigonii nempe) praestitit sacramentum; et sic — — Cives sunt convicti.“

Fejér Cod. dipl. VII. IV. 79.

**324.**

1231. — Thomas Praepositus et Capitulum Strigon. causam super quarta parte filiali coram magistro Stephano Archidiacono Borsiensi agitatam, mediante Waltero Pristaldo eiusdem Archidiaconi, amice compositam testatur per manus Magistri Benedicti Lectoris Strigon.

Fejér Cod. dipl. III. II. 490.

**325.**

1231. — Thomas Praepositus et Capitulum Strigon. super conventionem inter Comitem Sebus et iobagiones Castri Poson., per manus Magistri Richardi Lectoris Strigon. litteras expedit.

Orig. in Arch. Aerarii R. Bud. Wenzel l. c. VI. 500. — Fejér Cod. Dipl. III. II. 262.

## 326.

1231. — Uxoris Bors comitis dispositio testamentaria.

Ego A. uxor Bors komitis ante mortem meam more fidelium xianorum matura deliberacione prehabita et libera uoluntate mea pro salute anime mee de rebus meis disponendis tale condidi testamentum; uidelicet ecclesie sancte Margarete predicatorum in Alba de Were latino mercatore Budensi LXXX Marcas et lucrum, quod me contingit et I equum subrufum V annorum, qui modo in Kaza nutritur. Item ecclesie sancte Katarene predicatorum Strigonij cefum, quem mihi Bela rex contulit, cum sua coopertura et I equum nigrum, qui fuit apud Margaretam sororem meam, qui modo est in Kaza. Item Margarete sorori mee X equos indomitos et de indumentis meis clamidem coloris blaei et tunicam forratam cum pellibus uarijs, tunicam et clamidem nigri coloris similiter forratas. Item filie sororis mee scilicet uxoris Stephani bani, scilicet anne, supertunicale de scarleto forratas de pellibus uarijs et pallium et supertunicale et tunicam de scarleto bruneto similiter forratas et pellicium de exameto forratam cum scindato (?) et omnia pepla mea et duas uittas, unam deauratam et I simplicem, tres pecias m — Zadia (?) <sup>1)</sup> et tres pecias mensalium simplices pro familia sua et V manutergia zadia et omnes camisas meas et X equos indomitos. Purpura bumbachia propuncta (?) vnum cingulum argenteum deauratum et I annulum cum lapide balaxo paratum. Et hec omnia, que ei dimisi, erunt deposita in domo fratrum predicatorum Strigonij, que ei reseruentur usquequo uenerit ipsa anna ad tempus, ut nuptui tradatur. Equi autem sint apud Margaritam sororem meam, apud quam et ipsa anna erit nutrienda. Si autem infra hoc tempore moriatur anna, pauperibus uiduis, orphanis, secundum quod eisdem fratribus uidebitur, pro anima mea et illius distribuantur et equi, quos ei dimisi, eiusdem predictae anne erunt Ancille: Nestesia, Malischa, penteca, kathe, vtalov, Hugus, China. Item domui bononiensi fratrum predicatorum detur magnum tapete, quod est de grecia, quod portatum est mihi de matre mea. Testes autem, coram quibus hec facta sunt, hij sunt: s. R. archiepiscopus Strigon. cum suis capellanis, predicatorum eiusdem ciuitatis, Elias abbas de monte sancte Marie, Milites et presbiteri curie domini mei, alijque nobiles et ignobiles innumerabiles. Et ut hoc firmiter stabiliterque possit perseuerare, sigillo domini B. (sic) archiepiscopi tociusque Capituli Strigon. presentem paginam feci roborari. Datum est in domo Bors comitis iuxta curiam fratrum predicatorum Strigonij constructa Anno Domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XXX<sup>o</sup>. primo.

Fragm. sigilli Archiepiscopi e zona membranacea pendet. Orig in Arch. Aerarii Reg.

1) Fejér: praedium Zaouia.



Hung. Acta Eccl. fasc. 47. Nro. 12. — Fejér Cod. dipl. III. II. 269. — Dominicanorum Strigon. hic prima mentio occurrit.

## 327.

1232. ante 25. Febr. — Robertus Archiepiscopus Strigon. totum Regnum interdicto subiicit.

Robertus dei gratia Strigon. Archiepiscopus, — — B. — Vesprimiensi episcopo. — — Noverit vestra paternitas, nos litteras summi pontificis recepisse sub hac forma.

Sequitur Nr. 315.

Sciat preterea vestra discretio, quod sub eadem forma, sub qua nobis scriptum est, domino Regi Andree misit summus pontifex litteras, rogans — —, ut ad corrigendos supradictos excessus in regno suo daret operam efficacem. — — Dominus itaque rex congregatis filiis suis et pro maiori parte episcopis et aliis Jobagionibus, — — in reformatione pacis inter ipsum et suos filios super quibusdam articulis observandis et super quibusdam aliis corrigendis constitutionem quandam fecit, quam — — — promisit se de cetero firmiter servaturum. In dicta vero constitutione inter cetera specialiter statutum est et insertum, ne Judei vel Sarraceni Camere vel aliis publicis officiis preferrentur. Nullis itaque correctis de hiis omnibus, que dominus papa rogaverat et preceperat corrigenda; contempta etiam et non observata constitutione — — supradicta, ultimus error factus est peior priore — —, cum non solummodo Sarraceni preficiantur Camere et publicis officiis, ymmo conditione eorum facta meliore quam antea, quidam eorum, qui quasi servilis conditionis hucusque fuerunt et ad solvendam quandam summam pecunie annuatim domine regine tenebantur, nunc ab huiusmodi conditione liberati, facti sunt stipendiarii et liberis hominibus sunt equales. Solebant quandoque Christiani ritibus Sarracenorum adherere, estimantes leniorem conditionem impositam Sarracenis in Ungaria, quam pauperibus Christianis; — — — potestis enim scire, quod per huiusmodi apostasiam in partibus istis animarum infinita milia perierunt. — — — Ecclesiarum, Monasteriorum, orphanorum, clericorum, pauperum condicio de die in diem aggravatur; nam et multe possessiones et redditus et beneficia, que per privilegia regalia ecclesie et domus religiose possidebant, per malitiam Sarracenorum, per iniquas suggestiones consiliariorum domini regis domibus religiosis et ecclesiis sunt subtracta. Ne igitur — — tantam iniuriam — — dissimulare videamur, cum dominus rex Andreas, sepe per nos admonitus, — — supradictos excessus corrigere noluerit; nos mandatum apostolicum exequendo, — — totum Regnum Ungarie supposuimus interdicto, prohibentes — —, ne quis in regno Ungarie, sive Strigoniensi,

sive in Colochensi provincia, sive in Curia domini regis, vel filiorum suorum, vel alibi presumat divina celebrare. — — Quia vero regie celsitudini — — deferre volumus, nondum in personam ipsius sententiam tulimus, eius correctionem expectantes. Consiliarios autem eius, quorum consilio ipse retrahitur et retardatur a correctione supradictorum excessuum, et quorum suggestionem Sarracenos exaltavit et publicis prefecit officiis, excommunicationis sententia innodamus. Dionisium vero Comitem Palatinum non solummodo ob causam predictam, ymo multis aliis de causis, nominatim excommunicavimus, utpote qui non solummodo quam plures ecclesiasticas personas rebus suis, beneficiis et ecclesiis spoliavit, ymo aliquos viros ecclesiasticos fecit percuti et inhoneste tractari; ut de iniuriis et violentiis preposito et plebanis de Scepus, per ipsum et suos illatis, ad presens taceamus, tacere tamen nolumus, quod magistrum Johannem prepositum Poson. alapis fecit cedi et tractari inhoneste, nec de hoc ecclesie, nec passo iniuriam satisfecit; preterea Sarracenos et falsos christianos in sua malicia protegit et tuetur, aliquos etiam in suis prediis recipiendo. Nicholao camerario, Magistrorum <sup>1)</sup> tawarnicorum, dum sit domini regis consiliarius, et eius consilio omnia regis et camere negocia disponantur, damus inducias usque ad diem cene Domini proxime venturum, ut interim que per ipsum in predictis articulis perperam acta sunt, studeat emendare: alioquin extunc sciat se nominatim excommunicatum et ab omnibus evitandum. Preterea Samuelem quondam Comitem camere nominatim excommunicavimus, pro eo, quod ipse infamatus et convictus de heresi, in purgationem et correctionem sui erroris assumpta cruce, dato et recepto ad hoc termino, ut debeat <sup>2)</sup> ultra mare, et non ivit, ymo Sarracenos et falsos christianos similes sui, substinet et defendit. Item — — interdicimus, ne aliquis christianus in aliquo commercio, vel contractu, vel alio modo communionem habeat aliquam cum aliquo Sarraceno, donec omnes Sarracenos baptizatos, vel baptizari volentes, vel baptizatorum filios, sive sint Ungari, sive Bulgari, sive Cumani, vel cuiuscunque nationis homines restituant et dimittant, sive apud eos in servitute, sive in libertate fuerint commorati. — Igitur — — vobis mandamus — — —, quatinus predictum <sup>3)</sup> observetis, et per vestram diocesim — — faciatis promulgari et firmiter ab omnibus observari. Si qui vero sacerdotes — — ipsum interdictum — — non observabunt, — — in perpetuum ab executione sui officii sint suspensi, nisi per apostolicam sedem — — fuerint restituti. Si autem dubitatis an mandatum summi pontificis habeamus, ad nos mittatis aliquos, quibus fidem adhibeatis, qui videant et legant litteras domini pape, et vobis referant veritatem.

Datum deest. Litteras has „Jacobus Prenestinus electus apostolice sedis legatus, Uge-

1) Katona et Fejér rectius: magistro.

2) Idem: eat.

3) Idem: interdictum.

rinus Colocensis archiepiscopus, Stephanus Zagradiensis, Basilius Chenadiensis, Benedicso, Varadiensis, Innocentius Syrmienis, Bartholomeus Quinqueecclesiensis, Bricius Waciensist Gregorius Jeuriensis, Cletus Agriensis, Bartholomeus Vesprimiensis, Jacobus Nitriensis, Theodoricus primus Cumanensis Episcopi“ Budae a. 1232. mense Decembri, transcribunt et sigillis suis muniunt, atque interdictum ubique promulgatum fuisse, his testantur: „Quam (formam interdicti) nos Episcopi, qui tunc presentes eramus in regno, confitemur et recognoscimus, sub eodem tenore ad nos fuisse destinatum. Nos vero, scilicet Jeuriensis, Zagradiensis, Vatiensis Episcopi, qui tunc absentes eramus, confitemur eandem formam ad Capitula ecclesiarum nostrarum, sicut ab ipsis pro certo audimus, fuisse transmissam et ab eis deligenter observatam.“ (Theiner Mon. Hung. I. 107.; Fejér Cod. dipl. III. II. 311.) — Katona (Hist. Crit. V. 635.) et Fejér (Cod. dipl. III. II. 295.), qui post Raynaldum initium litterarum harum ignorabant, eisdem datum confirmationis praedictae tribuunt; omnino erronee; interdictum enim, ut Nr. 328. abunde testatur, „ad principium quadragesimae,“ adeoque circa 25. Februarii, die nempe Cinerum, promulgatum fuit, litterae ergo hae paulo ante signari et dimitti debuerunt.

### 328.

1232. 16. Maii — Andreas II. Rex se et regnum interdicti, quosdam autem familiares suos excommunicationis sententia per Archiepiscopum Strigon. innodatos esse querulatur.

Sanctissimo in Christo patri G. — — summo Pontifici A. — — Rex Hungarie. — — Cum nuper ad principium quadragesime modo catholice pietatis tam ego, quam regni mei incole, unusquisque ad nostram ecclesiam conveniremus, ut hiis sacris diebus, lacrimis et penitentia dicatis, vota nostra domino reddentes, sacrosancta ieiunia susciperemus; subito R. Strigon. archiepiscopus occasione auctoritatis, ut asserit, a vobis suscepte, in me et regni mei colonos et universaliter per totam Hungariam, sententiam intulit interdicti, et quosdam meos familiares, filiorumque meorum, principes non confessos vel convictos, sententia excommunicationis innodavit. — — Licet igitur sententiae tam asperae et immerite iniuriam merito deferre non deberem, tamen facte quoquomodo nulla prorsus atrocitate insultavi, sed potius mitissima mansuetudine tolleravi, mittendo karissimum meum primogenitum B. inclytum regem et omnes regni mei principes ad predictum Archiepiscopum, primo, secundo tertio multipliciter eum exortans, imo fere flebiliter supplicans eidem, ut pro quibuscumque excessibus vel excessui similibus divina mihi et regno interdixit, eosdem salvo iure regis corrigam, si correctione digni inveniantur, ad ipsius mandatum, ut ob hoc nihilominus me et regnum ab hoc execrabili exilio eripiens, a maternis permittat uberibus recreari, a quo vix per multiplices precum instantias tam episcoporum, quam aliorum virorum religiosorum ac prelatorum obtinere potui, ut a feria quarta a parasceve, usque ad festum sancti regis Stephani proxime venturum



sententiam revocat <sup>1)</sup> interdicti. <sup>2)</sup> — — Sanctitati vestre pro pudore, mihi per Archiepiscopum Strigon. illato, conqueror, querimonieque mee seriem — — in ore — — Dionisii Comitis Palatini, Symonis Comitis Jeuriensis et — — Rembaldi Magistri hospitalis per Hungariam et Sclavoniam positi, sanctitatem vestram per ipsos tamquam per sollempnes meos nuntios — — visitans et certificans eandem, quatenus quidquid predicti nuntii — — tractaverint, — — firmum habeatis, fidem eis adhibentes indubitata, tamquam si oretenus vestram alloquerer sanctitatem. — — Datum in Insula Bubalorum in proxima dominica ante ascensionem domini. Regni nostri anno 29.

D'Achery Spicil. III. 610., et Mansius (ap. Raynald ad a. 1232.), Theiner Mon. Hung. I. 104., ac Fejér Cod. dipl. III. II. 299. Katona autem Hist. Crit. V. 641—645. annos regiminis secutus, ad a. 1233. ponit; sed in annis his error cubare debet; quia ut Nro. 330. videbimus, papa Archiepiscopum iam 22. Jul. a. 1232. ad revocandam censuram provocat, epistola ergo haec necessario ante diem hunc Romam expediri debuit.

### 329.

1232. 15. Jul. -- Gregorius PP. IX. compositionem, inter Abbatem Montis Pannoniae et Archidiaconatum Simigiensem super decimis initam, per Episcopum Vesprimiensem observari praecipit. „Alioquin ven. fratri nostro Nitriensi Episcopo et de Chut et de Rabacuz Archidiaconis Strigoniensis et Geuriensis Diocesum, per litteras nostras iniungimus, ut te in executione mandati nostri cessante, ipsi illud, hac uice appellatione postposita, exequantur. — Datum Spoleti Id. Jul., Pont. a. 6.“

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 300. — Archidiaconatum de Csut in Dioecesi Strigon. exstitisse, hoc unicum est vestigium.

### 330.

1232. 22. Jul. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopum Strigon. censuris supersedere iubet.

Gregorius — — Archiepiscopo Strigon. in Cumania apostolice sedis Legato. — — Cum — — Penestrinum electum ad partes Ungarie Legatum — — providerimus destinandum, — — mandamus, quatenus circa excommunicationis et interdicti sententias, quas in familiares Ungarie Regis illustris et Regnum ipsius tulisse diceris, et postmodum ad certum terminum revocasse, — —

1) Katona et Fejér rectius: removeat.

2) Rex occasione hac, ut litterae Gregorii PP. IX. a. 1233. 12. Aug. testantur, iuramento se obligavit ad emendationem. Theiner Mon. Hung. I. 115.

supersedere procures, cum ea velimus per dictum Legatum — — terminari. Datum Reate XI. kal. Aug., P. a. 6.

Theiner Mon. Hung. I. 105. — Fejér Cod. dipl. III. II. 302.

---

### 331.

1232. Aug. 31. — Gregorius PP. IX. indulget Abbati et Conventui s. Benedicti de Grón, ut tempore interdicti consuetis sub cautelis divina celebrare possint.

GREGORIUS episcopus seruus seruorum dej. Dilectis filijs . . Abbati et Conuentui Sancti Benedicti de Gran ordinis s. Benedicti, Strigon. diocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Suscepti cura regiminis, que facit nos et reddit omnibus debitores, nos ammonet locis religiosis diligentiam impendere specialem, ne aut ordo ibidem constitutus aliqua possit occasione destitui, seu grauaminibus uel molestijs aliquorum secundum propositum impediri. Ea propter dilectj in domino filij uestris supplicationibus inclinati, presentium uobis auctoritate concedimus, ut cum credatur indignum a laude diuina sine uestra culpa cessare, cum generale interdictum terre fuerit, uobis sit licitum, clausis ianuis, excommunicatis et interdictis exclusis, non pulsatis campanis, suppressa uoce celebrare diuina, dummodo nullam causam interdicto dederitis, uel hoc ipsum uobis non fuerit specialiter interdictum. Nulli ergo — — — . Datum Anagnie II. kal. Sept., Pontificatus nostri Anno sexto.

Bulla e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Aerarii Reg. Hung. Acta Eccl. fasc. 25. Nro. 43. — Wenzel l. c. I. 301. — Extr. Fejér Cod. dipl. III. II. 339. Ast in dato ambo aberrarunt.

---

### 332.

1232. 23. Dec. — Gregorius PP. IX. iniungit Jacobo Praenestino Episcopo, legato suo, ut controversiam inter Magistrum Primogenitum Subdiaconum Papalem, quem vacante sede Agriensi maior et sanior pars Capituli in Episcopum elegerat, ac Benedictum Lectorem Strigon., quem excommunicatum et alias ad episcopale onus indignum post electionem praedictam quidam de Capitulo eligere presumpserunt, „cuius electionem surrepto sigillo capituli per quosdam litteris confectis nomine suo per Colocensem Archiepiscopum, loci metropolitanum, obtinuerant perperam confirmari, sicque dictus B. in Varadiensem Ecclesiam per laicalem potentiam se intrudens et administrationi eius se ingerens imprudenter, temere impedivit, ne ab eodem Metropolitano praedictus Ma-

gister confirmationis gratiam obtineret,“ — aut fine canonico terminet, aut difficultate aliqua emergente, causam eandem Romam remittat. — — Datum Anagninae X. kal. Jan., P. a. 6.

Katona Hist. Crit. V. 607., Fejér Cod. dipl. III. II. 310. Vide Nrum. 388.

### 333.

1232. — Andreas II. udvornicos et homines de Zólyom ad persolvendas Capitulo Strigon. decimas stringit.

Andreas, dei gracia Hungarie rex, Vniuersis xpi. fidelibus, presentem paginam inspecturis, salutem in domino ihesu xpo. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum quasdam villas castrensiarum, in officium vduornicorum nostrorum de novo transtulissimus et quasdam alias ad predium nostrum de Zoulum assignassemus; fideles ac dilecti nostri, Thomas prepositus, ceterique fratres ecclesie strigoniensis, ad nostram accedentes presenciam, nobis sua querimonia monstrarunt, quod omnes populi villarum predictarum iustas et integras decimas ab antiquo soluere tenebantur, que decime pro panibus eorum sunt deputate; (sed) quia singuli populorum predictorum occasione ceterorum uduornicorum nostrorum singulas duas capecias soluere conabantur, et per hoc ipsis magnum dampnum et incommodum generaretur; nobis humiliter supplicarunt, ut dictos populos ad solucionem decimarum integrarum, sicut consueuerant, compellere dignaremur. Et quia officium debitum exigit, quod nulli in sua iusticia deesse debeamus; potissime uero, quia ecclesiam Strigoniensem specialioris dilectionis... cauere in futurum, statuimus firmiter, perpetua stabilitate perhenniter obseruandum, quod tam illi populi, quos (ad) ipsos rece(pimus uduornicos (nostros), tam alij, quos ad predium nostrum de Zoulum assignauimus, iustas et integras decimas, omni contradiccione..., sicut consueuerant, persoluere teneantur. Nomina autem uillarum, quas in Vduornicos transtulimus, sunt hec: Huth... yuley, Gurmot, aliud Gurmoth, Lapas, Guesta, ysgar, Chalad, Welchez, Guymes, Nemchez, Hydradkesci, Kaluz; nomina (uero) uillarum, quas ad nostrum predium de Zoulum recepimus, sunt hec: palasth, Badun, Nek, Bolug, Hurov, Zefryd, Warad, Kemencha. Vt ergo supradicte restitutionis series, a nobis iuste et legitime facte, nostris nostrorumque successorum temporibus salua semper et inconcussa permaneat; in argumentum amplioris fidei, presentem concessimus paginam, dupplicis sigilli nostri



munimine in perpetuum roboratam. Datum anno dominice Incarnacionis millesimo CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> secundo, Regni autem nostri Anno XX<sup>o</sup> Nono.

Fragm. sig. e flavo et albo serico pendet. Orig. situ extritum per integrum legi non potest, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 45. fasc. 1. Nro. 1. — Ed. Cod. Strig. II. 36.

### 334.

1232. — Andreas II. homines de Pográny, ex indignatione ademptos, Archiepiscopo Strigon. restituit.

Andreas, dei gracia Hungarie rex, omnibus, ad quos littere presentes peruenierint, salutem et omne bonum. Nouerit presens generacio et tota eiusdem in posterum successio, quod cum nos quosdam homines de villa P a g r a n, in comitatu Nitriensi commorantes, olim, tempore bone memorie Johannis Strigon. Archiepiscopi, mortuo rutheno Ladislao, ad quem dictj homines pertinebant, ecclesie Strigon. una cum terris suis et uineis dictj Ladislai, ob remedium Anime nostre contulissemus; postmodum Venerabilj patre Robertho, Archiepiscopo eiusdem ecclesie existente, propter quandam nostram indignacionem a iam dicta ecclesia abstuleramus, <sup>1)</sup> iuris ordine minime reseruato. Verum recurrentes ad mentem et recognoscentes, quod interrompendo possessionem predictam, tunicam inconsutilem matris ecclesie dilaniaueramus, cum venia conuersi, prefatos populos cum terris et vineis supradictis sepedicte ecclesie duximus, restituendos; quorum nomina sunt Johannes, Zeba, Menguet, Moch, Zumul, Halalus, Weta, Juan, Chama, Penta et duo fratres eius, Wucud, Moncha, Duda, Fab, Kecha, Dika, Zentus et Bada cum filio, qui omnes serui fuerant predictj Ladislai, cum numero vinearum vigintj quinque. Vt igitur hec a nobis facta restitutio firma semper et stabilis permaneat, in testimonium ueritatis presentes concessimus litteras, duplici sigillo nostro in perpetuum roboratas. Datum anno Gracie Millesimo CC<sup>o</sup>XXX<sup>o</sup>II<sup>o</sup>. Regnj autem nostrj anno vicesimo nono.

Sigillum e caeruleo serico pendeat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. N. fasc. 1 Nro. 2. Eddit Fejér l. c. III. II. pag. 310.

### 335.

1232. — Andreas II. iurisdictionem in populos Ecclesiae Strigon. soli Regi reservat.

Andreas, dej gracia Hungarie Rex, Vniuersis xpi. fidelibus, presentem pa-

1) Vide Num. 222.

ginam inspecturis, salutem et omne bonum. Vniuersorum sancte matris ecclesie filiorum noticie insinuacione presencium uolumus fieri manifestum, quod nos considerato grauamine et oppressione populorum ecclesie Strigoniensis, que a diuersis iudicibus eis inferebantur, misericordia moti, benignitate regia ad petitionem Venerabilis R. Archiepiscopi Strigon., ab omnium iudicum iurisdicione eosdem populos eximentes; concessimus eisdem et instituimus, ut nullus iudicis, uidelicet nec palatini, nec alicuius alterius iudicio astare teneantur, preter nostrum solummodo proprium iudicium et nullus ipsos ante aliquem alium iudicem presumat conuenire, nisi coram nostre maiestatis presencia. Vt autem hec a nobis facta exempcio nec nostris unquam, nec nostrorum successorum, temporibus ualeat reuocari, uel retractari, sed salua semper et inconcussa permaneat, in argumentum fidei maioris, presentem concessimus paginam, dupplicis sigilli nostri munimine in perpetuum roboratam. Datum Anno Gracie Millesimo CC<sup>o</sup>. XXXII<sup>o</sup>. Regni autem nostri Anno Vicesimo Nono.

Sig. e rubro et fusco serico pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 47. fasc. 1. Nro. 4. — Extr. Fejér Cod. dipl. III. II. 318. — Ed. Cod. Strig. II. 35.

### 336.

1232. — Andreas II. villam Szebelléb, iniuste occupatam, Capitulo Strigon. restituit.

Andreas, dei gracia Hungarie rex, Vniuersis xpi. fidelibus, presentem paginam inspecturis, salutem in domino ihesu xpo. Quoniam scriptum est, quod non remittitur peccatum, donec restituatur ablatum; ideo ad uniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod nos deum pre oculis habentes et magis saluti anime nostre prouidere cupientes, quam lucro temporali inhiare uolentes; uillam quandam, nomine Scebehleb, ubi saxonnes residebant, quam ecclesia strigoniensis ab antiquo pacifice possederat et quiete, et nos ipsam minus iuste in nostrum usum conuerteramus, omni contradictione et contencione cessantibus, ex nostra gracia et beneplacito ecclesie restituimus memorate; bona fide promittentes, quod numquam, quamdiu uiuemus, ecclesia Strigoniensis super predicta uilla aliquam paciatur iniuriam, uel molestiam; sed pace perpetua et tranquillitate gaudebit super hoc in futurum. In cuius uille possessionem ecclesiam strigoniensem per fidelem nostrum Lampertum comitem fecimus introduci. Vt ergo huius restitutionis series, a nobis legitime facte, nostris, nostrorumque successorum temporibus salua semper et inconcussa permaneat; in argumentum fidei amplioris, presentem concessimus paginam, dupplicis sigilli nostri munimine in perpetuum roboratam. Datum anno uerbi in-

carnati Millesimo ducentesimo tricesimo secundo, Regni autem nostri anno Vicesimo nono.

A tergo: „De terra Scibichlib“. — Fragm. sigilli e flavo et albo serico pendet. — Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 15. fasc. 2. Nro. 4. — Extr. Fejér l. c. III. II. 318. Ed. Cod. Strig. II. 37.

### 337.

1232. — Dionysius Palatinus „Rege Strigonij existente, presentibus suis Barronibus, Jula Bano, Demetrio Judice Aule Regie, Dees, magistro Demetrio fratre Marcelli, et alijs viris discretis et honestis, ad Regem accedentes, seriem cause (Petri, domini Castri Pordan, contra Poth filium Poth) viua uoce enarrauimus.“ — —

Orig. in Arch. Aerarii R. Bud. Wenzel l. c. VI. 506.

### 338.

1232. — „Laurencius Abbas et Capitulum Monasterij S. Benedicti de Grana“ litteras super venditione terrae in villa Tulmach, „per manus Jacobi, tunc temporis huius loci magistri“, expedit.

Orig. in Arch. Aerarii R. Buden. Wenzel l. c. VI. 515.

### 339.

1232. — Abbas de Tihan se decimam Episcopo et Capitulo Strigon. praestare debere cognoscit.

Ita Fejér Cod. dipl. III. II. 318., qui Originale in Archivo Capitul. Strigon. asseruari ait, a nobis tamen non repertum.

### 340.

1233. 17. Febr. — Gregorius PP. IX. Praenestino electo inquisitionem de miraculis Lucae Bánfi, quondam Archiepiscopi Strigon. committit.

Gregorius — — Penestrino electo, apostolice sedis legato. — — Cum enim olim — — Rege Ungarie nobis humiliter supplicante, ut sancte recorda-



tionis Lucam Strigon. Archiepiscopum, quem piis operibus floruisse fatetur in vita, certisque post mortem miraculis claruisse, sanctorum ascriberemus catalogo venerandum; nos — — Cenadiensi episcopo et collegis suis inquisitionem de signis eius et miraculis sub certa forma duxerimus committendam: ipsi super hiis sollicite inquirentes, quod invenerunt, ad examen apostolicum fideliter destinarunt. Verum quia in tanto iudicio diligentiam cupimus omnimodam adhibere; volentes adhuc super hiis habere certitudinem plenioram, mandamus, quatenus ab eo, qui est via, veritas et vita, postules, ut — — aperiat tibi viam, per quam secure incedere valeas et super hiis plenius cognoscere veritatem, ac deinde non solum per testimonia, sed per testes, per famam quoque, ac scripturam autenticam de morum virtute, ac veritate signorum, operibus videlicet et miraculis, certitudinem diligenter inquirens, que inveneris, sub sigillo tuo nobis studeas per fideles nuntios destinare. Datum Anagnie XIII. kal. Mart., P. a. 6.

Theiner Mon. Hung. I. 111., Schmitth Episc. Agr. I. 89., Katona Hist. Crit. V. 668., Fejér Cod. dipl. III. II. 336. — Vide Nrum. 318. Utinam litteras Regis, quarum hic mentio iniicitur, et magis adhuc relationem Episcopi Csanadiensis, sors iniqua nobis non invidisset!

### 341.

1233. 25. Mart. — Jacobus Praenestinus electus, legatus sacrae sedis, et Robertus Archiepiscopus Strigon., testantur, se vidisse et legisse privilegium Andreae Regis, eius sigillo munitum, concessum clericis per totum Regnum super libertate ecclesiae, quod etiam verbotenus transcribunt. Strigonii VIII. kal. Apr.

Theiner Mon. Hung. I. 111., Fejér Cod. dipl. III. II. 345.

### 342.

1233. 20. Apr. — Urias Abbas et Conventus S. Martini Montis Pannoniae, necnon populi ac Jobagiones eiusdem Ecclesiae „compromiserunt in fratrem Enoch Ordinis Predicatorum, et magistrum Albeum Archidiaconum Hon-tensem, et magistrum Cognoscentem Canonicum Strigon. et capellannum domini Jacobi Prenestini Electi, Apostolice Sedis Legati, tunc inquisitores predicti monasterij ex mandato domini Legati predicti de omni lite vel litibus, discordijs, controuersijs, iniurijs, violencijs vel rixis et de omnibus cau-

sis, quas haberent, vel habere possent, tanquam in arbitros, compromissarios, arbitratores, seu amicabile compositores.“ — XII. Kal. Maii.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. VI. 533.

---

**343.**

1233. 1. Jun. — Quia partes Nro. 342. litigantes „attulerant predictis arbitris petitiones et libellos querimoniales innumerabiles, ita quod cognitiones magni temporis exigebant et sic non poterant expediri sine magnis laboribus et expensis; spontanee — — renunciauerunt omnibus petitionibus, seu libellis querimonialibus — —, hoc saluo et excepto, — — quod solummodo super infrascriptis grauaminibus — — cognoscerent et pronunciarent.“ „Actum in domo Hospitalis Sancte Crucis (de Strigonio), presentibus partibus, domino Firmino Abbate de Thata, fratre Benedicto Ordinis Predicatorum et domino Adriano hospitalario eiusdem loci et Valterio Clerico de Sala. — Die kalendarum Junii.“

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. VI. 535.

---

**344.**

1233. 6. Jun. — Frater Enoch Ordinis praedicatorum et Magister Cognoscens Legum Doctor, Canonicus Strigon., in causa Nri. 342. arbitrium pronunciant „super gradibus Reuerende Strigon. Ecclesie, presentibus partibus; scilicet jobagionibus et populis et dicto domino Vria Abbate et Henrico Decano, Lazaro, Vitali, Bernardo, Thoma, monachis et procuratoribus Conuentus S. Martini. — — Et interfuerunt presentes dominus Ferminus Abbas de Tata, Hyke Cantor Strigon., Holgerius Archidiaconus de Kamarun, et infinita multitudo populorum.“ Actum — — die sexto intrante Junio, Indictione VI.

E Nro. 345. — Wenzel l. c. VI. 538—544.

---

**345.**

1233. post 6. Jun. — Andreas II. Rex arbitrium Nro. 344. a „uiro sancte conuersacionis, magistro Enoch, fratre videlicet Ordinis Predicatorum, a nobis, et magistro Cognoscenti Canonico Strigon., Capellano domini Jacobi,

Prenestini Electi, tunc temporis Regni nostri Legati, ex parte ipsius, inquisitoribus super premissis constitutis,“ in quos partes compromiserunt, latum, adprobat.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. VI. 522.

### 346.

1233. 20. Aug. — Andreas II. Rex ad servanda iura Regni et Ecclesiarum iuramento se obstringit.

1. (V)obis Domine Jacobe prenestine Electe, Apostolice sedis legate, Vice et nomine Romane ecclesie et omnium ecclesiarum Vngarie. Nos Andreas Rex Hungarie iuramus ad sancta dei euangelia, omnia et singula capitula infrascripta observare.

2. Statuentes ea a filiis nostris et a nostris successoribus in perpetuum observari, et in nullo contravenire quacumque occasione, uel fraudem committere in eis quin fiant, sicut inferius continentur.

3. Et precipiemus omnibus subditis nostris in regno nostro, quod omnia et singula obseruent.

4. Et si qui nostri mandati transgressores extiterint, sicut decuerit, puniemus.

5. Et faciemus filios nostros et iobagiones iurare, secundum quod inferius de iuramento eorum continetur.

6. Capitula autem sunt hec:

7. Judeos, Sarracenos, siue Ismaelitas de cetero non preficiemus nostre camere monete, salibus, collectis, uel aliquibus publicis officijs, nec associabimus eos prefectis, nec in fraudem aliquid faciemus, propter quod ab ipsis possint opprimi xpiani.

8. Item nec permittemus, in toto regno nostro Judeos, Sarracenos, uel ismaelitas prefici alicui publico officio.

9. Item faciemus, quod Judei, Sarraceni, siue Ismaelite de cetero certis signis distinguantur et discernantur a xpianis.

10. Item non permittemus Judeos, Sarracenos, siue Ismaelitas mancipia xpiana emere, uel habere quocumque modo.

11. Et promittimus per nos et nostros successores constituere singulis annis et dare palatinum, uel alium de iobagionibus nostris, quem uoluerimus, xpiane fidei zelatorem, quem faciemus iurare, quod mandatum nostrum secundum ista fideliter adimplebit ad petitionem episcopi, in cuius Diocesi sunt uel erunt iudei, pagani, uel Ismaelite, ut xtianos extrahant a dominio et cohabitacione sarracenorum.



12. Et siqui inuenti fuerint contra hec xpiani cohabitantes sarracenis, uel sarraceni mancipia xpiana habentes, Item xpiani sarracenorum, uel sarraceni xpianorum quomodocumque mulieribus copulati, siue sub specie matrimonij, siue alio modo; bonorum omnium publicatione tam christiani, quam iudei uel pagani mulctentur, et nichilominus in seruitutem christianorum per regem perpetuo deputentur.

13. Item uolumus et concedimus, quod ecclesie libere portent sales suos ad ecclesias ipsas et ibi sub sigillo salinariorum et prelati illius ecclesie, in qua sales deponuntur, qui pro tempore fuerint, deponantur, depositique seruentur usque ad octauas sancti Stephani Regis et tunc ab illo die usque ad Natiuitatem beate uirginis Marie soluatur eis argentum pro salibus, quos tunc ecclesie haberint penes se, secundum estimacionem inferius adnotatam.

14. Et si in illo termino ipsi salinarij ipsos sales non emerent, et ecclesiis argentum secundum dictam estimacionem non soluerent; extunc omni tempore omnes sales illos libere in proprium usum ecclesie percipiant et uendant iuxta sue arbitrium uoluntatis.

15. Et omne lucrum, quod deberemus nos, uel alius Rex, qui pro tempore fuerit, uel ipsi salinarij inde percipere, totaliter cedat in usus ecclesiarum, nec a salinarijs ipsis, uel nobis, uel alijs personis aliquatenus molestentur, quin possint, quicquid placet eis facere semper de salibus, ex quo in dicto termino non fuerit eis pecunia persoluta.

16. Item dicimus de secundo termino, ut a festo sancti Nicolai usque ad festum beati Thome apostoli pro salibus, quos apud se habebunt ecclesie sub sigillo salinariorum, soluatur eis argentum secundum estimacionem adnotatam.

17. Quod si factum non fuerit, idem fiat, quod in casu superiori de salibus dictum est.

18. Argentum uero, quod predictis ecclesijs persoluetur, erit in bonis fructificis, uel in argento, cuius decima pars comburetur.

19. Precia uero salium sunt hec, quod pro quolibet Tymino salium aquaticorum persoluentur ecclesijs octo marce.

20. excepta domo Hospitalis Jerosolimitani et ecclesijs Colocensi et Bachiensi, quibus pro quolibet Tymino dabimus decem marcas, si dicte ecclesie Colochensis et Bachiensis debeant deferre sales suos in Zegedyn uel ultra, alioquin octo marcas habebunt.

21. Pro maioribus uero salibus aquaticis debemus abbacie de Egrus uiginti sex marcas pro quolibet timino.

22. et ecclesie Orodienti uiginti quinque similiter pro quolibet timino.

23. Pro salibus uero terrestribus dabimus unam marcam pro centum Zuanis, si sales suos debeant habere in confinij.

24. Excepto monasterio sancti Gothardi, cui pro octoginta Zuanis dabitur unam marcā.

25. Nos uero, et quicumque fuerit Rex pro tempore, debemus mittere sales ad confinia secundum tenorem priuilegiorum ecclesiarum, et deponi debent in domibus priuilegiatorum, ubi stabunt sub sigillis salinariorum, usque ad predictos terminos et eodem modo seruentur a nobis et ab ipsis, sicut dictum est, in terminis supradictis.

26. Ecclesie uero retinebunt de salibus suis ad usus suos hoc modo:

27. Abbacia de Egrus tres Timinos.

28. Prepositus Orodiensis cum capitulo suo duo milia lapidum.

29. Hospitale Jerosolimitanum cum omnibus domibus suis de Hungaria quatuor Timinos de talibus salibus, quales habet monasterium de Egrus.

30. Monasterium sancti Gothardi duo milia et quingentos Zuanos.

31. Ecclesia Waradiensis duo milia.

32. Ecclesia de Pernoch mille Zuanos.

33. Ecclesia de Zerr mille Zuanos.

34. Ecclesia Colochensis unum Timinum.

35. Ecclesia Bachiensis unum timinum.

36. Ecclesia Albensis Transsiluana duo milia Zuanorum.

37. Ecclesia de Bulch quinque milia.

38. Ecclesia de Epuryes tria milia.

39. Ecclesia de Bistria quatuor milia.

40. Ecclesia de Zadust mille.

41. Ecclesia de Ysou mille.

42. Ecclesia de Roncha quatuor milia.

43. Ecclesia de Kenaz duo milia.

44. Ecclesia sancti Philippi Mille.

45. Ecclesia de Geleth quingentos.

46. Ecclesia de Saxsuar mille.

47. Ecclesia Cenadiensis quinque milia.

48. Ecclesia Tytulensis tria milia.

49. Ecclesia de Ched mille Zuanos.

50. Ecclesia Strigoniensis duo milia Zuanorum.

51. Ecclesia Albensis totidem.

52. Ecclesia Budensis duo milia.

53. Ecclesia de Bokan duo milia Zuanorum.

54. Ecclesia de Pelys totidem.

55. Ecclesia de Hercz mille Zuanos.

56. Alie uero ecclesie, quarum nomina non exprimuntur, recipiant ad usum suum, secundum quod prelati earum in animas suas dixerint.

57. Item uolumus et consentimus, quod sales in salifodinis non vendantur carius, quam antiquitus uendi consueverunt ecclesijs, que consueverunt emere sales.

58. Pro Redditibus vero ecclesiarum, qui actenus subtracti sunt in salibus, exceptis decimis, persoluemus decem milia marcarum per quinque annos continuos. Qui anni incipiunt computari a proximo pasca Resurrectionis dominice, et solutionem faciemus hoc modo :

59. In primo anno in nativitate beate virginis soluemus mille marcas. In festiuitate sancti Thome apostoli mille marcas alias et sic postea quolibet anno continue faciemus, quousque dictam pecuniam decem milia marcarum persoluamus.

60. Et totam istam pecuniam persoluemus in dictis terminis Episcopo Cenediensi, Abbati sancti Martini de Pannonia, Abbati Egriensi, uel eorum procuratoribus, habentibus a dominis suis procuratorias super hoc litteras speciales, uel duobus ex predictis, uel procuratoribus eorum.

61. Et soluemus eam in domo fratrum predicatorum de Pest in Presencia capituli, uel maioris partis, distribuendam et ordinandam secundum uoluntatem dicti Legati, de consilio Strigoniensis et Colochensis archiepiscoporum.

62. Et nichilominus si predictam pecuniam decem milia marcarum non soluerimus in singulis terminis, sicut superius est expressum, uolumus et consentimus, quod ecclesie, quibus sales sunt subtracti, non obstante ista compositione, libere et integre sint in eodem statu et iure, in quo erant ante compositionem istam.

63. Item nolumus, nec permittimus, quod de cetero tractentur cause docium, uel matrimoniales per nos, uel per alios iudices seculares, quia de hijs nolumus nos intromittere, nec debemus; sed per iudices ecclesiasticos tractentur et terminentur.

64. Item uolumus et consentimus, quod clerici et persone ecclesiastice respondeant et conueniantur sub ecclesiastico iudice super omnibus, exceptis iudicijs terrarum, de quibus uolumus, quod tam per uos domine Legate, quam per nos consulatur dominus papa; expressis eidem circumstancijs facti, in quibus circumstancijs inter alia exprimatur, quod uos a prelati Hungarie percepistis, quod iudicia terrarum ecclesiarum et terrarum clericorum semper consueuerunt agitari et terminari per reges Hungarie, quicumque pro tempore extiterunt et quod a prelati Hungarie percepistis, quod si iudicia terrarum ecclesiasticarum subtraherentur a nostro iudicio, dampnosum esset ecclesijs plurimum et periculosum; quia per hec multa de iure ecclesiastico possent deperire.

65. Nullas collectas et nullum lucrum imponemus, uel recipimus a clericis et ecclesiasticis personis.

66. Et contra eorum priuilegia, si qua habent, scienter non ueniemus.



67. Super collectis uero per regnum nostrum alijs imponendis, per nos et legatum consulatur dominus papa, sicut conuenimus cum eodem de consultatione facienda domino pape super iudicijs terrarum.

68. Item singulis ecclesijs, sales habentibus, infra viginti quinque dies, postquam redierimus de Ruscia, coram prefato venerabili legato, cum filijs nostris comparentes, hoc anno dabimus patentes litteras super salibus suis, secundum formam istius compositionis, et coram eodem legato et episcopis nostris tunc publice istam compositionem, et primum ac secundum hoc sollempne iuramentum recognoscemus fecisse, dictisque nostris iuramentis ac bulla nostra aurea ista quolibet confirmasse, dando super istis tunc tertium par litterarum, nostra bulla aurea roboratarum et facientes iurare palatinum, nisi prius iurauerit.

69. Que omnia singula suprascripta sponte, absque ulla condicione implere ac firma et illibata per nos, nostrosque successores omni tempore obseruare, nec in aliquo contrahenire seu ueniri permittere, venerabili patri B. Wesprimiensi episcopo et magistro Cognoscentj canonico Strigoniensi, nuncio et capellano sepe dicti Legati, recipientibus nomine et mandato ipsius legati et uice et nomine ecclesie Romane et omnium ecclesiarum Hungarie, de consilio curie nostre, tactis sacrosanctis euangelijs promittimus et iuramus, Iubentes karissimos filios nostros et facientes infrascriptos Jobagiones nostros sub tali forma iurare:

70. Nos comes Nicolaus, filius Barch; Moys comes; Nicolaus, frater Moys; comes Benedictus; Alexander comes, frater Sebus; Fyla comes; Petrus comes, frater Marcelli; Nicolaus magister Tawarnicorum; Michael magister Agasonum; Mauricius magister dapiferorum; Bagon magister pincernarum, uobis predictis venerabili patri B. Wesprimiensi episcopo et magistro Cognoscenti canonico strigoniensi nuncio et capellano predicti domini legati, recipientibus nomine et mandato ipsius domini legatj, uice ac nomine Romane ecclesie et omnium ecclesiarum Hungarie, sponte ac deuote, sine condicione, tactis sacro sanctis euangelijs promittimus et iuramus, quod in omnibus et per omnia, bona fide tenebimus et obseruabimus nunc et in futurum omnia singula capitula supradicta, nos tangencia, et in hijs, que tangunt predictum dominum nostrum Regem, presentem, uel alium, qui pro tempore fuerit, dabimus operam studiose, rogando, ortando et consulendo in omnibus bona fide, quatenus omnia et singula capitula suprascripta impleat penitus et obseruet.

71. Anno ab inCarnacione domini nostri ihu. xpi. Millesimo CC<sup>o</sup>. XXXIII. Pontificatus domini GRegorij pape noni anno VII<sup>o</sup>. die duodecimo exeunte Augusto fuerunt ista feliciter acta in consistorio predicti domini Andree incliti Regis Hungarie.

72. Ibidem presentibus venerabilibus Cleto Agriensi, Bartholomeo Wesprimiensi episcopis. Et dictis Jobagionibus, tunc iurantibus et Michaelae preposito

Ytubiensi; Vincencio Archidiacono Sasvariensi; Jacobino de sancto Benedicto, Canonico Cenadiensi et alijs regni nobilibus quam pluribus, existentibus in eodem consistorio.

Sigillum aureum e serico rubro, flavo et albo dependet. Originale nitidissime exaratum in Arch. Prim. sec. Lad. V. Nr. 2. Ibidem Nr. 3. asservatur aliud par originale sub sigillo cereo. — Ediderunt: Katona Hist. Crit. V. 645.; Pray Annal. I. 237. et Hierarch. II. 67.; Palma Not. Rer. Hung. I. 637.; Kovachich Suppl. ad Vest. Com. I. 10.; Theiner Mon. I. 117.; Fejér Cod. dipl. III. II. 319.; Knauz II. Endre Szabadságlevellei 52. — Sigillum aureum vide ap. Knauz Aranybulla. Magy. Tört. Tár. X. post. pag. 218.

---

### 347.

1233. 11. Sept. — Jacobus el. Episcopus, apostolicae Sedis legatus, litteras suas super compositione inter Abbatem Montis Pann. et parochos Comitatus Strigoniensis Strigonii III. Id. Sept. edit.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 312—313.

---

### 348.

1233. Sept. — Andreas II. Rex Nrum. 346. privilegialiter edit „in hospitali Cruciferorum sancti Regis de Strigonio, in presencia Venerabilis patris, domini Jacobi Prenestini electi, apostolice sedis legati, presentibus R(oberto) Strigon. archiepiscopo; magistro Michaeli Albensi preposito, . . Abbate Waradiensi; B. preposito Strigoniensi; . . Preposito de Posuga; E. preposito Vesprimiensi; . . Archidiacono de Suaswar; . . Archidiacono Borsiensi; . . Priore provinciali fratrum minorum de Ungaria; fratre Marco ordinis predicatorum <sup>1)</sup>; . . Magistro sancti Sanxonis; . . Magistro sancti Lazari de Strigonio. — — Mense Sept.“

Kovachich Suppl. ad Vest. Com. I. 10.; Fejér Cod. dipl. III. II. 326.; Theiner Mon. I. 116.; Knauz II. Endre szabadságlevellei 64.

---

1) Probabilis Confessarius Regis.

## 349.

1233. — Andreas II. enumerat et approbat conditiones, penes quas rebelles, ac ideo expulsi hospites theutonici ad villam Szebelléb per Capitulum Strigon. denuo recipiuntur.

A                      B                      C                      D

Andreas, dei gracia Rex Hvngarie, omnibus, presens scriptum inspecturis, salutem et omne bonum. Vniuersitatj vestre notum fieri volumus, quod cum Hospites Teothonicj, in villa Zebehleb commorantes, pro eo, quod multas iniurias et dampna plurima fratribus ecclesie Strigoniensis intulerant, et eis rebelles exstiterant et per iudicium nostrum et de mandato nostro fuissent expulsi de iure et eiectj de villa prenominata, que cum omnibus siluis et alijs pertinencijs suis ad dictos fratres noscitur pertinere; tandem dicti fratres motj misericordia, dictos Hospites Teothonicos receperunt in villa memorata, tali condicione et compositione inter partes ordinata et firmata: promiserunt dicti Teothonicj prestito iuramento, quod nec facto nec consilio uenient contra fratres ecclesie memorate; sed ei fideles erunt in omnibus, et siquis ullo tempore uellet super dicta villa contra dictam ecclesiam mouere questionem, ipsi pro posse suo ecclesiam et canonicos adiuuabunt; et ad hec omnia obseruanda se sub talj pena obligarunt: quod si hanc compositionem iufregerint; omnia bona ipsorum, tam mobilia, quam immobilia, tam presenciam scilicet, quam futura, ad ecclesiam sepedictam sine aliqua contradiccione et excepcione deuoluantur et super hoc omnj excepcionj et omnj iuri renunciauerunt. Porro pro uno quoque aratro soluent dictj Hospites annuatim dimidiam Marcam argentj et cuilibet aratro debent centum et decem iugera assignari, cum eadem mensura, qua proxima villa, scilicet Lengen solet suos agros mensurare. Fontem eciam, uel riuulum causa habitandi, uel agros colendi non transibunt. Item predictos canonicos, uel eorum procuratores quocienscumque ad ipsos accedent, benigne recipient et eos honeste procurabunt. Si vero siluam extirpauerint et fecerint terram arabilem, similiter sicut de reliqua terra pro quolibet aratro soluent Fratribus dimidiam Marcam, sicut superius est expressum. Si quis hospitum domum habuerit, terram autem arabilem non habeat, soluat fratribus tria pondera annuatim, et omnes iste pensiones in festo sanctj Martinj debent solui. Preterea dictj populi, si eis placuerit, Teothonicum habeant sacerdotem, qui a Teothonicis, morantibus ultra fontem, recipiat decimas et oblaciones; Ab alijs vero, qui sunt, uel erunt citra fontem, siue sint hungari, siue Sclauj, seu Tethonicj, percipiat quartam quarte decimarum et annuatim in festo sanctj Martinj Capitulo Strigoniensi vnam Marcam et dimidiam argentj et cantori Strigon. vnam Marcam argentj soluere teneatur. Preterea prefatj hospites sibi eligant uillicum, qui causas eorum discuciat et iudicet, et si qua causa grauior emer-



serit, que maiorem requiratur iudicem, discuciat eam una cum preposito Strigoniensi, siue cum aliquo de canonicis, quem fratres miserint ad hoc faciendum, et de iudicio huius cause, quam sine procuratore Capituli non poterit iudicare, ipse habeat dimidiam partem et Capitulum alteram dimidiam; sed in ceteris causis minoribus totum iudicium percipiat idem iudex. Naturalem cursum riuuli nullus possit, uel debeat inmutare. Nos ergo dictam compositionem approbantes, ad petitionem utriusque partis, que propter hoc ad nos accessit et omnia premissa coram nobis protestata est et confessa, in testimonium huius rei presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas, decisas per alphabetum, quarum unum par Fratres habeant Strigonienses, Aliud vero par Teuthonicij ville pre-taxate. Anno uerbi incarnati M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XXXIII. Regni autem nostri Tricesimo.

Sig. ex albo et fusco serico pendeat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 15. Fasc. 2. Nro. 8. Ed. Cod. Strig. II. 38. — Diploma hoc ob incisas in fronte litteras, non nisi a locis credibilibus adhiberi solitas, insignis est raritatis.

### 350.

1233. — Ugolinus Archiepiscopus Colocensis et Cancellarius Regius compositionem, Nro. 349. exhibitam, ratihabet.

Vgulinus, dei gracia Colocensis archiepiscopus et aule regie cancellarius, Vniuersis xpi. fidelibus, presentem paginam inspecturis, deuotas in domino orationes. Ad uniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod cum hospites Teuthonici in villa Zebehleb commorantes, pro eo, quod multas iniurias et dampna plurima fratribus ecclesie Strigon. intulerant et eis rebelles extiterant, et per iudicium domini nostri A., illustris regis Hungarie et de mandato eiusdem fuissent expulsi de iure et eiecti de uilla prenominata, — — —

Per omnia ut Nro. 349.

Nos ergo dictam compositionem approbantes, ad petitionem utriusque partis, que propter hoc ad nos accessit, et omnia premissa coram nobis protestata et confessa, in testimonium huius rei presentem concessimus paginam, sigilli nostri munimine roboratam. Actum anno Dominice Incarnacionis Millesimo, Ducentesimo tricesimo Tercio.

A tergo: „super terra Scibieli (sic) et condicionibus hospitum.“ — Sig. e roseo serico pendeat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 15. Fasc. 2. Nro. 7. — Fejér extractum harum litterarum erronee ad a. 1238. refert. Cod. dipl. IV. I. 146. — Inauditus in diplomatica, ut cancellarius diploma, quod nomine Regis edidit, mutatis solum mutandis, nomine etiam proprio edat.

## 351.

1233. — Thomas Praepositus et Capitulum Strigon. ad reambulandam terram in villa Oztner, Zousa sacerdotem de villa Bulchu transmittit, ac litteras super transactione partium per manus Magistri Richardi Lectoris Strigon. edit.

Fejér Cod. dipl. III. II. 491.

## 352.

1233. — Juxta litteras Capituli Albensis terrae Vata Comitis et reliquorum de genere Cholt, „que iuxta villam Huigman continetur de villa Cholnuk, que vlgo Wathacholnuka nuncupatur,“ „commetaney sunt — — de septemtrione villa Mechend, populi Ecclesie de Demus; et postea villa Cheny, populi Strigon. Ecclesie.

Wenzel l. c. VI. 530.

## 353.

1234. 3. Jan. — Jacobus Praenestinus electus, Apost. sedis legatus, Strigonii commoratur. — — Datum III. Non. Jan., Pont. Greg. PP. IX. a. 7.

Theiner Mon. Hung. I. 125. — Fejér Cod. dipl. III. II. 385.

## 354.

1234. 17. Jan. — Juramentum Episcoporum Hungariae de compositione servanda.

Robertus dei gracia Strigon., et Ugolinus Colocensis archiepiscopi, Cletus Agriensis, Bartholomeus Vesprimiensis, Bricius Wachiensis, Renaldus Ultrasilvanus, Stephanus Zagrabiensis, Benedictus Waradiensis et Jacobus Nitriensis Episcopi, — — facimus manifestum, quod nos — — in presentia — — Jacobi Prenestrini electi, apostolice sedis Legati promisimus et iuravimus, nos observaturos — — omnia capitula, que sunt in compositione facta inter eundem patrem et dominum Andream Regem — — super negociis regni et ecclesie, que capitula nos contingunt; ad ea vero, que tangunt personam Regis, dabimus rogando et consulendo operam, quod Rex — — faciat et observet. — — Datum XVI. kal. Febr.

Theiner Mon. Hung. I. 122. — Fejér Cod. dipl. III. II. 375.

## 355.

1234. 1. Febr. — Gregorius PP. IX. compositionem inter Regem et Archiepiscopum Strigon. factam, ratihabet.

Gregorius — — Archiepiscopo Strigon. — — Ex parte — tua nostris fuit auribus intimatum, quod cum olim inter te et — — Regem Ungarie super decimis Camere sue, tibi subtractis, ab ipso suscitata fuisset materia questionis; tandem inter vos, mediante — — J. Penestrino Electo — —, sub ea forma compositio amicabile intervenit: videlicet, quod idem Rex tibi certos redditus percipiendos a te usque ad satisfactionem subtractorum integram assignavit, promittens — — easdem decimas, quas ecclesie tue coram eodem legato esse debitas recognovit, tibi et successoribus tuis perpetuis temporibus integre soluturos. Nos igitur — — compositionem ipsam — — confirmamus. — — Datum Laterani kal. Febr., P. a. 7.

Theiner Mon. Hung. I. 122. — Fejér Cod. dipl. III. II. 378. erronee habet 10. kal. Febr. —

## 356.

1234. 19. Febr. — Robertus Archiepiscopus Strigon. et quidam episcopi, litteras Belae Regis super compositione inter Regem Andream et Legatum apost. facta, apud silvam Bereg a. 1233. die 10. exeunte Augusto, editas, transcribunt Strigonii XI. kal. Mart.

Theiner Mon. Hung. I. 123. — Fejér Cod. dipl. III. II. 346.

## 357.

1234. 23. Febr. — Bela Rex Primogenitus in presentia Legati apost. et plurimorum aliorum iurat: „quod de terris nostre iurisdictioni subiectis — — universos hereticos et alios christianos, qui relicta fide christianitatis ad superstitionem Ysmahelitarum vel Judeorum pervertantur, quocunque nomine censeantur, et falsos christianos de terris nostris bona fide studebimus pro viribus extirpare.“ — — Datum Strigonii VII. kal. Mart.

Theiner Mon. Hung. I. 124. — Fejér Cod. dipl. III. II. 375.



## 358.

1234. 8. Mart. — Abbas et Conventus Montis Pannoniae ex una, ac Canonici et Hospitalarii Albenses ex altera parte compromittunt in Jacobum Praenestinum Electum et Apostolicae Sedis legatum et fratrem Enoch Ordinis Predicatorum et Magistrum Saulum Archidiaconum Nitriensem „de omnibus questionibus, quae uertebantur inter ipsos super decimis.“ Qui arbitrium suum promulgarunt „in Suprunio presente domino Roberto Archiepiscopo Strigon. — — Mense Martio, die 8.“

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 325—330. — Fejér Cod. dipl. VII. I. 240. et epilogum iterum pag. 248.

## 359.

1234. 14. Maii. — Andreas II. Beatrici Estensi uxori suae dotem constituens, testis interfuit Robertus Archiepiscopus Strigon. apud Albam Civitatem die dominico quartodecimo intrante Maio. —

Pray Annal. Reg. Hung. I. 242. — Katona Hist. Crit. V. 690. — Fejér Cod. dipl. III. II. 377.

## 360.

1234. 18. Junii. — Andreas II. navigantes, ex insula Archiepiscopi Strigon. Helembasziget fructus et ex insula Szent-Mária-sziget foenum asportantes, ut fures capitis damnat.

Nos A., dei gracia Rex Hungarie. Notum facimus vniuersis, presentem paginam inspecturis, quod quicumque nauigantes per Danubium, videlicet ascendentes et descendentes, Pomarium Roberti Archiepiscopi Strigon., ubi domum Archiepiscopalem habere dinoscitur in Insula, Helumbazygeth dicta, ac fenem de alia Insula, Scenthmariazygete uocata, asportauerit, tamquam fures et spoliatores, si deprehensi fuerint, vitam perdant, et hec propter euidenciam rei et testimonium efficax, ne quispiam propter ignoranciam possit se excusare, uolumus per certa loca et fora, in portu Danubij existencia, publice proclamari. Datum in octauis pentecostes. Datum <sup>1)</sup> ab incarnatione Domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XXX<sup>o</sup>.III<sup>o</sup>.

Sigillum unacum zona decedit. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. Fasc. 1. Nro. 2. —

1) Erronee pro : Anno.

Edidit Fejér l. c. III. II. pag. 407. et iterum XI. 242. sed hic iam Alberto Regi 1434. adtribuitur. Fejér quidem hic bene observat, anno hoc Albertum nondum regnasse, sed tamen novum errorem committit, cum litteras has a. 1334. assignandas statuit.

### 361.

1234. 19. Jul. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopum Strigon., ni sententias in Regem latas servaverit, Romam evocat.

Gregorius — — Archiepiscopo Strigon. — — Qui tamquam arbor utilis protuleras hactenus fructus bonos, circa etatis tue vespertas proferre debueras meliores, cum finis, non pugna coronet. Sed ecce dolentes referimus — —, cum olim — — J. Prenestinus electus — — de — — Regis Ungarie, tuo et aliorum Prelatorum assensu in eundem Regem et quosdam regni magnates, nisi infra prefixum — — terminum — — lesis ecclesiis satisfaceret et adimpleret omnia, que in suis litteris continentur, — — excommunicationis et in Curiam ipsius Regis interdicti sententias promulgarit, — — Bosnensi episcopo et collegis suis sententiarum ipsarum denuntiatoribus deputatis; et idem Rex diutius expectatus post terminum, non servaverit, que promisit, propter quod in sententias incidit supradictas: tu — — monitus pluries a denuntiatoribus supradictis — —, non solum publicare ipsas sententias noluisti, verum etiam ne publicarentur ab aliis, appellationis obstaculum interponens, regi svasisti predicto, ne dictas sententias observaret. — — Fraternitati tue presencium auctoritate mandamus, quatenus si conscientia te remordet, in huiusmodi sententiis commississe, sententias serves easdem; alioquin infra quatuor menses a receptione presencium nostro te conspectui representes personaliter, tuam super hoc innocentiam ostensurus. Datum Reate.

Theiner Mon. Hung. I. 126. — Koller Hist. Episc. Quinqueecl. I. 248. b); Katona Hist. Crit. V. 696., et Fejér Cod. dipl. III. II. 389. XIV. kal. Aug. signatas asserunt, Theiner autem (ib. pag. XVI.) ad 28. Jul. relegat.

### 362.

1234. 11. Oct. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopi Strigon. dispositionem in provincia Cumanorum confirmat.

Gregorius — — Episcopo Cumanorum. — — Significasti, quod — — Strigon. Archiepiscopus, tunc in provincia Cumanorum apostolice sedis legatus, tuam dioecesim limitans, perpetuo statuit observari, quod nulli laico,

patronis exceptis, in ecclesiis tue diocesis presentare liceat capellanos, et sacerdotes quartam habeant decimarum, ac quedam alia, prout in ipsius litteris, inde confectis, plenius dicitur contineri. — Nos itaque, — quod per eundem legatum super hiis rite et canonice factum est, — confirmamus. — Datum Perusii V. Id. Oct., P. a. 8.

Theiner Mon. Hung. I. 128., Wenzel l. c. VI. 318.

### 363.

1234. 11. Oct. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopum Strigon. et socios provocat, ut regem Andream ad restituendam Cruciferis Teuthonicis terram Burzae inducant. — Datum Perusii V. Id. Oct., P. a. 8.

Theiner Mon. Hung. I. 128. — Fejér Cod. dipl. III. II. 394.

### 364.

1234. 14. Dec. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopo Strigon., ut sententiam suspensionis per Praenestrinum Electum in Episcopum Quinqueecclesensem, qui tunc ex parte Regis in Ispaniam et Burgundiam transmissus fuerat, olim latam, relaxet. — Datum Perusii XIX. kal. Jan., P. a. 8.

Theiner Mon. Hung. I. 131. — Fejér Cod. dipl. III. II. 401.

### 365.

1234. — Andreas II. transcribit et firmat Nrum. 367.

Andreas, dei gracia Hungarie rex, omnibus xpi. fidelibus, quibus presens scriptum patuerit, salutem in domino. Ad vniuersorum, tam modernorum, quam posterorum noticiam, tenore presencium, uolumus peruenire, quod cum iobagiones castri de Zonuc et ciues castri eiusdem terram quandam, ad usum unius aratri, in uilla Yneu, ab ecclesia sancti Adalberti de Strigonio requirerent; causa hec coram comite Ladizlao, iudice curie nostre, taliter fuit decisa et litteris eiusdem testimonialibus roborata; secundum quod eciam ab eodem ortenus audiuius. tenor litterarum talis:

Sequitur Nrus. 367.

Vt igitur huius cause definitio semper salua et inconcussa permaneat, nec



a quoquam processu temporis in irritum possit reuocari; ad maiorem cautelam presentem concessimus paginam, duplicis sigilli nostri munimine roboratam. Datum Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XXX<sup>o</sup>. IIII., regni nostri anno XXX<sup>o</sup>. primo.

Sig. ex albo et fusco serico textili pendeat. Orig. negligenter scriptum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 41. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. II. 40.

### 366.

1234. Andreas II. servientibus regalibus de villa Szelepcsény indulget, ut in Jobagiones Ecclesiae s. Benedicti se transferre possint.

Andreas, dei gracia rex Hungarie, omnibus, presentes litteras inspecturis, salutem et omne bonum. Cum ordo rationis expostulet et regie dignitatis incumbat officio, congruas sibi subditorum exaudire postulaciones et exauditas Juxta postulancium affectum effectui mancipare; omnium presencium, ac posterorum noticie harum insinuacione volumus explicare, Quod cum homines de villa Zelepchen: Mylos et Monch, vizabor, Bod, Michael, legk, Blasius, Theda, dominicus et andreas, a primis sue parentele lineis libertate nostrorum seruiencium feliciter gaudentes, ad nostram accessissent presenciam, nobis suam exposuerunt voluntatem, quod ipsorum plena esset voluntas et promptus affectus, voto pari cum omnibus suis heredibus, heredumque suorum successoribus, consortio Jobagionum ecclesie nostre de Grana Jungi, dignanter eorum officium exercendum; vnde idem nostre maiestati humiliter suplicantes, a nobis vnaniter postularunt, vt ipsorum voluntatem pariter et affectum, Juxta petitionis sue formam ad desideratum duceremus effectum. Nos igitur eorum congruis postulacionibus fauore annuentes beniuole, actoritate regia duximus statuendum et deliberacione prouida ordinandum, quod tam ipsi, quam ipsorum heredes, heredumque suorum successores illa libertatis muniantur titulo, quo ceteri Jobagiones, a pijssimis antecessoribus nostris ecclesiarum officis (sic) deputati, sunt benigne muniti; verumtamen si contingeret eiusdem (sic) successionibus heredum omnino carere, terra ipsorum nichilominus ad ius perpetuum ecclesie prememorata deuoluatur. Metarum autem terre illorum assignaciones, sicut ab ore dilecti et fidelis nostri, comitis alecsandri (sic) didicimus, presentis scripti patrocinio censuimus annotandas. Prima itaque meta incipit ex parte ville, Nyweg nominate, Juxta quamdam multitudinem arborum, que wlgariter Moys Gaya nuncupatur, et iuxta eandem Moys Gaya tendens, contiguatur terre Guenden, vbi sunt monticuli metarum, de terra factarum; Inde vero vadit iuxta vnum Erezthwen per longum, in ter-

mino cuius descendit ad quandam Cauernam, que wlgō poklos uerem nominatur; deinde autem tendens in prato, per nemus quoddam, transit vltra fluuium Zytua super terram arabilem, et inde transiens per medium arborum fructiferarum, vadit vsque fluuium Hecha, et transiens per eundem fluuium, vadit ad campum iuxta terram memorati Genden in longum; Inde vero ad vnum Ereztuē, deinde descendit ad flumen Terenche, cuius fluminis medietas pertinet ad homines eiusdem; altera vero medietas spectat ad ius ville Hymd; Inde autem iuxta idem flumen tendit superius ad villam ecclesie supradicte, que eciam Zelepchen vocitatur et ibi terminatur. vt Igitur huius constitucionis, ordinacionisque series, a nobis racionabiliter facta, inuiolabiliter in posterum obseruetur et nostris, seu nostrorum successorum temporibus a nullo vmquam hominum omnino queat infirmari, presenti eam paginam in argumentum veritatis et robor perpetue firmitatis conscripta, fecimus annotari et duplicis sigilli nostri munimine roborari. Datum anno ab incarnatione domini Millesimo ducentesimo tricesimo quarto.

E transumpto Conuentus Zoboriensis a. 1364. In Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 9. Fasc. 2. Nro. 5. — Ed. Cod. Strig. II. 40.

### 367.

1234. — Ladislaus Iudex Curiae Regiae terram in villa Jenő, per Castrenses de Szolnok indebite requisitam, post praestitum iuramentum Capitulo Strigon. adiudicat.

Nos Ladizlaus, Iudex aule regie et comes Bachiensis, Significamus omnibus tam presentibus, quam futuris, quibus presentes littere ostense fuerint, quod cum iobagiones castri de Zonuc, unacum ciuibz eiusdem castri, terram unius aratri, in uilla Yneu ab ecclesia Strigoniensi de sancto adalberto coram nobis requirerent; quidam canonicus, Ambrosius nomine, et Feud ministerialis eiusdem ecclesie econtrario responderunt, dicentes, eam terram ex tempore antiquo dicte ecclesie semper fuisse, et sub pace et quiete absque contradiccione qualibet eandem possedissee. Nos uero partibus hinc et hinc auditis et de uerbo ad uerbum inter se altercantibus, cum nostris collateralibus ordine intelleximus iudiciario, quod si supranominatus A. canonicus cum memorato F. sacramentum prestare presumpserent, dictam terram ecclesia Strigoniensis obtineret; quod et fecerunt in nostra capella, ut mos est et consuetudo; et sic terra sepe nominata cessit in ius ecclesie prememoratae, perpetuo possidenda; aduersa parte confusa et conuicta remanente. Jmarado, filio Simun de uilla Seureg, pristaldo regis existente. Vt igitur huius cause decisio rata et stabilis semper perseueret, nec umquam, malicia hominum crescente, in irritum calumpniouse ualeat reuocari; presentem cartam sigilli nostri impressione

in noticiam deduci posterorum concessimus roboratam. Anno gracie M. CC°. XXX°. III°. Datum per manus Stephani magistri nostri Cancellarij.

E Nro. 365. — Ed. Cod. Strig. II. 42.

### 368.

1235. 11. Jul. — Abbas et Conventus Montis Pannoniae conqueruntur Gregorio PP. IX., quod cum latas in causis ipsorum ecclesiasticas poenas iudices per Ordinarios locorum observari demandent, „dicti ordinarii huiusmodi mandato recepto, non solum predictas sententias non observant; uerum etiam excommunicatos nuntiatos publice ac suspensos in suo errore confouent et defendunt.“ Papa ergo iniungit Archiepiscopo Strigon. et prelati provinciae suae, ut decetero eiusmodi sententias observent et observari faciant. — Datum Perusii V. Id. Jul., P. a. 9.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. I. 333.

### 369.

1235. 24. Aug. — Gregorius PP. IX. cum Archiepiscopo Strigon. super non admissa excommunicatione Regis Andreae, licet se minus canonice excusaverit, dispensat.

Gregorius — — Archiepiscopo Strigon. — — Non venit in dubium, qualiter ab olim in minori adhuc officio constitutus, sincerum gerens dilectionis affectum erga sedem apostolicam, matrem tuam, adeo apud eam devotionis merito profecisti, ut gratiam eius specialem merueris et ab ipsa multipliciter honorari. Sane cum — — Bosnensis Episcopus et college sui deputati essent a — — Prenestrino episcopo — — denuntiatores sententiarum suarum excommunicationis et interdicti, videlicet quas in — — Regem Ungarie promulgarat, tu — — proponens, quod paratus erat idem Rex satisfacere, cui imputandum non erat, si officiales ipsius in hoc fuerant negligentes, ac per hoc eundem ligatum non esse sententiis supradictis, cum tamen iam incurrisset easdem, prohibuisti ad sedem apostolicam appellando, ut denuntiatores ipsi ad denuntiationem procedere non deberent, sicque communicasti postmodum Regi predicto in coronatione Regine, et aliis ecclesiasticis sacramentis. — — Quare nos tibi — — mandavimus, ut aut dictis pareres sententiis, aut ad presentiam nostram accederes, tuam, si posses, innocentiam ostensurus.<sup>1)</sup> Cumque coram nobis te ni-

1) Vide Nrum. 361.



sus fueris excusare, et nos tibi plenam audientiam prebuerimus et benignam, tandem comperimus, excusationem tuam minus canonicam extitisse. Verum in die malorum immemores bonorum esse nolentes; cum etiam ex anteacta vita tua didicerimus, quid de te presumere debeamus, benigno intellectu credentes, quod non malitiose id feceris, sed simplicitate lapsus potius vel errore, dum verisimile non existit, quod in maturiori constitutus etate, fame prodigus esse debeas et salutis; tecum super hoc — — dispensamus, notam, si quam exinde contraxisti, — — remittentes. — — Datum Perusii IX. kal. Sept., P. a. 9.

Theiner Mon. Hung. I. 134., Katona Hist. Crit. V. 734., Fejér Cod. dipl. III. II. 450.

### 370.

1235. 31. Aug. — Gregorius PP. IX. Episcopo Bosnensi et ordinis predicatorum et fratrum Minorum prioribus Strigoniensibus mandat, ne sententias Praenestini Episcopi, in Andream Regem latas, sine speciali mandato suo promulgent. — Datum Perusii II. kal. Sept., P. a. 9.

Theiner Mon. Hung. I. 136., Fejér Cod. dipl. III. II. 451.

### 371.

1235. 17. Sept. — Gregorius PP. IX. causam Abbatis s. Benedicti de Gron contra Archiepiscopum Strigon. ob spolia commissa ad se deductam, terminari, aut remitti mandat.

Gregorius episcopus seruus seruorum dei. Venerabili fratri . . Episcopo Cenadiensi et Dilectis filiis . . Abbati belli fontis Cisterciensis ordinis, Colocensis diocesis et . . Preposito Baciensi Salutem et apostolicam benedictionem. Cum Venerabilem fratrem nostrum . . Tusculan. Episcopum Venerabili fratri nostro . . Strigon. Archiepiscopo et Jacobo Sindico dilectorum filiorum . . Abbatis et Conuentus Monasterij sancti Benedicti de Grana, Strigon. diocesis, apud sedem apostolicam constitutis, in causa, que inter eos uertitur, dederimus auditorem, coram eo Syndicus proposuit antedictus, quod cum quondam bone memorie J. predecessor ipsius Archiepiscopi Monasterium ipsum quibusdam nullis et pertinencijs, ac iuribus earundem, in quorum possessione uel quasi Monasterium extiterat, spoliauerit, uel mandauerit spoliari, iamdictus Archiepiscopus ea cum quadam terra, qua ipse de nouo spoliauit, uel spoliari mandauit Monasterium supradictum, uel spoliationem inde factam, ratam habuit, detinet et restituere contradicit. Ad que cum perceptis inde fructibus se idem sindi-

cus nomine abbatis et Monasterij restitui postulauit. Magister uero Albeus, eiusdem Archiepiscopi procurator, eundem reconueniens syndicum, ab auditore petebat eodem, Abbatem ipsum ab amministrazione predicti Monasterij penitus amoueri, tamquam qui nec postulatus, nec electus canonice, nec ab ipso Archiepiscopo aut de mandato suo confirmatus seu institutus fuerat in abbatem. Verum cum super hijs coram auditore prefato lis fuerit legitime contestata, nec super premissis potuerit apud sedem apostolicam de ueritate liquere; discretioni uestre per apostolica scripta mandamus, quatenus recepto hinc inde a partibus iuramento de ueritate dicenda, facientes eas proponendis hinc inde interrogationibus respondere; testes quos utraque pars coram uobis duxerit producendos, legitime recipere ac diligenter examinare curetis, causam ipsam, si de parcium uoluntate processerit, fine debito terminantes et facientes, quod decreueritis, auctoritate nostra firmiter obseruari. Alioquin eam sufficienter instructam, ad nostram presentiam remittatis, prefigendo partibus terminum competentem, quo nostro se conspectui representent, iustam dante domino sententiam recepture. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio uel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione cessante, cogatis ueritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hijs exequendis potueritis interesse, duo uestrum ea nichilominus exequantur. Nullis litteris ueritati et iustitie preiudicantibus, a sede apostolica impetratis. Datum Asisij XV. kal. Oct., Pontificatus nostri Anno Nono.

Tardior manus adiecit: Iste papa fuit anno 1241. — Bulla deperiit. Orig. in Arch. Aerarii Reg. Hung. Acta Eccl. Fasc. 25. Nro. 45. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 46. qui erronee XVI. kal. Oct. 1236. datum scribit; Theiner Mon. Hung. I. 136; Wenzel l. c. I. 342.

### 372.

1235. 26. Sept. — Gregorius PP. IX. ad querelam Praepositi Orodien-sis, „quod cum Prepositura sua Regalis existat, ad nos in spiritualibus perti-nens pleno iure, — — Strigon. Archiepiscopus, qui non est diocesanus vel metropolitanus ipsius, iurisdictionem sibi tam in eius persona, quam dicta pre-positura usurpare contendens post appellationem ad nos interpositam, excom-municationis sententiam protulit in eundem;“ committit Abbati de Pelis et eius collegis, ut eundem Praepositum „recepta idonea cautione,“ absoluant et partibus terminum ad comparandum Romae praefigant. — — Datum Asisii VI. kal. Oct., P. a. 9.

Theiner Mon. Hung. I. 137., Katona Hist. Crit. V. 743., Fejér Cod. dipl. III. II. 457.

## 373.

1235. — Andreas II. litteras suas Nro. 375. exhibitas, novo sigillo suo confirmat.

Andreas, dei gracia rex Hungarie, Vniuersis xpi. fidelibus, presentem paginam inspecturis, Salutem et omne bonum. Cum ea, que regia confert uel confirmat auctoritas, legum imperatrix, salua semper et inconcussa permanere debeant in posterum; ad uniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod cum de adulteracione dupplicis sigilli nostri antiqui nobis liquido constiterit, propter quod ipsum in medium secari fecimus <sup>1)</sup> coram nobis; fratres Capituli Strigon. nobis litteras, sub eodem sigillo continentes, exhibuerunt, humiliter supplicando, ut ipsas auctoritate renouati sigilli nostri dignaremur renouare. Nos uero petitionem dictorum fratrum fauore debito prosequentes, dictas litteras de uerbo ad uerbum, quarum tenor subsequitur, presenti pagine iussimus commendare:

Sequitur Nrus. 375.

Vt ergo tam predecessorum nostrorum liberaliter facta donacio, quam postmodum a nobis earundem confecta confirmacio salua semper et inconcussa permaneat in posterum; presentem paginam concessimus, dupplicis sigilli nostri munimine in perpetuum roboratam. Datum anno gracie M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XXX<sup>o</sup>.V. Regni autem nostri anno XXX<sup>o</sup>.II<sup>o</sup>.

Fragn. sigilli e roseo, flavo et caeruleo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 24. Fasc. 1. Nro. 5. — Ed. Fejér I. c. III. II. pag. 418.

## 374.

Sine dato. — Andreas II. villam Szebelléb Capituli Strigon. ab omni in Comitatu Hontensi tributo eximit.

A. dej gracia Hvngarie Rex, omnibus, ad quos littere presentes peruenierint, salutem. Vniuersitatj vestre significamus, quod considerata fidelitate Capitulj Strigon., villam Capitulj Strigon. in Hvntensi parrochia, que Scebehleb appellatur, ab omnj tributo exemimus in eodem comitatu. Qvare districte precipimus, quatenus nullus super hospites, uel alios homines eiusdem ecclesie, in eadem villa commorantes, tributum in aliquo foro, uel loco Huntensis comitatus recipere presumat; quod si fecerit, indignacionem regiam se nouerit incursum.

Sigillum e zona membr. pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 15. Fasc. 2. Nro. 9. — Ed. Cod. Strig. II. 25. — Diploma hoc, ut e Nro. 253. conicere licet, ca. a. 1222. editum fuerit.

1) Fejér: sequestari iussimus!



**375.**

... Andreas II. Capitulum Strigon. in tributo Strigon. confirmat.

Ego A, dei gracia Hungarie rex, uolens donaciones patris mei Bele et fratris mei Hemerici, felicis recordacionis regum, factas Capitulo Strigon. ecclesie, in tributo scilicet Strigon., firmas et illibatas conseruare, sicut in priuilegiis ipsorum continetur; hoc scripto, bulla regia <sup>1)</sup> roborato decerno, ut nullus se, uel suos occasione litterarum, in preiudicium predictarum donacionum a nobis impetratarum, a prestacione tributi penitus excuset, sed omnes inanes sint et sine firmitate.

E Nro. 373., e quo diploma hoc a. circ 1235. editum fuisse, conicere licet. — Ed. Fejér l. c. III. II. pag. 419.

**376.**

... Andreas II. super conditione terrae Ziman inquiri iubet.

Andreas dei gracia Rex Hungarie, fidelibus suis Abbati et Conuentui ecclesie sancti Benedicti de iuxta Goron salutem et gratiam. Fidelitati uestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus detis uestrum testimonium fidedignum, coram quo comes Iwanka de Barahca, homo noster, accedendo super faciem terre Ziman uocate, quam Paulo filio chellei, Yzoth cum fratribus suis, et Stephano similiter cum fratribus suis dinoscimur contulisse, ab omnibus iobagionibus castri Borsiensis et specialiter a Zocho, utrum predicta terra Ziman sit castrensiu, aut iobagionu Castri, inquirat sub fide deo et Corone Regie debita omnimodam ueritatem, et secundum quod uobis ueritas constiterit, nobis fideliter rescribatis. Datum in Zolum feria quarta proxima ante Dominicam Reminiscere.

Sigillum margini exteriori fuit appressum. Originale in Arch. Cap. Strig. publ. Capsa 8. Fasc. 5. Nr. 1. — Est scriptura testante Andreae II. Regis.

**377.**

... Vestigium litterarum Andreae II. super libertatibus Nobilium Archiepiscopalium.

Boleslaus Archiepiscopus Strigon. confirmans litteras Lodomerii Archiepiscopi et transuntum Thomae Archiepiscopi, haec profert:

1) Fejér: aurea!

Cum etiam nos ad hoc inducat demonstratio litterarum domini Andree, felicis recordacionis, filij Bele, quondam Regis Hungarie, priuilegialis, continens libertatem predictam eorundem.

E transunto Joannis Archiepiscopi Strigon. a. 1394. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. R. Fasc. 1. Nro. 8.

### 378.

1235. 14. Oct. — Robertus Archiepiscopus Strigon. Belam IV. Regem coronat.

Bonae memoriae rege Andrea, genitore istius Belae regis, mortis debitum persolvente, subito rex cum regni principibus et nobilibus venit Albam regiam civitatem, et ibi — per manus Strigon. Archiepiscopi, prout moris est, regali diademate exstitit coronatus.

Rogerus Carmen Mis. cap. 4. — Diem coronationis adnotat Thuróczi Chron. II. c. 74.

### 379.

1235. 13. Nov. — Jurisdictio Archiepiscopi Strigon. in terra Bárca.

Gregorius — — Episcopo Cumanorum et — — de Bethleen Ultrasilvane diocesis et Cenadiensi Prepositis. — — In presentia — — Prenestrini episcopi, dum in partibus Ungarie legationis officio fungeretur, — — Episcopo Ultrasilvano contra Leonem de Dubucha, Gotfridum de Aqua calida, Nicolaum de Cormosbach, Conradum de Venetiis, Bernardum de Debran, Hermannum et Gerlacum sacerdotes de Sarcam, Ultrasilvane diocesis, <sup>1)</sup> — — deponente super obedientia et reverencia questionem, ad quas sibi prestandas eos candempnari petebat, — — idem legatus, antequam imponeret finem negotio, ad sedem apostolicam est reversus. Procuratoribus igitur partium propter hoc in nostra presentia constitutis, eundem Prenestrinum dedimus auditorem. Idem — — predictos sacerdotes eidem episcopo in predictis — — condempnavit, a qua cum ex parte — — Archiepiscopi Strigon. fuisset ad nostram audientiam appellatum, nos magistro Albeo suo et J. Archidiacono de Tilled partis alterius procuratoribus, O. s. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem auditorem duximus concedendum, coram quo magister proposuit memoratus, pre-

1) Hi in aliis huius anni 8 Nov. signatis litteris „Decanus et sacerdotes de terra Burze“ vocantur. Ib. 138.

missam sententiam in grave ipsius Archiepiscopi et ecclesie sue preiudicium esse latam, cum iidem sacerdotes sibi et eidem ecclesie iure diocesano, nullo medio, sint subiecti, ac in eorum possessione vel quasi subiectionis iidem archiepiscopus et ecclesia existere dinoscantur; — — procuratore partis alterius id negante; — — discretioni vestre — — mandamus, quatenus — — causam — — terminetis, alioquin — — sufficienter instructam, ad sedem apostolicam remittatis. — — Datum Viterbii Idibus Nov., P. a. 9.

Theiner Mon. Hung. I. 139., Wenzel l. c. II. 28.

### 380.

1235. 20. Nov. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopo Strigon., aetati suae compatiendo indulget, ne quis in eum sine speciali mandato ipsius, praeter legatum de latere, excommunicationis vel suspensionis sententiam valeat promulgare. — Datum Viterbii XII. kal. Dec., P. a. 9.

Theiner Mon. Hung. I. 139., Wenzel l. c. II. 31.

### 381.

1235. 20. Nov. — Gregorius PP. IX. demandat „Episcopis et aliis ecclesiarum prelati et clericis provincie Strigon.“, ut „Strigon. Archiepiscopum cum ad vos causa visitationis accesserit, benigne recipere ac honeste tractare curetis, in hiis, que ad correctionem pertinent, officii sui debitum exercere ipsum libere permittentes; alioquin sententiam, quam idem rite tulerit in rebelles, ratam habebimus. — — Datum ut supra.

Theiner Mon. Hung. I. 140., Wenzel l. c. II. 32.

### 382.

1235. 22. Nov. — Gregorius PP. IX. Episcopo Waciensi, S. Thomae Praeposito Strigon. et collegis demandat, ut ad servandum arbitrium super certisdecimis inter Abbatiam Montis Pannoniae et Albensem ecclesiam per Praenestinum episcopum, Enoch fratrem ord. praedicatorum et quondam S. Archidiaconum Nitriensem, in quos partes compromiserunt, olim latum, inducant partes, alioquin Romam evocent. — Datum Viterbii X. kal. Dec., P. a. 9.

Theiner Mon. Hung. I. 140.



## 383.

1235. — Bela IV. Dionysio Magistro Tavarnicorum possessionem Tupulchan (Tapolcsán) conferens, sequentia memorat: „Nec hoc volumus silentio praeterire, quod Magister Domus hospitalis sancti Stephani de Strigonio antedictum Dionysium super possessione supradicta coram nobis et Baronibus nostris in causam trahere attemptaverit, allegans contra ipsum, quod memoratus Turda (qui possessionem hanc antea possidebat) possessionem praescriptam et quasdam alias Domui hospitalium contulisset. Verum quia collatio praedicta praeter nostram conscientiam et consensum, iuxta obtentam Regni nostri consuetudinem fieri non poterat, non debebat, et requisitio a nobis facta non fuit; memoratus Magister se deficere in eo cognoscens, cum praefato fidei nostro Dionysio composuit in hunc modum, quod tocien dicta possessio ipsi Dionysio, prout de iure debuit, perpetuo remaneat, alia possessio eiusdem Turde, nomine Chyphar, cum sex villis ad ipsam pertinentibus, Hospitali cedat antedicto; quam utique conventionem pro bono pacis, tum amore Domus hospitalium, quam dilectione speciali amplectimur, duximus admittendam. Super possessione Dionysio collata perpetuum ipsi Magistro et suis successoribus silentium de Baronum nostrorum consilio sententialiter imponendo.“

Fejér Cod. dipl. IV. I. 25.

## 384.

1236. 9. Maii. — Gregorius PP. IX. Praepositis maioris Ecclesiae et Sancti Thomae Strigon. iniungit, ut Abbatem Montis Pannoniae verbis suis, quibus Newronio et Anselmo „de Judaice prauitatis errore ad fidem conuersis orthodoxam“, „in quadam pecunie summa et rebus aliis promiserit, quoad vixerint, annis singulis prouidere“, stare compellant; ne „eos ad fidem Catholicam peniteat accessisse.“ — Datum Perusii VII. Id. Maii., P. a. 6.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. II. 41.

## 385.

1236. 24. Maii. — Gregorius PP. IX. iniungit archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi, ut nobilem virum Assanum, si a societate Vatacii excommunicati non recesserit, ac ab infestatione Latinorum non cessaverit, excommunicatum denuntient. — Datum Interamni IX. kal. Jun., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 144., Fejér Cod. dipl. IV. I. 45. — Assanus hic in aliis litteris eiusdem Gregorii dominus Blachorum et Bulgarorum nominatur. Theiner Ib. 155. 157.

## 386.

1236. Jun. — Iudices ad revocandas perpetuitates, in Dioecesi Strigon. constituti, partem terrae As, per Agazones regales de Lovász indebite occupatam, Capitulo Strigon. restituunt.

Robertus, dei gracia Strigoniensis Archiepiscopus, Sebes comes Nitriensis, Andreas ruphus, Zobozlaus, Mycche, Zochyt comites et alij coniudices eorumdem, a domino Bela illustri Rege Hungarie, ad revocandas perpetuitates in Strigoniensi Dioecesi constituti, vniuersis xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino ihesu xpo. Vniuersitatj uestre tenore presencium uolumus fierj manifestum, quod fratres Strigoniensis Capituli ad nostram accedentes presenciam, conquesti sunt nobis de Agasonibus domini Regis de villa Lowaz, dicentes, quod iidem agasones, destructis metis antiquis, terram ad quatuor aratra de terra Ass ecclesie Strigoniensis, contra deum et iusticiam abstulerunt. Nos igitur iuxta mandatum domini Regis, nobis iniunctum, sicut decebat, a nostris coniudicibus et a uicinis et conterminis dicte terre super hoc inquisita diligencius ueritate; quia constitit nobis per eosdem coniudices nostros et vicinos et conterminos predictae terre, ipsam terram esse et fuisse terram Strigoniensis ecclesie ab antiquo; per Alexandrum comitem, unum ex nobis, metas nouas, quas Agasones antedicti contra iusticiam erexerant, destruj fecimus et secundum metas ueteres per eundem comitem limitarij prenominatam terram et assignari et restituj ecclesie antedictae. In cuius Rei testimonium presentes dedimus litteras, nostrorum Sigillorum munimine Roboratas. Actum anno ab incarnatione domini M°.CC°.XXX°. Sexto. Mense Junio.

Sex sigilla e corrigiis pendebant, quorum primum superest quidem, sed extritum, in scuto praelatum sedentem exhibet, fuerit ergo Roberti Archiepiscopi. Orig. nitide exaratum, sed situ maculatum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 41. Fasc. 1. Nro. 5. — Extr. Fejér Cod. dipl. IV. I. 67. Ed. Cod. Strig. II. 43., Wenzel l. c. VII. 21.

## 387.

1236. 8. Aug. — Gregorius PP. IX. nobilem virum Zibisclaum Kenesium de Woscora, natum quondam Stephani Bani de Bosna, qui inter principes Bosnensis diocesis, infectos macula heretice prauitatis, existit quasi lilium inter spinas, in suam protectionem recipit, ac Archiepiscopi Strigon., episcopi Quinqueecclesiensi et Praepositi Strigon. protectioni committit. — Datum Reate VI. Id. Aug., P. a. 10.

Eodem die Ancillam, relictam praedicti Stephani Bani, pariter in suam

protectionem recipit, ac Archiepiscopo Strigon. et eius collegis supradictis comendat.

Theiner Mon. Hung. I. 147. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 37.

### 388.

1236. 25. Aug. — „Alexander et Johannes, Canonici Waradiensis ecclesie suo et maioris ac sanioris partis Capituli nomine,“ in praesentia Papae constituti, proposuerunt, „quod cum ipsa ecclesia pastoris solacio destituta, iidem magistrum Primogenitum subdiaconum (papalem) elegissent sibi canonice in pastorem, quidam de Capitulo post electionem ipsam B. lectorem Strigoniensem, excommunicatum et alias ad episcopale onus indignum, eligere presumpserunt, idemque electione sua per quasdam litteras surrepticias, confectas nomine Capituli, per — Colocensem Archiepiscopum, loci Metropolitanum, perperam confirmata, in eandem ecclesiam per laicalem potentiam faciens se intrudi et amministrationi eius se ingerens impudenter, temere impedivit, ne dictus magister ab eodem Archiepiscopo confirmationis gratiam obtineret, propter quod iidem Canonici ad Papae duxerunt audientiam appellandum, quorum appellatione contempta, quia intruso ipsi nolebant intendere, sicut etiam nec debebant, fuerunt bonis omnibus spoliati.“ Gregorius igitur PP. IX. inquisitionem in causa hac diutius iam agitata <sup>1)</sup>, Episcopo Quinqueecclesiensi et collegis eius committit. — Datum Reate VIII. kal. Sept., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 148. Extr. Pray Hierarchia II. 164., Keresztury Comp. Descriptio Episc. M. Várad. I. 124., Fejér Cod. dipl. IV. I. 38. — Multa hic exaggerata esse inde liquet, quod Benedictus hic Episcopatum ab 1230—1243. retinuerit, quo anno Jauriensem sedem obtinuit.

### 389.

1236. 29. Aug. — Robertus Archiepiscopus Strigon. dispositionem Belae IV. Regis, qua constructo a se Monasterio Belae fontis Patronatum Ecclesiae s. Gerardi de parvo Pest contulit, ad preces eiusdem Regis his verbis confirmat: „Nos igitur ad huiusmodi piae petitionis et devotae eiusdem Domini Regis Belae instantiam inclinati, — saepe dictam Ecclesiam B. Gerardi M. de parvo Pest, seu Creynfeld, ad nostram et ecclesiae nostrae Strigon. iurisdictionem ac institutionum immediate et per omnia pertinentem, cum uni-

1) Vide Num. 332.



versis decimis suis maioribus et minoribus, aliisque proventibus suis, necnon duabus capellis suis, S. Andreae de Sassad et S. Martini de Ewrs Ecclesiis magistralibus, cum consensu et beneplacito capituli nostri Strigon., contulimus ipsi monasterio Belae fontis ad sustentationem Monachorum — —, salvo iure institutionis nobis et ecclesiae nostrae Strigon. remanente; ut videlicet Sacerdos, qui in ipsa Ecclesia B. Gerardi M. divina officia plebi celebrare, ac Sacramenta Ecclesiastica conferre debeat, ad presentationem Abbatis et fratrum dicti monasterii Belae fontis, per Strigon. Archiepiscopum confirmetur et ei de cura plebis in Spiritualibus respondere teneatur. Datum — — in Ecclesia b. Adalberti (seu Strigonii) quarto kal. Sept.“

Fejér Cod. dipl. IV. I. 60.

### 390.

1236. 3. Sept. — Gregorius PP. IX. Praeposito s. Thomae Strigon. et collegis suis mandat, ut Praepositum et Capitulum Csanadiense ob iniurias, monasterio Bistriensi illatas, ad sedem apost. venire compellant. — Datum III. Nonas Sept., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 149., Wenzel l. c. II. 51.

### 391.

1236. — Dionysius palatinus litem inter Praeposituram Dömösiensem et Casimirum, de terra Csepel per arbitrium compositam testatur.

D. dei gracia comes palatinus et comes Bychoriensis, vniuersis sancte matris ecclesie filiis, quibus presens patuerit, salutem et omne bonum. presencium noscat vniuersitas et tota futurorum discat posteritas, quod Job decanus ecclesie Dymisiensis, trahens in causam coram nobis Kazmirium, filium Pangracij, requirens ab eo terram in Chepel, quam frater eiusdem Kazmirij, Lampertus nomine, destructis populis dicte ecclesie, ut idem decanus referebat, in manu violenti abstulerat et detinuerat. Igitur die assignato inter eos, accedentes partes coram nobis, antequam proponerent, consueto iure bonorum pecierunt, ut si posset ratione preuia, viris probis mediantibus, formam agerent compositionis; quorum petitionem dum iustam agnouissemus et honestam, fauorabiliter annuimus, uerum eciam permisimus; qui tandem permissione a nobis facta, viris ydoneis interpositis, solito more virorum bonorum, in talem compositionem conuenerant: videlicet Jam dictus Kazmirius sepedicto

J. decano ecclesie Dymisiensis terram ad tria aratra, super qua lis orta fuerat, quam idem decanus ecclesie Dymisiensis esse asserendo requirebat, pro bono pacis, iusticiam pre oculis habendo, pacifice et cum gaudio, possidendam reliquit cum nemore et fluuio, cuius nomen ypul. prima igitur meta terre, ut pristaldo testante audiuius, incipit ab oriente in capite cuiusdam fluentis, ubi est puteus, et tenet metam cum terra alberti; et inde uadit ad magnam fossatam, et ibi sunt due mete cum eodem alberto. Item inde procedit iuxta viam, que ducit ad Lump to v, metis interpositis, et tenet metam cum predicto Kazmirio uersus meridiem; deinde protenditur ad partem occidentalem et (tenet metam) cum Lump to v. Item deinde protenditur ad vallem, que Feneozou nuncupatur; et inde relicta meta Kazmirij, tenet cum (?) villa Zethelh, inde progreditur per dictam vallem ad fluuium (Ypul) et transit fluuium, perueniens ad fenetum ecclesie dicte Dymisiensis, quod est in terra Kestus. Inde vero protenditur et tenet metam cum villa Tesa et dictus fluuius Ypul ex utraque parte pertinet iam dicte ecclesie Dymisiensi. Deinde per dictum fluuium Ypul redijt ad priorem metam, et ibi terminatur. Et ut hec coram nobis tam iuste et sollempniter facta compositio nullo tempore per aliquam violenciam false . . . possit infringi, litteris annotatam, sigilli nostri munimine fecimus perhemnari. Pristaldo nostro, Benedicto de villa Saard, inter eos existente. Datum anno uerbi incarnati M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XXX<sup>o</sup> sexto.

E transumto Capituli Strig. a. 1283. In. Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 70. Fasc. 1. Nr. 27. — Edidit Fejér l. c. IV. I. pag. 442. ad a. 1246.; tomo IV. III. pag. 552. autem ad a. 1240. Utrobique male. Licet enim in diplomate, humore corrupto, datum anni clare non appareat; sed vox „sexto“ omnino clare legitur; non ergo a. 1240. edita fuit, sed nec 1246, iam vel ideo, quia ut idem transsumtum testatur, Bela IV. a. 1240. transcripsit. Editum fuisse reuera a. 1236. id. docet, quod Dionysius hic, qua comes Bihariensis unico isto anno 1236. compareat. Vide Fejér l. c. IV. I. pag. 59.

### 392.

1236. — Capitulum Strigon. Episcopum et Capitulum Nitriense pro terra Apka Comiti Cazmerio predium Raich cessisse testatur.

Thomas prepositus Strigon. et eiusdem loci Capitulum, Omnibus, ad quos presentes littere peruenerint, salutem. ad uniuersorum noticiam tenore presentium uolumus peruenire, Quod Comes Cazmerius, filius Oliuerij de Raich, ab una parte, Item Dominicus custos et Fabianus lector Nitriensis ecclesie, cum litteris ipsius Capituli pro ipso Capitulo, et litteris domini Adam Episcopi pro se testimonium facientibus, parte ab alia, ad nostram personaliter accedentes presenciam, dixerunt per hunc modum, quod quia ipse Episcopus et Capitu-

lum ipsius terram pro equacia eorum utilem, ubi conseruare possent, non haberent; ideo cum ipso Cazmerio tale concambium fecissent, vt ipse Comes Cazmerius dedisset ipsis Episcopo et Capitulo terram suam Apka vocatam, iuxta Vag habitam, cum fluuio Vag, insulis et campis perpetuo iure, sicut ipse tenuit; ipse autem Episcopus et Capitulum, de permissione domini nostri archiepiscopi, quoddam predium ipsius Capituli Raich uocatum, in districtu trinchiniensi habitum, terre ipsius Cazmeri uicinum, dederunt ipsi Comiti Cazmerio per modum permutacionis, similiter cum omnibus suis pertinentibus (sic) perpetuo iure pacifice possidendum, tenendum et habendum. dedit eciam ipsi Capitulo terram suam Itou in additamentum dicti predij, uicinam terre Tardas keddi. Et ne processu temporum ipsum concambium aliququaliter in irritum ualeat retractari per quempiam, presentes litteras concessimus, sigillo nostro manimine roboratas. Datum per manus magistri Richardi lectoris. Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>.C<sup>o</sup>C<sup>o</sup>. tricesimo sexto.

A                      B                      C                      D

Sigillum e filis cannabeis pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. publ. Capsa 2. Fasc. 9. Nr. 1.

### 393.

1236. — Joannes Praepositus et Capitulum Psoniense testantur, quod cum Andreas Psoniensis Comes, filius Seraphini, vice Regis qualitates terrarum, in Comitatu Psoniensi constitutarum, iudicans, in causa villanorum de Monar, ac Monch Decani (Psoniensis?) suorumque fratrum, posterioribus super praedio Monar iuramentum imposuisset, ac Comes Buken pro fratre suo Comite Sebus, qua testis „in nostro monasterio“ iurare uoluisset; villani de Monor ab actione recesserint.

Wenzel l. c. VII. 25. — Joannes hic Praepositus pariter qualitate Judicis fungebatur; sic legitur in litteris Rolandi Palatini a. 1255: „Tempore reuocationis perpetuitatum in presencia Andree Judicis Curie domini Regis et Comitis Pson., Johannis Prepositi tunc temporis (anno scilicet 1236. supra notato) Psoniensis, iudicum a domino Bela Illustri Rege super iudicandis terris eiusdem (Pson.) Castri delegatorum.“ — lb. 398.

### 394.

1236. — Judices regii terram duorum aratrorum in Kovácsi abbati de Grón adiudicant.

Nos Judices terrarum comes Alexander, comes Zochet, Comes Benete et Ozyas archidiaconus Waciensis, constituti a domino rege Bela in



prouincia Borsiensi, notum facimus omnibus, presens scriptum inspecturis, quod yobagiones castri Borsiensis de villa Crusan, scilicet Pousa et sui consanguinei de eadem uilla, abbatem Cosmam ecclesie beati benedicti et yobagiones eiusdem ecclesie coram nobis in causam traxerunt, dicentes, ut in villa Cuahc, que est Sancti Benedicti, terram eorum hereditariam ad duo aratra uiolenter occupassent. Dictus uero Abbas cum suis Jobagionibus eisdem contra dicens, nil Juris illos in predicta villa habere asserebat, quod et priuilegio eiusdem ecclesie coram nobis declarauit. Nos uero solo priuilegij non contenti testimonio, decreuimus, scilicet (?) prefato Abbati cum duobus fratribus suis, quos aduersa pars eligeret, super librum regularum sancti Benedicti manus inponentes, sacramentum deo prestare indiximus et duobus Jobagionibus dicte ecclesie super predicta terra stantes et terram supra capita eorum ponentes, Juramentum ad iudicauimus, qui etiam in die Juramenti secundum nostram censuram manifeste sacramentum deo prestiterunt et suos aduersarios, scilicet pousam et suos cognatos iniuste dixisse cognouimus. Idcirco dictam terram sepe dicte ecclesie cum metis assignantes restituimus. Ne autem in posterum super hoc aliquis processu temporum lites ualeat excitare, ad preces sepe fati abbatis et Jobagionum eius Litteras presentes sigillorum nostrorum munimine roboratas, concessimus. Anno uerbi incarnati. M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXX<sup>o</sup>. VI<sup>o</sup>.

E corrigiis quatuor sigilla pendeant, quorum secundi fragmentum solummodo superest. Orig. in Arch. Cap Strig. priv. Lad. 2. Fasc. 1. Nr. 17. — Ed. Cod. Strig. II. 44., Wenzel l. c. VII. 26.

---

### 395.

1236. — Comes Bors de genere Miskoch, monasterio suo s. Mariae de monte inter caetera confert „terram quandam in Strigonio iuxta s. Paulum cum seruo scilicet Cosma, cum uxore et filiis.“

Fejér Cod. dipl. IV. I. 62.

---

### 396.

1237. 24. Jun. — Bela IV. Rex Abbatiae Belae fontis, per ipsum fundatae, inter caetera contulit „de consensu venerabilis patris Roberti Strigoniensis Archiepiscopi plebanias utriusque Pesth, cum patronatibus et omnibus

proventibus in decimis maioribus et minutis et capellis. — Datum in Sebus VIII. kal. Jul.“

Wenzel l. c. VII. 30., Extr. Fejér Cod. dipl. IV. I. 68. — Vide Nrum. 389.

### 397.

1237. 17. Sept. — Gregorius PP. IX. litem inter Archiepiscopum Strigon. et Abbatem s. Benedicti de Gron definiri iubet. — Datum Assisii XV. kal. Oct., P. a. 11.

Extr. Fejér IV. I. 96.

### 398.

1237. 29. Sept. — Bela IV. J(oanni) Praeposito et A(ndreae) Comiti Poson. dedit in mandatis diligenter, vt in sua fide, qua Deo et ei tenentur, studerent intimare, quantum terrae Saulo, filio Joannis de Insula (Csallóköz) esset relicta de sua et suorum coiudicum conscientia. — Datum in Zotmar — — III. Kal. Oct., a. Regni 3.

Andreas Comes describens terrae huius metas, inter caetera dicit: „populi Archiepiscopi Strigon. et ville Thimothei existunt infra terram Sauli et castrensium de Samud.“ Wenzel l. c. VII. 34. 48.

### 399.

1237. 10. Nov. — Bela IV. collationem vinidatorum, ab Emerico Rege Archiepiscopo Strigon. factam, confirmat.

BELA, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Cumanieque Rex. Vniuersis xpi. fidelibus, presentem paginam Inspecturis, Salutem in uero omnium salutari. Et si quibuslibet bene meritis liberalitate regia donatum, irretractabile debeat perdurare; ea tamen, que in pios usus conferuntur, firmiori debent stabilitate roborari, cum is, cuius intuitu hec collata dinoscuntur, cum multiplicato fructu redditurum se promittat. Hinc est, quod ad uniuersorum noticiam, presencium ac futurorum, harum tenore uolumus peruenire, quod cum nos disposicione diuina regni regimine per successionem ad nos deuoluto, superfluas et inutiles quo-

rundam antecessorum nostrorum donaciones de communi baronum nostrorum, ac tocius regni nostri consilio, decreuissimus reuocandas, regnum nostrum in eum statum, in quo fuerat tempore felicis memorie Bele regis antecessoris nostri, reducendo; inuenimus inclite recordacionis regem Hemericum, antecessorem nostrum, quosdam homines, in comitatu Symigiensi constitutos, quorum nomina subscribentur, cum terris, vineis et omnibus bonis suis Archiepiscopatu Strigon. contulisse; Ita, ut ijdem homines annis singulis de singulis mansionibus Quinquaginta Cubulos vini archiepiscopo Strigon. dare teneantur, sicut eciam prius, quam ecclesie <sup>1)</sup> essent collati, ad usum regium tantumdem consueuerunt ministrare. Nos itaque considerantes, donacionem predictam iustam esse et legitimam, eam duximus approbandam et auctoritate regia confirmandam. Nomina autem ipsorum, sicut per venerabilem patrem Robertum archiepiscopum Strigon. percepimus, sunt hec: In villa Lula: Dyonisius, Jelian, Kesereu, Pousa, Sumug, Johannes, Cheke, Marcellus, Chomothey, Wilma, Phylteu, Mathey, Chuna, Chegzev. In villa Egris: Chipeu, Chapa, Hyuotol, Paulus, Chepanus, Stephanus, Hoyon, Phicke, Thek, Gob, Scim, Lath, Chod, Marcellus, Petha, Martinus, Scimche, Moch, Martinus, Symonus, Ayandukh. In villa Copul: Sykes, Paul, Chema, Domud, Matha, Syka, Choboz, Moch, Gabsa. Vt igitur huius nostre confirmacionis series salua semper et inconcussa permaneat, nec possit ab aliquo in posterum retractari, presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine in perpetuum roboratas. Datum in Zoulum Anno ab Incarnacione domini Millesimo CC<sup>o</sup>. XXX<sup>o</sup>. Septimo. Quarto Idus Novembris. Regni autem nostri anno Tercio.

Sigillum detritum e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. fasc. 1. Nro. 3. — Edidit Fejér <sup>1)</sup> l. c. IV. I. pag. 71.

---

400.

1237. 19. Nov. — Bela IV. Capitulo Strigon. terras Ságh et Ebed, ab Andrea II. collatas, denuo confert.

Bela dei gracia Rex Hungarie, Omnibus presentes litteras inspecturis, salutem in vero salutari. Ad noticiam vniuersorum, tam modernorum, quam futurorum, Harum serie uolumus peruenire, quod cum diuina fauente gracia per successionem paternam regni regimine ad nos deuoluto, su-

---

1) Fejér haec ita legit: qui Episcopis Quinqueecclesiae!..



perfluas et illicitas donationes perpetuitatum reuocaremus; quia ecclesiam Strigonesem in omnibus, in quibus possumus, diligere intendimus, duas terras castri, nomine Sag et Ebed, quas pie memorie Andreas Rex, pater noster, antea prefate ecclesie contulerat, nos cognita quantitate et qualitate illarum, per Lucam, comitem de Hunth, fidelem nostrum, terram Sag, ad castrum Hunth pertinentem, que potest sufficere usui duorum aratorum et dimidij, et locum molendini super aquam Ipul et fenetum; Terram uero Ebed, ad castrum Golgouch pertinentem, ad octo aratra sufficientem, et fenetum in septuaginta iugeribus, et piscinam cum loco piscature, quod wlgō Tona dicitur, et insulam communem cum alijs multis, ubi sunt virgulta et viginti septem piri siluestris arbores, ab illis castris exemptas, eidem ecclesie contulimus, iure perpetuo possidendas. Vt igitur Huius nostre concessionis series salua et inconcussa permaneat; presentem paginam dupplicis sigilli nostri munimine duximus roborandam. Datum in Zoulum, Anno dominice Incarnacionis Millesimo ducentesimo Tricesimo Septimo, Tercio decimo kalendas decembris. Regni autem nostrj anno Tercio.

In imo complicatae membranae margine hae voces leguntur: Bocha, Cel, Tyan, Pycusd, Buczar, Boxa, Nicolaus, Hete. Vide Nr. 410. — Fragm. Sig. e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 27. fasc. 1. Nro. 1. — Ed. Cod. Strig. II. 45., Wenzel l. c. VII. 32.

---

#### 401.

1237. 20. Nov. — Bela IV. terciam partem tributi trium villarum Abbatiae s. Benedicti de Grón restituit.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie Chroacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus xpi. fidelibus, paginam presentem inspecturis, salutem in vero salutarj. Ea, que legitime ordinantur, firma debent et perpetua permanere et ne in recidiue questionis scrupulum relabantur, auctoritate regia conuenit communirj. Hinc est, quod ad vniuersorum noticiam harum tenore uolumus peruenire, quod accedentibus ad presenciam nostram abbate et conuentu monasterij sancti Benedicti de Grana, grauem eorundem recepimus querimoniam contra comitem nostrum de Zolum super eo, quod idem terciam partem tributi de tribus uillis, Geznecha scilicet, Gelednek et Cristur, ad ipsorum monasterium pertinentem, occasione duarum parcium eiusdem tributi, que ad nos pertinent, sibi usurparet. Cum ergo nobis constitisset ad plenum, terciam partem memorati tributi ad Monasterium antefatum pertinere; eidem duximus restituendam, iure perpetuo, quiete et pacifice ab eodem possidendum. Vt ergo memorata restitucio, legitime facta, salua semper et inconcussa permaneat, nec possit ab aliquo inposterum

iam tociens dictum monasterium inquietari super ipso, seu molestari; presentes, in perpetuam rei firmitatem, litteras duximus concedendas, duplicis sigilli nostrj munimine perenniter roboratas. Datum in Zolum Anno gracie Millesimo CC<sup>o</sup>XXX<sup>o</sup> Septimo, XII<sup>o</sup> kalendas Decembris, Regni autem nostrj Anno Tercio.

Sig. e serico roseo et albo pendebat. Orig. pulchre exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40. fasc. 1. Nro. 8. — Ed. Cod. Strig. II. 46., Wenzel l. c. VII. 33.

#### 402.

1237. — Dionysius Palatinus terram Okol Benedicto filio Cena contra populos ecclesiae Strigon. de Parachan adiudicat.

D. dei gracia palatinus et comes de Zounuk, uniuersis, presens scriptum inspecturis, salutem in salute fidelium. Vestre Vniuersitati tenore presencium duximus significandum, quod cum Beneduc, filius Cena, de uilla Oquol, conquereretur domino Bele regi Illustri super destructione metarum sue terre hereditarie de Ocol per populos ecclesiae Strigon. de uilla parachan, dictus rex causam ipsius cum populis predictis nostro commisit iudicio uentilandam; citatis ergo eisdem populis ad nostram presenciam, Jobagiones ecclesie iamdictae, Jacob scilicet filius Sygart, et Mahias (sic) officialis Archiepiscopi iamdicti iuxta populos astiterunt, respondentes ipsas metas destructas per eiusdem Benedicti patrem, nomine Cenam, ui fuisse eleuatas, prius sibi ipsa terra uiolenter occupata, terra inquam quatuor aratorum, cum esset ecclesie, addentes, metas, que nondum sunt destructe, esse falsas et destruendas. Obiciente contra hoc Benedicto supradicto, quod ipsa terra inclusis sibi uineis et siluis et alia utilitate, sique ibi continentur, sua esset hereditaria et indebite metas sue terre fuisse destructas per populos supradictos, ipsa terra sibi cedente ex diuisione, que fieri consuevit per singulas generationes in Hungaria; et quod prefati iobagines terram ecclesie asserebant, interrogauimus, si super possessione ipsius terre, sicut ecclesie solent habere ex consuetudine antiqua, haberent priuilegium, quod combustum esse subiunxerunt. Auditis ergo partis utriusque allegationibus, adiudicauimus, ut testes adducerent. Ceterum in die, a nobis assignato, Benedictus testimonio sui generis et commetaneorum suorum, aliorumque proborum uirorum, eandem terram suam esse hereditariam honestissime comprobauit et metas super eam existentes, extra tenorem iusticie et indebite fuisse destructas et insuper ipse Benedictus de sua confidens iusticia, suscipiebat, quod si Robertus archiepiscopus Strigon. super fidem suam dicere presumeret, terram sepredictam in Ius ecclesie pertinere, ipse Benedictus a se deperire sustineret;

quod archiepiscopus facere recusasset, de testibus ipsius Benedicti octo homines ad prestandum sacramentum adiudicauimus, predictis iobagionibus suscipientibus, quorum nomina sunt hec: Tyburcius filius Forcos, quenez filius quenez, Cozma filius pauli, Elec filius Nicolai, Chuqram (?) comes, Bacha, Ipolt comites, Karachta, quos prestitisse sacramentum per litteras Capituli Nitriensis percepimus. Vnde ipsum Benedictum, tamquam in hac parte iustificatum, in possessionem eiusdem terre per nostrum pristaldum Gregorium filium Serephel de uilla Vecche, fecimus introduci, et quod nullus in hac parte eidem pristaldo, ut ipse nobis retulit, fuit contradictor, sepedicto B. ipsam terram statui fecimus perpetuo possidendam, quod aduersarij eorum conuicti fuerint in hac parte. Et ne huius rei series possit aliquatenus irritari, sed ut rata ac stabilis permaneat, presentes litteras concessimus, sigillo nostro munitas. Datum anno uerbi incarnati M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXX<sup>o</sup>. septimo.

Pars sigilli e flauo et caeruleo serico dependet, crucem duplicatam radiis corruscantem exhibens. Orig. in Arch. Cap. Strig. publ. Capsa 2. fasc. 9. Nr. 2.

## 403.

1237. — Dionysius Palatinus terram quandam „in introitu Kenesna cum Ticia per latitudinem et longitudinem dicte terre — — et lacum Miroht“ Abbati Montis Pannoniae adiudicat, eumque „per magistrum Albei Archidiaconum Nitriensem et Canonicum Strigon., domini Regis pristaldum“ introduci curat.

Wenzel l. c. II. 71.

## 404.

1238. 27. Jan. — Gregorius PP. IX. Strigon. et Colocensi Archiepiscopis et universis Hungariae episcopis mandat, „ut contra Assanum et terram suam predicent verbum crucis, illam cruce signatis, illuc in personis vel rebus laborantibus, indulgentiam concedentes, que conceditur transeuntibus in subsidium terre sanctae.“ — Datum Laterani VI. kal. Febr., P. a. 11.

Theiner Mon. Hung. I. 160. 161. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 103.



## 405.

1238. 20. Jan. — Bela IV. Rex Domui hospitalis Jerosolymitani de consilio et consensu Roberti Archiepiscopi Strigon. ac aliorum reditus ac terras quasdam, in specie autem „quaedam balnea communia in Strigonio, quae fecit fieri Avia nostra Domina Anna, secundum normam et libertatem a praedecessoribus nostris eidem domui super hoc concessam“, confert. Datum quarto Kalendarum Febr.

Fejér Cod. dipl. IV. I. 106. 109. et iterum IX. V. 153. e transumpto Ludovici Magni Regis a. 1377., sed hic erronee Belae III. attribuit.

## 406.

1238. 8. Aug. — Gregorius PP. IX. cum „Monasterium de Erche, ordinis s. Benedicti, situm in Insula loci secreti, quod ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, adeo sit in spiritualibus et temporalibus collapsum, quod nulla spes est de cetero, ut reformari in ordine suo possit;“ mandat Archiepiscopo Strigon. et Episcopo Perusino, suo legato, ut ordinem Cartusiensem in monasterium hoc inducant. -- Datum Anagnie VI. Id. Aug., P. a. 12.

Theiner Mon. Hung. I. 164., Wenzel l. c. II. 86.

## 407.

1238. 9. Aug. — Gregorius PP. IX. Belam IV. Regem postquam se accinxerit contra Assanum, sub protectione sacrae sedis suscipiens; demandat Archiepiscopo Strigon. et episcopo Waciensi, quatenus eundem a nemine permittant molestari. — Datum Anagnie V. (Id) Aug., P. a. 12.

Theiner Mon. Hung. I. 166., Wenzel l. c. II. 87.

## 408.

1238. 22. Dec. — Gregorius PP. IX. provocat Archiepiscopum Strigon. et suffraganeos eius, quatenus Episcopo Bosnensi, „paupertate nimia pregravato, cui plene legationis officium in diocesi Bosnensi commisimus, — —

subsidium, per quod super sollicitudine sibi credita effectum consequi valeat exoptatum“ impendant. — Datum Laterani XI. kal. Jan., P. a. 12.

Theiner Mon. Hung. I. 168., Fejér Cod. dipl. IV. I. 130.

---

409.

1238. — Bela IV. hospitibus de Szombat, seu Tirnavia, inter caetera concedit „liberam eligendi plebanum facultatem, quem Archiepiscopo Strigon. repraesentent, si idoneus fuerit, confirmandum; salvo in omnibus iure Strigon. ecclesiae super redditibus, quos de eadem ecclesia percipere consuevit.“

Fejér Cod. dipl. IV. I. 134.

---

410.

1239. G. Martii. — Bela IV. terras Sag et Ebed cum octo castrensibus Ecclesiae Strigon. denuo donat.

BELA dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Cumanieque Rex, Omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras Inspecturis, Salutem in vero omnium saluari. Ad noticiam vniuersorum, tam modernorum, quam futurorum, harum serie uolumus peruenire, quod cum diuina fauente gracia, per successionem paternam regni regimine ad nos deuoluto, superfluas et illicitas donaciones perpetuitatum reuocaremus; quia ecclesiam Strigon. in omnibus, in quibus possumus, diligere intendimus, duas terras castri, nomine Sag et Ebed, quas pie memorie Andreas rex, pater noster, antea prefate ecclesie contulerat, nos cognita quantitate et qualitate illarum, per Lucam comitem de Hynth, fidelem nostrum, dictam terram Sag, ad castrum Hunth pertinentem, que potest sufficere vsui duorum aratrorum et dimidij, et locum molendini super aquam Ypul, et fenetum, Terram uero Ebed antedictam, ad castrum Gologouch pertinentem, ad octo aratra sufficientem, cum octo mansionibus castrensi-um, ibidem existencium, quos eodem seruicio ecclesie Strigon. teneri deputauimus, quo castro tenebantur supradicto; ita tamen, quod eadem ecclesia eos uendendi, seu donandi, uel alio modo in aliquam personam transferendi non habeat facultatem. Fenetum eciam Septuaginta iugerum in eadem terra et piscinam cum loco piscature, quod wlgò Tognà dicitur, et insulam, communem cum aliis multis, ubi sunt uirgulta et viginti septem arbores piri siluestris, ab illis castris exemptas, eidem ecclesie contulimus, iure

perpetuo possidendas. Nomina uero supradictorum castrensiū sunt hec: Bothertha, Cel, Tywan, Pincusd, Bugar, Boxud, Hete et Nicolaus. <sup>1)</sup> Vt igitur huius nostre concessionis series salua et inconcussa permaneat, presentem paginam duplicis sigilli nostri munimine duximus roborandam. Datum Bude Anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XXX<sup>o</sup>. Nono, secundo Nonas Marcij, Regni autem nostri Anno Quarto.

Sigillum e viridi et roseo serico pendeat. Orig. pulcherrime exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 27. fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. II. 47., Wenzel l. c. VII. 66.

#### 411.

1239. 20. Apr. — Bela IV. Abbatiae Montis Pannoniae possessionem Sala contra iobagiones et ciuiles Posonienses adiudicat, „sub eisdem et cum eisdem metis, sicut etiam Petrus Comes de Zulgageur et Magister Petrus Hospitalium sancti Regis de Strigonio in litteris suis, quos nos ad inspiciendas metas predictae possessionis transmiseramus, nos certificarunt. — Datum Bude XIII. kal. Apr., a. Regni 4.“

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. II. 92—95.

#### 412.

1239. 29. Sept. — Bela IV. Rex Archiepiscopo Strigon. civitatem aquaticam construendi facultatem largitur, aliaque bona confert

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex. Omnibus chrifidelibus (sic) presentem paginam inspecturis, Salutem in eo, qui est omnium salus et uita. Effectum iusta postulantibus indulgere, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, presertim cum petencium uota et pietas adiuuat et iusticia non relinquit. Hinc est, quod ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire litterarum, Quod nos consideratis fidelitatibus et Seruicijs meritorijs Sancte matris Ecclesie Strigoniensis, que nos et nostros predecessores in omnibus Iuribus Regalibus et Reginalibus et superuenientibus necessitatibus contra omnes insultantes et infideles tyrannos fideliter fouit,

1) Vide Num. 400.



aluit, consuluit et defensavit toto posse cum opere subsecuto, a tempore sue prime fundacionis, maxime in Coronacione Regia Regnique adeptione, ac pro nostra et nostrorum successorum iniuria repellenda se et sua omni submittens fortune casui et perdicioni. Et cum predicta sancta Strigon. Ecclesia locum primatis in Regno nostro tenere dinoscatur, tam a beata sede apostolica, quam a sancto primo Rege Stephano, nostro progenitore, qui predictam sanctam ecclesiam fundavit, dotavit et libertatibus firmavit et stabilivit, ac servitorum amplitudine et multitudine dignitatum decoravit. Nos eiusdem vestigijs inherentes, aliquo donatio remunerationis et libertatis amplioris consecutione Archiepiscopum et ecclesiam suam Strigoniensem alijs preferre uolentes, prout fuit et est, has gratias speciales et donaciones ad presens duximus faciendas: Quod nullus tributarius in quibuslibet Comitatibus, uel partibus Regni nostri, cuiuscunque nomine ad exigendum sit deputatus, audeat tributum, seu theolonium, aut pedagium super populos Ecclesie predictae exigere, uel eosdem impedire cum eorum rebus mercimonialibus procedentes, qui si exegerit, uel impedierit, et per officiales Ecclesie ad nostram presenciam, uel Iudicis Curie nostre citatus fuerit, ablata restituat sine mora et decem marcas pro hirsagio nostro Iudici persolvere teneatur. Et si contrarium facere attemptaverit, tributum perdere dominus terre, probata exactione tributi et bonorum impedicione, Iudicetur, prout a sanctis Regibus hoc ab antiquo erat institutum. Item concessimus Ciuitatem archiepiscopalem construendam et congregandam in territorio suo sub Castro Strigon. et domo Archiepiscopali, ac forum fieri in eadem per totam diem Sabbati, Incipiendo a media die ferie Sexte immediate precedentis, cum foro cottidiano, ad quod forum omnes mercatores se cure ueniant et libere recedant factis suis mercacionibus, cum omnibus libertatibus, que congruunt Ciuitati, a parte Danubij, incipiendo a quodam fonte calido scaturienti, qui est sub Castro et fluit ad rippam fluminis Kysduna uocati, usque ad turrem archiepiscopalem, Veprech uocatam. Saluo foro et Iure Ciuitatis Strigon. et libertatibus sibi remanentibus. Cum Archiepiscopus Strigon. Ciuitate careat appropriata et sibi uicinanti, ubi famulorum multitudine se et Ecclesiam suam posset defensare. Item donauimus et tradidimus eidem ecclesie et archiepiscopato Strigon. pro remedio animarum parentum nostrorum et nostro quasdam terras seu possessiones nostras, cum suis seruitoribus, condicionarijs, retiferis scilicet et falconarijs, perpetuo et irreuocabiliter Archiepiscopo et Archiepiscopato Strigon., uidelicet Poonh, iuxta uillam Chethen, in Comitatu Nitriensi; Item fedemus iuxta harsan in Comitatu Kamariensi, et terram nostram, Oluar uocatam in Comitatu Borsiensi, iuxta possessionem ecclesie similiter Oluar uocatam adiacentes. Quas quidem possessiones seu terras, per nos ipsi Archiepi-

scopo et archiepiscopatu Strigon. cum omnibus suis utilitatibus et pertinencijs perpetuo traditas et collatas, ut premittitur, uolumus, ut nullus Archiepiscoporum processu temporum distrahere, uendere, mutare, seu quouismodo ualeat alienare, cum siut nostre elemosine speciales. Qui si quoquo modo alienauerit ex iisdem, pro non alienata, prout et nunc, sic extunc ex uigore presencium decernimus habituram, sed semper salue remaneant possessiones antedictae tam in toto, quam in parte, cum pertinencijs et utilitatibus earum uniuersis perpetuo et irreuocabiliter possidendum, Vt nostra donacio elemosinaria et libertatum collacio de memoria hominum non euellatur. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes concessimus, dupplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno domini Millesimo ducentesimo tricesimo nono, tercio kalendas Octobris, Regni autem nostri Anno quarto.

E transunto Mathiae Regis a. 1465. In Archivo Primat. Sec. Lad. A. Nr. 10. — Ed. Fejér Cod. dipl. IV. l. 152. 161., Teleki Hunyadiak kora XI. 106.

#### 413.

1239. a. 14. Oct. — Bela IV. Mathiae Curiali Comiti Archiepiscopi Strigon, ut seruitium suum commode obire possit, partem terrae Anyala restituit.

BEla dei gracia Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Omnibus xpi. fidelibus, presentem paginam inspecturis, salutem in eo, qui est salus omnium et uita. Effectum iusta postulantibus indulgere, tam uigor equitatis, quam ordo exigit rationis, presertim cum petencium uota et pietas adiuuat et iusticia non relinquit. Hinc est, quod ad uniuersorum, tam presencium, quam posterorum noticiam harum tenore uolumus peruenire, quod cum diuina fauente gracia per successionem regni regimen ad nos fuisset deuolutum, Iuuenimus quandam terram, nomine Anala, ad quinque aratra sufficientem, in comitatu de Kamarun existentem, ad castrenses de Zulga-geur et de Bana et ad castrenses predicti castri Kamarun communiter pertinentem, a Mathia Curiali comite Archiepiscopi Strigon. possessam, quam iudices nostri, ad reuocanda Jura Castrorum constituti, castris restituerunt antedictis. Verum quia idem Mathias comes propter terre defectum, seruicium, ecclesie Strigon. debitum, commode exhibere non poterat; nos propter fauorem ipsius ecclesie, terram vnus aratri et dimidij de terra supranominata sibi duximus relinquendam, quam eidem per fidelem nostrum Michaellem, prepositum de Itubuy fecimus assignari, certis circumquaque metis distinctam. Vt igitur hec nostra donacio nullis unquam temporibus in irritum ualeat reuocari, sed semper salua et inconcussa permaneat; ad ampliorem certitudinem

presentes in perpetuam rei memoriam concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine perpenniter roboratas. Datum Anno gracie M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XXX<sup>o</sup>VIII<sup>o</sup>. Regni nostri anno quarto.

Fragm. sigilli e flavo et albo serico pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. M. Fasc. 1. Nro. 1. — Ed. Fejér l. c. IV. I. pag. 156.

---

414.

1239. 2. Nov. — Robertus Archiepiscopus Strigon., baptizato Stephano V., moritur.

Natus est Regi Hung. filius masculus (Stephanus nempe V.), pro quo multae factae sunt supplicationes; de cuius pueri nativitate factum est festum congratulationis mirabile in festo b. Lucae (18. Oct.) et rex in maxima quantitate pecunias expendit et absque numero denarios seminavit et sparsit. Archiepiscopus autem Robertus Strigoniensis puerum baptizavit, quem Stephanum nominavit, ob memoriam s. Stephani primi, in partibus illis a b. Adalberto baptizati; qui Archiepiscopus senex et emeritus, peracta quindena, mortuus est et ad coelestia regna translatus.

Albericus Monachus Chron. ad. h. a. Vide Róka Vitae Vespri. Praesul. 131.; Schier Reginae Hung. 219.; Katona Hist. Crit. V. 862. — Quindena s. Lucae in 1. Nov. cadit, cum autem illam Robertus peregerit, mors eius ad 2. Nov., non autem ad 3. Nov., ut Róka habet, poni debet.

---

415.

S. a. — Robertus Archiepiscopus terram Bokonne, in Ducatu Sclavoniae sitam, ad personam acquirit.

Ipsa siquidem terra vacua quondam et deserta Martino Bano filio Waic ex predecessorum nostrorum donatione fuerat collata. Postmodum ad Robertum bonae memoriae quondam Archiepiscopum Strigon., et abhinc ad Posam Banum, a quo ad Ocuz Banum et ab illo ad karissimum fratrem nostrum Colomannum Regem et ducem Sclavonicae emptionis titulo exstitit devoluta.

E litteris Belae IV. a. 1245. Fejér Cod. dipl. IV. 1. 386.

---



## 416.

1239. 29. Nov. — Bela IV. Rex Mathiam episcopum Vaciensem in Archiepiscopum Strigon. confirmari petit.

Venerabili in Christo patri G. — — summo Pontifici, B. — — Rex Hungarie. — Vestram deprecamur Sanctitatem, quatinus intuitu beati Adalberti, sue et vestre Strigoniensi ecclesie consulendo et compaciendo, postulacionem Strigon. Capituli pro venerabili patre M(athia) Waciensi Episcopo, vobis ex communi et concordi consensu Capituli porrectam, sine suspicione alicuius scrupuli benigne admittatis. — — Novit dominus, quod ad hec petenda ista sola precipue nos inducant, quod dictum Episcopum fidelissimum invenimus et in omni negotio valde circumspectum et discretum; et preterea cum multis annis Cancellarius noster fuerit, scimus, quod ipse sit vite munde et honeste, et per ipsum et de ipso poteritis ecclesie Strigon., que pre ceteris ecclesiis regni nostri discreto et honesto indiget prelato, honeste ac utiliter providere. Datum anno gracie MCCXXXVIII. III. kal. Dec., Regni nostri anno quinto.

Theiner Mon. Hung. I. 172. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 159.

## 417.

1239. — Nicolaus Vice Judex Curiae particulam terrae Zampto, per Andream violenter occupatam, Ecclesiae s. Benedicti de Gron adiudicat.

Nos Nicolaus viceiudex aule regie significamus omnibus presentem paginam inspecturis, quod cum super septuaginta vel sexaginta vel paulo pluribus aut eciam paucioribus iugeribus terre, in villa Zampto existentibus, ac fossato antiquo circumdatis, abbas ecclesie Sancti Benedicti de Grana convenisset coram nobis andream filium Oltumani de Wagkuz, proponendo contra eum tali modo, quod cum ipsa ecclesia dictam terre particulam hereditario iure possedisset et super hoc Priuilegium haberet, ipse andreas eam uiolenter occupasset et occupatam pro sue detineret arbitrio uoluntatis. Ad que dictus andreas respondens, illam eandem terre particulam ad suum ius hereditarium pertinere asseribat. Nos igitur cum ordine iudicij exigente ipsi abbati ad exhibendum suum Priuilegium terminum competentem assignassemus, exhibuit ut debebat. Verum quia in illo Priuilegio mete aut termini illius terre non exprimebantur euidenter, ad maiorem huius rei euidentiam produccionem testium commetaneorum super certificatione metarum seu terminorum eiusdem terre per eundem abbatem censuimus faciendam. Quod cum sepedictus abbas elegantissime fecisset, iuxta nostri iudicij formam et processum quatuor de testibus productis, a parte ad-

uersa electos, super premissis ad prestandum duximus sacramentum iudicandos. Quo facto ipse andreas pro bono pacis ante receptionem sacramenti memorati multociens dicte terre particulam, ut superius tactum est, infra fossatum iacentem, dimisit ecclesie nominate, iure perpetuo possidendam. Pristaldo huius cause Martino de Damas iuxta fluium Goron existente. Vt autem huius rei series salua semper consistat et ne ab ullo unquam omnino hominum queat irritari, presentes concessimus litteras in argumentum amplioris fidei Sigilli nostri appositione communitas. Datum anno gracia M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.XXX<sup>o</sup>VIII<sup>o</sup>.

Sigillum e zona membranacea pendens in scuto ovali arborem, ut videtur, exhibet. Epigraphe: Sigillvm. Nicolai — — reliqua exesa. Originale characteribus minutis eleganter exaratum in Arch. Aerarii Regii Hung. Acta Eccl. Fasc. 24. Nro. 4. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 143. — Wenzel l. c. VII. 82.



## XXIII.

## MATHIAS.

1240. 6. Mart.—1241. Mart.

**M**athias in aula regia cum Bela IV. simul nutritus (Vide Nrum. 429.) e nobilissima certe domo prognatus, eiusdumque circiter cum eodem Bela aetatis, adeoque ca. 1206. natus fuerit. Ab anno 1224. Praepositum Zagrabiensem et Belae iunioris regis cancellarium egit. <sup>1)</sup> Bela regni regimine suscepto, officium Cancellarii Mathias noster retinuit. Ultra annum quidem 1235. non nominatur; <sup>2)</sup> sed cum Bela expresse dicat, eum multis annis Cancellarium suum fuisse (Vide Nrum. 416.), nec usque a. 1238. alter Cancellarius occurrat; <sup>3)</sup> officium hoc ad hunc usque annum retinuisse videtur, quo anno episcopus Vaciensis renunciatus est. <sup>4)</sup> A. 1239. 29. Nov. anno aetatis suae circ. tricesimo tertio, iam electus in Archiepiscopum Strigon. fuit (Vide Nrum. 416.), confirmatus a Papa 1240. 6. Martii (Vide Nrum. 418.), quae confirmatio 21. Mart. in Hungaria nondum innotuit, nam in diplomate regio hac die exarato Strigoniensis sedes vacare dicitur, Mathias autem adhuc episcopus Vaciensis et postulatus Strigoniensis scribitur. <sup>5)</sup>

---

1) Fejér Cod. dipl. III. I. 448. III. II. 253. 365.

2) Ib. IV. I. 27.

3) Ib. 110.

4) Ib. 111.

5) Ib. IV. III. 551.



## 418.

1240. 6. Mart. — Gregorius PP. IX. episcopum Vaciensem in Archiepiscopum Strigon. confirmat.

Gregorius — — Capitulo Strigon. — — Dilectos filios Prepositum de Scippis, Magistros Albeum Nitriensem et Nicolaum Gumuriensem Archidiaconos, Gerardum Plebanum de Banya et Ricardum Lectorem ecclesie Strigon., Concanonicos et procuratores vestros, — — benignitate recepimus consueta, et postulacionem, quam de — — M. Episcopo quondam Waciensi in Strigon. Archiepiscopum concorditer celebrastis, — — nobis per eos — presentatam, per fratres nostros examinari fecimus diligenter. eamque non duximus admittendam, quia ipsam constitit minus canonice celebratam. Ceterum attendentes, quod — — B. Ungarie et Colomanni Regum illustrium et aliorum fide dignorum testimonia de vita, conversatione honesta, litteratura et gravitate morum, eundem episcopum apud nos reddiderint quamplurimum commendatum, volentes etiam eidem ecclesie, tamquam speciali filie, uberiores gratias impertiri, ne remaneret diutius pastoris solacio destituta, ipsum — — vobis — — in patrem concessimus et pastorem; — — ad hoc — — nos palleum — — per procuratores eosdem — — Colocensi Archiepiscopo destinamus, — — per eundem — — iamdicto Episcopo conferendum. Ideoque universitatem vestram monemus — —, quatenus eundem patrem et pastorem vestrum, ad Strigon. ecclesiam accedentem, recipiatis benigne. — — Datum Laterani II. Non. Mart., P. a. 13.

Eodem die idem significat ipsi Archiepiscopo, provocans eum, quatenus humilitatem et iustitiam conservare et Strigon. ecclesiam, sponsam suam, sollicitè gubernare studeat.

Theiner Mon. Hung. I. 174. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 178.

## 419.

1240. 13. Mart. — Bela IV. Rex Woch agasonem regalem libertate hospitum regalium donat.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chroacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Omnibus xpi. fidelibus, paginam presentem inspecturis, salutem in uero salutari. Cum uirtus premio et fidelitas remuneracionis beneficio nullatenus carere debeant, tanto nos subditorum meritis fauorabiliter respondere intendimus, quanto nobis eosdem uolumus pleniori fidelitate indesinenter famulari. Eapropter ad uniuersorum noticiam presencium et posterorum harum serie uolumus peruenire, quod cum quidam nomine

Woch, de uilla Grabes, de iobagionibus agasonum nostrorum oriundus, ad castrum nostrum Poseniense pluribus retroactis temporibus se transtulisset causa hospitandi et nobis in ipso confinio regni nostri plurima studuerit seruicia fideliter et indesinenter exhibere, debitam sibi gratiam et liberaliter et libenter duximus impendendam, in eo videlicet, quod ipsum a debito conditionis supradicte penitus eximentes, tali donauimus libertate, ut decetero tam ipse, quam per ipsum ipsius heredes heredumque successores inter hospites regios computabiles habeantur, nec umquam in aliquo occasione pristinae conditionis respondere teneatur. Vt autem prefate status libertatis, de nostro approbatus et confirmatus beneplacito, perpetuitatis robur possit obtinere, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine perhenniter roboratas. Datum Bude III<sup>o</sup>. ijdus marcij. Anno gracie Millesimo Ducentesimo Quadragesimo. Regni nostri anno Quinto.

Sigillum ex albo serico pendeat. Orig. atro caractere nitidissime exaratum in Archivio Cap. Poson. publico Capsa 14. fasc. 7. Nr. 9.

---

420.

1240. 21. Mart. — Bela IV. „singulis annis in Assumptione B. Mariae, de Camera nostra apud Strigonium centum marchas argenti“ pro expensis Capituli Generalis Ordini Cisterciensi solvendas promittit. — Datum XII. kal. Apr.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 551.

---

421.

1240. 9. Aug. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopum Strigon. „quia grandes apostolice sedis eventus et casus te ignorare non convenit, tamquam necessarium matris ecclesie munimentum,“ ad proximum festum Resurrectionis dominicae Romam evocat. Praeterea committit, quatenus suffraganeorum suorum Capitulis, Abbatibus et Praelatis aliis suae provinciae, qui specialiter non vocantur, iniungat, ut fideles nuntios mittant. — Datum apud Criptam ferratam V. Id. Aug., P. a. 14.

Idem eidem iniungit 15. Oct.

Theiner Mon. Hung. I. 179. 180.

---

## 422.

1240. 15. Nov. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopo Strigon. eiusque collegis demandat, ut Primogenito Varadiensi electo, viam universae carnis ingresso, Benedictum, qui pro Waradiensi se gerit Episcopo, cum penitus non sit sustinendum, „quod aliquis per surreptionem episcopalem obtineat dignitatem,“ peremptorie Romam evocent. — <sup>1)</sup> Datum Laterani XVII. kal. Dec., P. a. 14.

Theiner Mon. Hung. I. 177. — Extr. Pray Hierarchia II. 165. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 183.

## 423.

1240. — Vincentius Nitriensis Archidiaconus (Canonicus Strigon.) super metis praedii Sarfew litteras Belae Regi mittit.

Fejér Cod. dipl. V. I. 307. Tenor harum litterarum desideratur.

## 424.

1241. 12. Febr. — Gregorius PP. IX. Joanni de Civitella Capellano suo facultatem concedit, vota Crucesignatorum „in defensionem ecclesie contra Fredericum Imperatorem“ commutandi, ac ipsis et reliquis redimentibus vota sua, dummodo expensas, quas facturi essent eundo in terram sanctam, manibus eius et Abbatis de Pelis et Benedicti Canonici Strigon. assignent, veniam peccatorum, „que predictae terre succurrentibus in generali concilio est concessa,“ indulgendi. — Datum Laterani II. Idus Febr., P. a. 14.

Theiner l. c. 178., Wenzel l. c. II. 130.

## 425.

1241. 25. Febr. — Gregorius PP. IX. quia „transmissa nobis dilectorum filiorum Capituli Albensis Ecclesiae, ad nos nullo medio pertinentis, petitio continebat, quod nuper Albensi Praepositura vacante, ipsi, sicut moris est, a — — rege Vngariae illustri petita licentia et obtenta, Magistrum Benedictum

1) Vide Num. 388.



Budensem Praepositum, virum utique litteratum, providum et honestum, Aulae Regiae Cancellarium, — — habita concessione — — Archiepiscopi Strigon., a quo postularunt eundem, in Albensem Praepositum elegerunt, electionem hanc, si canonice celebrata fuit, confirmari praecipit. — Datum Laterani V. kal. Mart., P. a. 14.

Fejér Cod. dipl. IV. I. 215. — Benedictus hic tardius Archiepiscopus Strigon. factus est.

#### 426.

1241. 26. Febr. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopum Strigon., non acceptata eius excusatione, denuo ad concilium evocat.

Gregorius — — Archiepiscopo Strigon. — — Virum secundum cor nostrum te invenisse credentes, ac letari posse in te, tamquam in Romane ecclesie filio speciali, Strigon. ecclesiam, nobile quidem ecclesie Dei membrum, tibi fiducialiter duximus committendam, sperantes, quod in partem sollicitudinis evocatus, sic nobiscum ingruente necessitate onera partireris, quod gloriari possemus, nos vinee domini sabaoth profecisse cultorem utilem. — — Sed quod non sine turbatione referimus, — — in instantis necessitatis articulo eidem ecclesie — — obsequium tue devotionis subducis. — — Licet igitur super excusatione tua de non veniendo ad concilium, dudum quasdam nobis litteras destinari et nos tibi super hoc, prout expedire vidimus, duxerimus respondendum; quia tamen eadem nuper per alias litteras tuas <sup>1)</sup> nostris auribus inculcasti, quasdam difficultates et viarum pericula in eisdem litteris exprimendo, cum iam per Dei gratiam ita de via — — congrue sit provisum, quod per loca discriminis — — habere transitum nullatenus oportebit — —; volumus, — — quatenus iuxta primi mandati nostri tenorem venire ad concilium non postponas. Datum Laterani IV. kal. Mart., P. a. 14.

Theiner Mon. Hung. I. 182. Extr. Katona Hist. Crit. V. 899., Fejér Cod. dipl. IV. I. 209.

#### 427.

1241. 26. Febr. — Gregorius PP. IX. Archiepiscopo Strigon. reformationem monasteriorum ordinis s. Benedicti suae provinciae mandat.

Gregorius — — Archiepiscopo Strigon. — — Sua nobis — — Ungarie

1) Hae tres litterae hucdum latent.

rex illustris petitione monstravit, quod in Monasteriis Strigon. provincie, ordinis s. Benedicti, ad tuam iurisdictionem spectantibus, in quibus idem Rex ius optinet patronatus, — — usque adeo excreverunt tribuli vitiorum, quod Monachi habitantes in ipsis, tamquam scurre vagantes, regularis refuge discipline, vitam ducunt omnimode dissolutam — —, propter quod in contemptum habentur ab omnibus et derisum. — — Mandamus, quatenus personaliter accedens ad Monasteria supradicta, eisdem officium visitationis impendens, corrigas et reformes. — — Si vero non possint de dicto ordine aliquatenus reformari, illa de Cisterciensi vel Premonstratensi ordine reformare procures. — — Datum Laterani IV. kal. Mart., P. a. 14.

Theiner Mon. Hung. I. 179. — Katona Hist. Crit. V. 898. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 208.

---

428.

1241. initio Mart. — Bela IV. Rex cum exercitu, contra Tartaros Strigonii congregato, Pestinum transit.

Venit Colomannus Rex frater eius (Belae IV.) cum omni potentatu suo venerunt et Praesules Vngariae, qui et ipsi non contenti sobriam ecclesiasticae moderationis habere familiam, imo prae divitiarum magnitudine, magnas militum acies ducitabant. Affuit Mathias Strigoniensis, accessit Hugrinus Colocensis Archiepiscopi, unaque cum suffraganeis suis, quos sequuta est magna multitudo Praelatorum et religiosorum, quasi oves ad victimam. — — — Exeuntes autem a Strigonii partibus, transierunt Danubium et venerunt versus Pestum, quae erat maxima villa.

Thomas Archidiac. Hist. Salonitana c. 37. — Magister Rogerius coaevus haec ita: „Ipse enim (Rex) de Strigoniensi et Albensi civitatibus, quae ad unam tantum diaetam distabant, exercitu congregato, confestim transivit Danubium et in magna et ditissima theutonica villa, quae Pesth dicitur, Bude opposita ex altera parte Danubii, moram traxit, suos ibidem cum exercitu expectans principes, comites et barones.“ Carmen Miserabile c. 16.

---

429.

1241. post 17. Mart. — Mathias Archiepiscopus et Albertus Archidiaconus Strigon. in praelio ad fluvium Sajó cum Tartaris inito strenue pugnantes occumbunt.

Maiores tamen de clericis cecidere Mathias Strigon. Archiepiscopus, quem rex tum propter fidelitatem, tum quia insimul nutriti erant, magis diligebat et

eius consiliis magna sub confidentia in rebus arduis utebatur. — — Magister Albertus Strigon. Archidiaconus, qui circa fluentia iuris prelati, alios meruit edocere; ipsorum quoque corpora diris mucronibus taliter sunt mactata, quod post recessum eorum, quanquam multum exquisita fuerint, nequierunt ullatenus reperiri.

M. Rogerius Carm. Mis. c. 30. — Mathiam Archiepiscopum in proelio hoc occubuisse etiam Thomas Archidiac. testatur c. 37. — Fejér illum post cladem hanc cum Archiepiscopo Colocensi fugientem, obvia palude absorptum ait. Cod. dipl. VII. V. 270.

Esztergom-Budapesti Főegyházmegye  
Esztergomi Érseki Levéltár



## XXIV.

## VACAT SEDES.

1241. Mart. — 1243. 7. Jul.

**M**athia Archiepiscopo in arena fatalis pugnae obtruncato, Bela rege fugato, tota Hungaria et urbe ipsa Strigoniensi funditus destructa, in hac summa rerum confusione Capitulum Strigon., licet in arce Strigon. ab excidio salvatum, novam electionem ex eo distulit, quia Regis a Duce Austriae primum nequiter detenti, tum ab insequentibus tartaris ad insulas Dalmaticas se recipientis, praevidium de eligendo novo Archiepiscopo consensum, ut moris erat, (Vide Nrum. 455) obtinere non potuit. Stephanus quidem Vancsai, ut videbimus, iam a. 1242. Postulatus et Electus Archiepiscopus scribitur; quia tamen in diplomatibus regiis a. 1241. 23. Sept. <sup>1)</sup>; tum 1243. 5. Jun. <sup>2)</sup> exaratis, sedes Strigon. vacare dicitur; manifeste apparet, Stephanum hunc ante confirmationem suam, Archiepiscopatum non apprehendisse; adeoque vacantiam ad diem usque obtentae confirmationis, seu ad 7. Jul. 1243. extendimus.

---

1) Wenzel l. c. VII. 116.

2) Fejér Cod. dipl. IV. l. 293. et XI. 406.

---

## 430.

1242. Jan. — Tartari Civitatem Strigon. funditus evertunt.

Sed cum Strigonium in Hungaria omnes et singulas precelleret civitates, maxime cogitabant (Tartari) transire Danubium et ibi figere castra sua; et ecce in hieme niuis et glaciei abundancia superuenit, ita quod Danubius, quod non acciderat a multis retroactis temporibus, gelabatur, sed Hungari ex ipsorum parte singulis diebus frangebant glacies et custodiebant Danubium, ita quod assidue fiebat pugna peditum super gelu. Tamen cum dire glacies aduenerunt, totus Danubius congelatus est, sed isti transire cum equis nullatenus attentabant. Aduertite igitur, quid fecerint; multos equos et animalia super ripam Danubii adduxerunt et neminem per tres dies ad eorum custodiam dimiserunt, ita quod bestie sine custodibus pergere uidebantur, nec aliquis eorum in illis partibus apparebat. Tunc Hungari credentes Tartaros recessisse, subito transierunt et omnia illa animalia per glacies traduxerunt, quod Tartari aduertentes, cogitarunt posse in equis transire libere super gelu, quod et factum est, et tot uno impetu transierunt, quod ex ista parte Danubii terre faciem impleuerunt. Rex autem Cadan post regem Hungarie properavit. — — — — —

Alia uero pars exercitus uersus nominatum Strigonium habuit iter suum et usque ad illud paucissimi accesserunt, sed se longius posuerunt et usque ad triginta machinas parauerunt. Strigonienses interim se cum fossatis, muris et turribus ligneis fortissime munierant, et erat in ciuitate illa populus infinitus et burgenses ditissimi, milites nobiles et domine, que illic conuenerant, uelut ad presidium singulare; tantaque eorum erat superbia, quod credebant se resistere posse toti mundo. Ecce una dierum ciuitatem Tartari circumdederunt, et captiui, qui cum eis erant, tot ramorum fasciculos portauerunt, quibus in una parte ciuitatis supra fossati supercilium altum murum simul et semel de fasciculis construxerunt, et statim post murum illum dictas triginta machinas posuerunt, ita quod diu noctuque ad ciuitatem et ad turres ligneas lapides emittebant et propter hoc tantus in ciuitate cepit esse tumultus et tanta fuerunt caligine obumbrati, quod iam memoriam amiserant se defendendi et inter se tamquam ceci et fatui uexabantur. Cum uero Tartari municiones ligneas destruxissent, saccos plenos terra ad implendum fossata cum machinis emittebant, nullus uero ex Hungaris et aliis audebat in fossati supercilio comparere propter lapides et sagittas. Hungari uero et francigene ac Lombardi, qui quasi erant domini ciuitatis, se non posse defendere aduertentes, combusserunt suburbia et domos ligneas, que multe erant, usque ad palacia ciuitatis, pannos quoque et uestes combusserunt in domibus infinitas, interfecerunt equos, aurum et argentum ad terram foderunt et quidquid boni habuerunt, absconderunt, et ut se in palaciis defenderent, in eadem se receperunt; sed Tartari prescientes, quod

combussa erant omnia, de quibus se ditari credebant, contra eos magnam succensi in iram, claudendo ciuitatem cum phalangis ligneis subito circum circa, ut nullus euaderet, quin per os gladii pertransiret, ceperunt postmodum palacia expugnare, quibus uelociter expugnatis, non credo, ut uerum fatear, quod quindecim de tota remanserunt ciuitate, qui non fuissent tam intus quam extra omnes nequiter interfecti; ibi inebriauerunt gladios suos in sanguine, et ex calore, quem conceperant contra eos, uiuos assabant homines, sicut porcos. — Domine autem magne, sicut melius poterant ornate, in uno palacio se collegerant et cum capi et interfici deberent, ad audienciam magni principis appellauerunt, omnes itaque sunt fere trecente extra ciuitatem ad principem adducte, que pro munere pecierunt, ut eas uite sub suo dominio conseruaret, qui iratus pro eo, quod nihil lucrati fuerant, precepit, ut receptis spoliis earum, capite truncarentur, quod subito factum fuit. Castro ciuitatis non expugnato, in quo erat comes Symeon Hispanus cum multis balistariis, qui se uiriliter defendebat.

Rogerus Carmen Mis. c. 38—40. — Thomas Archidiac. (c. 39.) haec breuiter ita narrat: „Transacto Januario, hyemalis asperitas solito magis inhorruit, omnisque aquarum cursus glaciali frigore constrictus, liberam viam hostibus patefecit. Tunc cruentus Dux Caydanus, recepta parte exercitus, Regem insecuturus, exiuit. Venit autem in multitudine gravi, obuia quaeque conculcans. Primo ergo concremata Budalia, Strigonium accessit, coepitque villam totis viribus impugnare, quam non satis difficulter capiens, succendit, omnesque in ea in ore gladii peremit, paucasque manubias asportauit, quoniam in munitiones editas res suas Vngari subvexerant vniuersas. Inde descendens — —“ Abbas Montis Pannoniae, qui propius huic exterminio adfuit, in litteris suis 1242. pridie Nonas, seu 4. Jan. Viennae exaratis, Tartaros „in Natali Domini (1241. 25. Dec.) Danubio congelato, cum magna fortitudine ad alteram partem fluminis“ transmeasse scribit (Fejér IV. I. 236.), quem secuti, eversionem urbis Januario affigimus. — Plures, ac Rogerius dicit, ex incolis truculentas hostium manus evasisse, Nri. 432., 441. et 485. ostendunt.

#### 431.

1242. 16. Maii. — Stephanus Electus Archiepiscopus Strigon., qua Banus Dalmatiae, Tragurinos in terris suis introductos testatur.

Stefano vescovo di Vaccia et Eletto Arcivescovo di Strigonio fá fede, che havendo il Ré Bela, confermato li privilegij, — — Et essendo partito il Ré et havendo lasciato lui in suo luogo in Dalmatia, ed essendo il — prestaldo ritornato avanti di lui ed esposto d'haver posti in possesso li Tragurini delle terre nominate in priuilegio; — — percio instando li Taurini, che loro siano rilasciate le testimoniale, e ricercatone la Regina, la quale all' hora si ritrovava in Dalmatia, cocedeva loro le testimoniali, sigillate col suo sigillo. Data in Chlissa. — —

Wenzel l. c. VII. 131. — Fejér Cod. dipl. IV. III. 554., qui tamen post Lucium Hist. Dalm. ed. 1674. p. 46. datum sic exponit: „In Trau li 10. di Maggio.“



## 432.

1242. 29. Sept. — Capitulum Strigon. domum suam, in vico Latinorum Strigonii sitam, Magistro Adae seplasiario ad viginti annos elocat.

Vniuersis, presentes litteras inspecturis, Nos Strigoniense Capitulum, salutem in domino ihu. xpo. Nouerit vniuersitas uestra, quod nos locauimus Magistro Ade, Speciario, cuii Strigoniensi, pro se et heredibus suis, legitimis et non extraneis, quandam domum nostram lapideam, sitam in vico Latinorum Strigonien., habentem introitum et exitum ante cameras mercimoniales et conterminam vico, qui de dictis cameris mercimonialibus ducit ad ecclesiam Sancti Nicholai Strigon., ab hac die, videlicet S. Michaelis archangeli, usque ad viginti annos proxime futuros, hoc pacto et hiis condicionibus internuenientibus, quod idem Magister Adam uel heredes sui primo anno tenentur nobis soluere duas Marcas boni et legalis argenti, in terminis infrascriptis; Secundo anno duas Marcas et dimidiam; Tercio uero anno duas Marcas et tres fertones; Quarto uero anno tres Marcas et sic deinceps usque ad vicesimum annum integraliter tenetur soluere proxime dictas tres Marcas annuatim; hoc saluo, quod de dictis Marcis, singulis annis nobis persoluendis, retinere debent dimidiam partem pro edificacione quatuor parietum lapideorum, in altitudine stacionis unius, de bono et legali opere, a die predictae locacionis usque ad finem quinti anni proxime futurj. Aliam uero dimidiam partem debent persoluere in hiis tribus terminis; Primo videlicet in circumcisione domini, secundo in festo Apostolorum Philippi et Jacobi et Tercio in festo sancti Egidij, uel quintodecimo die post quemlibet predictorum terminorum. In fine uero quinti anni debet fieri per bonos uiros estimacio operis iamdicti et donec ipsam estimacionem integre perceperint, ut supra dictum est, debite nobis pensionis dimidiam partem retinebunt. Qua percepta, extunc singulis futuris annis usque ad vicesimum iamdictae locacionis annum integre debent soluere sepedictam trium Marcarum argenti pensionem, in terminis ad hoc superius deputatis. Quam solutionem si prefatus Magister Adam, uel eius heredes negligenter, uel alias in prescriptis terminis facere recusarent, uel opus iam dictum statuto tempore non complerent; ipse et ipsi heredes extunc priuentur iure predictae conductionis, licitumque sit nobis in alteram, quancunque uoluerimus, partem predictam transferre locacionem et nichilominus ipsi ad dampna et interesse teneantur. Dicta autem edificia si aliqua indiguerint reparacione ab illa die, qua completa erunt, usque ad finem vicesimi anni Idem Magister Adam, uel eius heredes ea proprijs expensis reficere teneantur; et si igne proprio, quod absit, exurerentur, similiter ea proprijs expensis reficiant. Si uero igne alieno, uel hostium insultu deuastarentur, tunc super reparacione eorum Regni consuedudo ob-

seruetur. Si autem omnibus supradictis rite peractis, sepefatus magister Adam, uel eius heredes legitimi, completo tempore sepenominate locacionis, viginti annorum videlicet, supradictam domum cum edificatis in ipsa de nouo reconducere a nobis uoluerint; bona fide promittimus eidem Magistro Ade, suo et heredum suorum nomine stipulanti, quod pro ea pensione, quam tunc aliquis alius conductor offerret, non in fraudem, ipsis eadem relinquemus et locabimus, quilibet (sic) aliis conductoribus eos quantum ad hoc preponendo. Et si ipse uel eius heredes tunc nollent dictam domum reconducere, prout iam dictum est, liceat nobis alteri persone eam locare pro nostre libito voluntatis. Et ut presens contractus robor firmitatis obtineat, presentes litteras sigilli nostri dedimus munimine roboratas, et ad cautelam consimiles cum alfabeto penes nos retinuimus. Actum Strigonij, in ecclesia Sancti Adalberti, Anno dominice incarnationis Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Secundo. Mense Octobri, In festo sancti Michaelis Archangeli.

Sig. cum zona periit. Orig., litteris minutis pulchre exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 41. fasc. 7. Nro. 3. — Extr. Fejér l. c. IV. I. 272. — Ed. Cod. Strig. II. 48., Wenzel l. c. VII. 127.

---

433.

1243. 24. Jan. — Bela IV. Rex Comiti Simeoni Hispano ob multiplicia seruitia eius, imprimis quia „in adventu pestifero Tartarorum tam in conflictu campestri, quam etiam in conseruatione castri Strigoniensis exercuit nobis seruitiorum exenia laude digna,“ terram Chenke, prius ab ipso ablatam, restituit. — — Datum IX. Kal. Febr.

Fejér Cod. dipl. IV. I. 272.; qui tamen erronee XX. kal. Febr. exaratum scribit. — Idem Rex eodem die considerans „multiplicia seruitia — — Symonis et Bertrandi Comitum, quae tam Patri nostro Domino Andreae — —, quam nobis, necnon regno nostro laudabiliter impenderunt, tam in deferendis legationibus nostris extra regnum, quam in ipso corpore regni nostri, praecipue in aduentu pestifero Tartarorum per campestres congressus, ac etiam in conseruatione Castri Strigoniensis digna laude seruitiorum exenia exercendo,“ eisdem alias quoque terras donat. Ib. pag. 274.

---

434.

1243. 31. Martii. — Bela IV. Rex „cum Armeni, Praedecessorum ipsius Domini Regis et suo temporibus in Strigonium ad hospitandum congregati,

privilegium super libertate eorum obtentum, Tartaris totam villam Strigoniensem hostiliter invadentibus et eam funditus destruentibus, amisissent; — — seriem libertatis ipsorum per singulos articulos prae oculis habendo, cum fuisset notorium ipsos ea usos libertate,“ innovat, „quod inter caetera tale exstitisset, ut iidem Armeni cum suis Mercimoniis ad quemcumque locum tributarium accederent, inter terminos Regni — nullum persolverent Tributum.“ Datum II. Kal. Apr.

E litteris Sigismundi Regis a. 1435. Fejér Cod. dipl. X. VIII. 641., tum Stephani de Zápolya. a. 1496. ib. IV. I. 307.

---

435.

1243. 13. Maii. — Bela IV. Rex Woch civi Poson. terram Ablines confert.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crohacie Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cvmanieque rex, Omnibus xpi. fidelibus, presentem paginam inspecturis, Salutem in domino. Cum regie liberalitatis munificencia, que nullis consuevit terminis cohartari (sic), omnibus soleat suffragari, multo magis Hiis, qui sibi fideliter obsecuntur, tenetur adesse, ipsos iuxta seruiciorum merita remunerationis gracia premiando. Hinc est, quod ad vniuersitatis nostre noticiam presentis scripti testimonio uolumus peruenire, Quod cum gens tartara regnum nostrum hostiliter adiisset, Woch v ciuis posoniensis in conflictu generali, quem habuimus cum eisdem, uiriliter dimicauit et cum postmodum, sicut deo placuit, nostri succubuissent per eosdem et nos nostram a facie eorum presenciam retraentes, Posonium transitum faceremus, Dictus Woch debite fidelitatis insignia nobis ostendens, equos decentes et expensas sufficientes nostris irrogando, ymo se et sua omnia nobis et nostris exponens ex amore, necnon ob tutelam nostre persone per uigilias noctis astans, impetum gentis prefate subitaneum speculando, et in aliis multis Hiis similibus grata fidelitatis obsequia laudabiliter impendere non cessauit, quamuis iam tunc multi de nostris terga uertissent a uia debite fidelitatis deuiando, percussi terroris turbacione gentis prefate. Nos igitur ob recompensationem tante fidelitatis et seruicii, quandam terre porcionem castri de Semptey, ad sex aratra sufficientem, nomine Ablench, sitam in comitatu Posoniensi, uacuum et habitatoribus carentem, dicto fidei nostro contulimus, tam per ipsum, quam per ipsius heredes, Heredumque successores perpetuo possidendam. In cuius terre possessionem corporalem ipsum per Jacov comitem de zovlum fecimus introduci. Cuius terre prima meta incipit ab Oriente iuxta metas terre Seelench Hospitum Castri posoniensis, per quas procedens a parte meridionali



uersus Occidentem, incidit in metas terre Wedered, que est terra Jobagionum eiusdem Castrj, per quas descendens, incidit in metas terre Cvrtnelus, que est terra Nobilium, et ibidem incidit in metas terre alterius Curtuelus, que est Jobagionum castri supradicti, ab Occidente demum per metas eiusdem tendit ad metas tercię ville Cvrtnelus, que est terra Cozme, Jobagionis Castrj antedicti, et per metas eiusdem terre procedens uersus Septentrionem, incidit in metas terre Pachv, Hospitum castri sepedicti, per cuius metas protenditur usque ad metas terre Scelench Castrensiū, Et sic per metas ipsius terre redit uersus Orientem ad primam metam et ibidem terminatur. Datum anno gracie Millesimo ducentesimo quadragesimo tercio, IIj<sup>o</sup>. Idus Maij, Regni autem nostri anno Octauo.

Sigillum e rubro et albo serico pendeat. Orig. pulchre exaratum in Arch. Cap. Poson. priv. Capsa D. fasc. 4. Nr. 39.

---


436.

1243. 7. Jun. — Bela IV. antiquas libertates Nobilium de Scepusio recenset et confirmat.

BELA de j gratia Hungariae, Dalmaciae, Croaciae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Comaniaeque Rex, Omnibus Christj fidelibus, praesentem paginam inspecturis, Salutem in Omnium saluatore. Cum in multitudine populorum regum gloria, ac principum summo opere accendatur, non immerito Regalis celsitudo de suis subiectis prouisionibus amplioribus debet ordinare, Vt iidem fidelitate et numero augeantur. Ad omnium itaque notitiam, tam praesentium, quam posterorum, praesentis scripti testimonio volumus peruenire, Quod nos Vniuersis Nobilibus de Scepus eandem, quam ab antiquo habuerunt, conseruare uolentes libertatem, Statuimus, quod nullus ipsorum aliquam collectam, uel exactionem soluere teneantur, nisi ipsa collecta ad seruientes Regis et alios quolibet nobiles fuerit generalis. Item per fora et portas eiusdem Scepus nullum tributum ipsi nobiles et sui Jobbagiones persoluant. Item in expeditione, per nos facta sub nostro Vexillo quatuor, qui habent terram, octo aratorum sufficientem, unum mittere debeant decenter armatum. Item Comes de Scepus nec ipsos, nec eorum Jobbagiones possit iudicare, nisi in causis furti, monete et decimarum. Super causis autem minutis, inter se ortis, diffiniendis, Ipsimet sibi Iudicem possint eligere, quem uellent; et si super aliquo inter eos Duellum contingat iudicari, non nisi in nostra praesentia debeat terminari. Item Comes de Scepus nullum descensum super eos possit facere uiolentum. Item si quis ex ipsis sine haerede decesserit, Vniuersa bona, tam mobilia, quam immobilia ipsius, cui filia, si habeat, uel relicta nu-

pserit, succedant, sed ille ad eadem seruitia teneatur, ad quae decedens, cui succedit, fuerat obligatus. Item si super aliquo dubium oriatur, quod per sacramentum debeat testificari et purgari, septimo se praestito Sacramento, quadraginta denarios et non plures persoluant. Item si aliquis ipsorum conuincatur super aliquo facto, soluere debeat Iudicium iuxta nobilium terrae consuetudinem approbatam. Vt igitur huius libertatis status uel series in posterum inconcussa permaneat, nec aliquo successu temporis per quempiam in irritum possit reuocari, vel aliquatenus queat retractari, ad eius firmam stabilitatem literas nostras concessimus testimoniales, Duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno gratiae Millesimo Ducentesimo Quadragesimo tertio, Septimo Idus Junij. Regni autem nostri Anno octauo.

E Capituli cuiusdam transunto de a. 1584., cuius tamen initium cum appresso sigillo deperiit. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. 7. fasc. 8. Nro. 209. — Edidit Fejér l. c. IV. I. pag. 279.



## XXV.

## MAGISTER STEPHANUS II.

DE GENERE VANCHÁ.

1243. 7. Jul.—1252. Nov.

Stephani nomen gentile duo solummodo diplomata memoriae prodiderunt, quorum primum Nro. 558. exhibemus, aliud autem ad a. 1283. producemus. <sup>1)</sup> In utrisque nomen hoc clare sic exprimitur: *Bancha*; quin tamen ideo sic illius nomen scribi debeat, in antiquis enim diplomatibus littera *B* saepius pro *V* adhibita fuit.

Stephanus ergo Vancsai filius erat Comitis Orbazii, ante a. 1250. defuncti, ac in atrio Ecclesiae Strigon. sepulti (Nr. 494. et 509.) Num pater eius hoc nomen gesserit, an vero Comes fuerit *de Orbáz*, quales erant a. 1267. et 1269. magister Chák; a. 1272. et 1273. Alexander, una Judex Curiae; a. 1273. Laurentius, simul Comes Soproniensis; et a. 1275. Petrus, qui omnes, excepto primo, inter magistratus regni recensentur <sup>2)</sup>, sub dubio manet; nobis tamen primum verisimilius videtur, quia nepos Stephani nostri pariter hoc nomen gessit, qui cum Praepositus fuerit de Posega, Comes *de Orbaz* esse non potuit. (Nro. 650.) Comes hic Orbaz, iam a. 1213. occurrit, <sup>3)</sup> filios habuit praeter Stephanum nostrum, magistrum Bencentium, ex hungarico Bencze (Benedictus) probabilis sic vocatum, qui a. 1244. comes erat Strigoniensis (Nr. 445.), tum Vincentium et Petrum Comites (Nr. 537.), cuius posterioris filii erant magister Thomas et praememoratus Orbazius Praepositus Poseganus, anno adhuc 1283. occurrentes. <sup>4)</sup> Tertium Stephani nostri nepotem novimus, pariter Stephanum, a. 1263. Praepositum Posoniensem (Nr. 632.), tum a. 1266. Archiepiscopum Colocensem (Nr. 705. et 709.). Quartus nepos eius erat Dionysius (Nr. 566.), quintus autem Joannes Archidiaconus Jauriensis. <sup>5)</sup> Suos hos nepotes Stephanus per magistrum Mathiam Bissenum educari curavit (Nr. 640.) et Stephanum insuper in Academiam Bononiensem misit. Tandem consanguineus eius memoratur Lambertus, filius Benedicti. (Nr. 558.)

De anno Stephani natali nihil nobis constat. Prima vice occurrit a. 1238.

1) Vide Fejér Cod. dipl. V. III. 198., ubi tamen erronee Vancha scribitur.

2) Fejér ib. IV. III. 405; V. II. 57. 75. 82. 271; VII. I. 356.

3) Fejér ib. III. I. 146.

4) Ib. V. III. 199.

5) Ib. IV. I. 110.



qua Praepositus Vaciensis et aulae Regiae Cancellarius. <sup>1)</sup> A. 1240. Praeposituram hanc cum Titeliensi commutavit <sup>2)</sup> et eodem adhuc anno post 6. Mart., quo die antecessor eius Mathias, ut vidimus, in Archiepiscopum Strigon. confirmatus fuit, aut certe sequenti, cathedram Vaciensem obtinuit, retento ad annum usque 1242. Cancellarii regii munere. <sup>3)</sup> Pestiferis Tartaris Regnum inundantibus, Bela Rex „precepit magistro Stephano episcopo Waciensi, Orodienti et sancti Salvatoris Chanadiensi prepositis, quod ad Reginam (quae id temporis Strigonii fuerit) festinanter accederent et ad confinium Austriae properarent, ibidem finem huius negotii expectantes“ <sup>4)</sup>. Bela rex e fatali ad Sajó excidio fugae praesidio salvatus, ac a Friderico Duce Austriae thesauris omnibus spoliatus, „ad reginam, quae non multum distabat, quantum potuit festinavit et una cum ipsa sine tractu more, Stephanum Waciensem episcopum ad imperialem et Romanam curiam pro subsidio destinavit et interim circa Segesdinum cum illis, quos aggregare potuit, moram traxit.“ <sup>5)</sup> Prius tamen Stephanus regem Zagrabiam est comitatus, ubi credentiales eius litterae XV. kal. Jun., seu 18. Maii sunt expeditae, <sup>6)</sup> hinc autem ad partes maritimas videtur descendisse et navi in Italiam transiisse, ubi primum Fridericum Imperatorem, cum Pontifice bellum gerentem, initio circ. mensis Junii convenerat, prout idem datis „in recessu post deditionem et depopulationem Faventiae, 3. die Julii“ ad Regem Angliae litteris, his verbis testatur: „prout per Venerabilem Vaciensem episcopum, dicti Hungariae Regis legatum, ad nostram curiam et postea ad Romanam didicimus destinatum. Hic per nos primo transitum faciens, his testimonium perhibuit, quae vidit, et testimonium eius nimis verum est.“ <sup>7)</sup> Romam ante 16. Jun. appulit, quo die Gregorius IX. audito diro Regni per Tartaros excidio, eidem mandat, ut iuxta datum sibi a Deo prudentiam per se ac alios idoneos verbum crucis per Hungariam et vicinas provincias contra Tartaros praedicet, insuper regem Belam de hac dispositione edocet. <sup>8)</sup> Romae diutius moram traxisse videtur, auxilium contra Tartaros sollicitaturus, ob bellum tamen a Friderico Imperatore Papae illatum, praeter litteras consolatorias, 1. Jul. ad Belam regem directas, nihil obtinere potuit, <sup>9)</sup> prout e lit-

1) Fejér ib. IV. III. 551. Wenzel l. c. II. 93.

2) Theiner Mon. Hung. I. 258.

3) Fejér ib. IV. I. 254., Wenzel II. 144. Errant igitur Desericius (Catal. Episc. Vac. ad calcem Hist. eiusdem p. 5.) qui illum ab a. 1236, et Szvorényi (Purpura Pann. p. 5.) qui ab a. 1239. iam Episcopum Vac. statuunt.

4) Koger. Carm. mis. c. 16.

5) Ib. c. 32.

6) Theiner Mon. I. 182., Fejér l. c. IV. I. 215. erronee habet: 25. kal. Jun.

7) Fejér ib. IV. I. 222.

8) Theiner l. c. I. 183. 184.

9) Ib. 185.

teris Alexandri IV. eidem, Belae a. 1259. rescriptis, apparet: „Habebat namque praefationis (litterarum nempe Belae regis) continentia memoratae, quod licet olim regno tuo seua Tartarorum labe lacessito, tu, ut populi tui reliquie salve forent, a fel. rec. G. papa, predecessore nostro, contra eosdem Tartaros per venerabilem fratrem nostrum S. tunc Waciensem, nunc Penestrinum episcopum, auxilium postularis, idem predecessor, quasi tue ac patrum tuorum clare devotionis oblitus, stragi populi tui etiam verbo compati noluit, nedum facto.“ <sup>1)</sup> Subsecuta autem 21. Aug. Gregorii IX. morte, omnis subventionis spes evanuit. Stephanus ergo ex Italia reversus; Regi, fortunae suae undique relicto, Zagrabiæ, ubi aestatem transegit, <sup>2)</sup> denuo se coniunxit.

A. 1242. „transacto Januario hyemalis asperitas solito magis inhorruit, omnisque aquarum cursus glaciali frigore constrictus, liberam viam hostibus patefecit. Tunc cruentus Dux Caydanus recepta parte exercitus (tartarorum) Regem insecuturus exivit. — — Rex praesentiens eorum adventum, relictis stationibus Zagrabiensium partium, cum omni Comitatu suo ad mare descendit, — — et ad Spalatenses partes devenit.“ <sup>3)</sup> Comitatus est illum et Stephanus noster, quem Thomas Archidiaconus, qui tunc Spalati floruit, hac occasione iam Strigon. Archiepiscopum postulatum nominat. Et revera tunc circiter illum ab ipso rege, Capitulo Strigon. electionem, ob civitatem Strigon. recte eodem tempore obsessam et subversam, celebrare non valente, in Procuratorem Archiepiscopatus postulatum fuisse, Nrus. 446. clare ostendit, ubi Bela rex testatur, se hunc in finem Tragurio legatum ad Curiam Romanam misisse. Jam autem Rex teste Thoma Archidiacono, Spalati, quo illum pervenisse vidimus, residere noluit, „sed abiens cum uxore sua et cum omnibus gazis suis, demoratus est Tragurii, putans se ibi contra hostium incursum fortiozem habere tutelam, propter vicinitatem insularum. Composuit autem se cum omni curia sua et mansit in insula adiacente.“ <sup>4)</sup> Bela ergo spectatis adiunctis, mense adhuc Februario Tragurium se recepit, ibique ad medium circ. mensis Martii moram traxit; 10. enim Martii ibidem litteras edit; <sup>5)</sup> Nrus. autem 431. illum post confirmationem privilegiorum, Tragurinis a Colomanno Rege concessorum, recessisse ait; privilegia autem haec confirmavit XV. kal. Apr., seu 18. Mart., <sup>6)</sup> quo die Stephanus adhuc episcopus Vaciensis intitulatur. <sup>7)</sup> Ergo Stephanus post 18. Martii in Archiepiscopum postulatus fuit.

---

1) Theiner ib. 239.

2) Thomas Archidiac. c. 37.

3) Thomas Archidiac. c. 39.

4) Ib.

5) Fejér Cod. dipl. IV. I. 269.

6) Ib. 252.

7) Fejér ib. 250. 252; VII. V. 261.

Bela rex in Hungariam reversurus, Stephanum Locumtenentem in Dalmatia reliquit, ut Nrus. praecitatus docet. Cum autem eodem recte tempore in diplomatibus Dionysius totius Slavoniae et maritimarum Banus occurrat; <sup>1)</sup> Stephanus, ut nobis quidem videtur, magis in custodem Reginae destinatus fuit, quae cum prolibus suis in Clissae castro ad mensem usque Septembris remansit. <sup>2)</sup> Vix ergo et Stephanus ante mensem hunc in Hungariam est reversus.

Interea temporis Stephanus etiam a Capitulo Strigon. unanimiter et concorditer in Archiepiscopum postulatus fuit (Nr. 437.), vacante tamen usque 1243. 24. Jun. sede romana, confirmationem obtinere non potuit; hinc in diplomatibus regiis integro hoc a. 1242. Postulatus, <sup>3)</sup> vel Electus Strigon. <sup>4)</sup> nominatur. Ast Innocentius IV. statim ac regimen Ecclesiae auspicatus est, die 7. Jul. 1243. illum in Archiepiscopum Strigon. confirmavit. (Nr. 437.) Hoc cum ita sit; quomodo illum idem Papa 19. Jul. Postulatum (Nr. 440.), Capitulum autem Strigon. 20. adhuc Augusti Postulatum ac Procuratorem Strigon. ecclesiae (Nr. 441.) appellare possint; non assequimur, nec aliam causam assignare valemus, nisi quod Stephanus iuramentum a Papa praescriptum, quomodocumque demum impeditus, non deposuerit, neque in sequelam huius pallii archiepiscopale ad hunc usque diem receperit. In alio autem diplomate plane anno adhuc 1246. Electus nominatur <sup>5)</sup>, sed diploma hoc eo ipso erronee anno hoc signatum est.

---

1) Fejér ib. IV.. I. 252.

2) Thomas Archidiaconus. c. 40.

3) Fejér ib. IV. I. 264. Wenzel l. c. II. 144.

4) Fejér l. c. IV. III. 132. et Wenzel l. c. VII. 137. — Diploma hoc in textu erronee a. 1263. signatur, ad quem annum illud Fejér assignavit; Wenzel autem probabilius ex apposito octavo regiminis anno ad a. 1243. ponit; quia tamen diploma hoc 6. kal. Dec., seu 26. Nov. editum est, Bela autem rex annos regiminis sui a. 14. Oct. computat, diploma hoc a. 1242. exaratum fuit.

5) Fejér l. c. IV. I. 421.



## 437.

1243. 7. Jul. — Innocentius PP. IV. postulationem de Episcopo Vacienti in Archiepiscopum Strigon. factam ratihabet.

Innocentius . . Episcopo Cenadiensi et . . sancti Martini de Pannonia et . . sancti Gotardi — — Abbatibus. — — Vacante Strigon. ecclesia, — — Capitulum ipsius — — Waciensem episcopum in pastorem suum unanimiter et concorditer postularunt. Verum cum episcopus ipse — — sit in spiritualibus et temporalibus circumspectus, — — nos eiusdem Capituli supplicationibus inclinati, mandamus, quatenus dictum episcopum — — in pastorem ecclesie Strigon. concedatis. — — Ceterum postquam episcopus ipse ad ecclesiam Strigon. transierit, vos ad eundem personaliter accedentes, recipiatis ab ipso ecclesie Romane fidelitatis solite iuramentum. — — Datum Anagnie Nonis Jul., P. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 186., Péterffy Conc. I. 69., Katona Hist. Crit. VI. 5., Fejér Cod. dipl. IV. I. 283., qui omnes, excepto primo, erronee Nonas Junii scribunt.

## 438.

1243. 11. Jul. — Innocentius PP. IV. Praeposito s. Thomae Strigon. et eius collegis iniungit, ut Benedictum electum Jauriensem Episcopum confirmet. — Datum Anagniae V. Id. Jul., P. a. 1.

Péterffy Conc. I. 68., Katona Hist. Crit. VI. 2., Fejér Cod. dipl. IV. I. 280. et iterum VII. V. 262.

## 439.

1243. 15. Jul. — Innocentius PP. IV. Maioris ecclesie et sancti Georgii Strigoniensis et Geuriensi Praepositis mandat, ut Praepositum Albensem in archiepiscopum Colocensem electum confirmet et iuramentum ab eo recipiant. — Datum Anagnie Id. Jul., P. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 187., Péterffy Conc. I. 68., Katona Hist. Crit. VI. 2. Fejér Cod. dipl. IV. I. 281.

## 440.

1243. 19. Jul. — Innocentius PP. IV. Postulato Strigoniensi officium legationis in Croatia et Dalmatia concedit.

Innocentius — — Episcopo quandam Waciensi, in Strigon. Archiepiscopum postulato. — — Virtutum dominus in hiis, que ipsius respiciunt gloriam, te talem reddidisse dicitur, ut per remotas partes et proximas tue fame fragrantia diffundatur. Ex hoc igitur sumpta fiducia, — — tibi legationis officium in Croatia et Dalmatia duximus committendum; fraternitatem tuam rogamus — —, quatenus — — pravitatis heretice maculas, quibus terre huiusmodi nimis, sicut accepimus, sunt infecte, — — abolere studeas. — — Datum Anagnie XIV. kal. Aug., P. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 187., Katona Hist. Crit. VI. 4., Fejér Cod. dipl. IV. I. 282.

## 441.

1243. 20. Aug. — Capitulum Strigon. domum suam lapideam, in foro Strigon. sitam, Herbordo et Ibur elocat.

A. B. C. D.

Capitulum Strigoniense, vniuersis, presentes litteras inspecturis, salutem in domino. Ad vniuersitatis vestre noticiam uolumus peruenire, quod nos dilectis nostris, Herbordo et YBur, filiis quondam Stephani, ciuibus Strigoniensibus, locamus domum nostram lapideam cum curia circumiacente, sitam super torum strigoniense, prope palacium Zenie, longitudo cuius curie est Septuaginta cubitorum, qui uulgo appellatur Reyf, latitudo uero quadraginta et unius cubitus. Item quandam curiam, ex posteriori parte dicte domui lapidee contiguam, uersus sanctum Laurencium, quadam via solummodo intermedia, cuius longitudo est Triginta quinque cubitorum, latitudo uero Triginta quatuor cubitorum; pro se et heredibus suis legitimis et non extraneis, perpetuo possidendas; hoc pacto et hijs condicionibus interuenientibus, quod predicti Herbordus et YBvr et eorum heredes teneantur nobis soluere annuatim duas Marcas argenti pro dicta domo lapidea, et vnum fertonem pro dicta curia, nomine pensionis usque ad quindecim annos videlicet; Quindecim annis uero completis, debeant soluere singulis annis usque in perpetuum tres Marcas argenti et dictum fertonem. Primam partem in festo Sancti Michaelis, secundam partem in dominica prima Quadragesime, Terciam partem in festo S. Johannis Baptiste et hec attendere promittunt sub pena dupli. Est eciam adiectum, quod

nec eis, nec heredibus ipsorum liceat vendere uel alienare predictam domum, neque predictam curiam, nisi causa necessitatis ipsorum et tunc de nostra licencia speciali; aliter uero facta uendicio, uel alienacio non ualeat et si uendiderint, uel alienauerint; Emptor nobiscum de nouo conuenire debeat super pensione, nobis persoluenda. Si que uero *hedificia* in eodem fundo edificauerint, lapidea uel lignea de nouo, ea pro uoluntate sua distrahant et alienent. Nos autem promittimus eisdem, quod in hac locacione eos manu tenebimus contra quemcunque et quoscunque et defendemus. Actum et Datum Strigonij in ecclesia Beati Adalberti in pleno Capitulo. Anno domini Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Tercio, Mense Augusti, in festo Sancti Stephani Regis. Venerabili patre, domino Stephano, episcopo Waciensi existente, postulato ac procuratore Strigoniensis ecclesie, et Magistro Achille preposito existente, Magistro Petro cantore. Et quia sigillum maius ad presens non habemus; sigillum nostrum minus presentibus diximus apponendum, Et ut eisdem maior fides adibeatur; predicti venerabilis patris, domini Stephani, dei gracia Waciensis episcopi, postulati ac procuratoris nostri Sigillo fecimus Roborarj.

Sigilla e flavo et rubro serico pendebant. Orig. litteris maiusculis nitidissimo calamo exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 24. Fasc. 1. Nro. 11. — Extr. Fejér l. c. IV. I. 308. — Ed. Cod. Strig. II. 50.; Wenzel l. c. VII. 139.

---

#### 442.

1243. 13. Nov. — Innocentius PP. IV. Abbati s. Gothardi et Achilli Praeposito Strigon. iniungit, ut „magistro Rogerio, Capellano — — Episcopi Penestrini, Archidiaconatum, quem in Waradiensi ecclesia obtinet, resignare, ac in Supruniensi residere parato, dictum Archidiaconatum Supruniensem — — conferre curent. — — Datum Laterani Idibus Nov., P. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 188., Fejér Cod. dipl. IV. I. 304. — Rogerius hic scripsit Carmen Miserabile super Destructione Regni Hung. per Tartaros facta. Vide Schwandtner Script. Rer. Hung. tom. 1. et Endlicher Monumenta Arpadiana. 255—296.

---

#### 443.

1243. — „Achilles Diuina miseratione Praepositus Strigon.“ et Capitulum venditionem medietatis terrae Ruhman attestantur. „Datum per manus



Licardi Lectoris. — — Venerabili patre nostro Stephano Archiepiscopo, Petro Cantore, Fabiano Decano, Ambrosio Custode, ceterisque Canonicis feliciter existentibus.“

Orig. in Arch. Princ. Eszterházy. Wenzel. l. c. VII. 138.

---

444.

1244. 8. Febr. — Innocentius PP. IV. „decimam vini, quod nascitur in montibus Strigoniensibus“, Capitulo Strigon. „sicut eam ex concessione venerabilis fratris nostri St(ephani) Strigon. Archiepiscopi iuste et pacifice“ possidet, confirmat. Datum Laterani VI. Id. Febr., P. a. 1.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 556.

---

445.

1244. 21. Martii. — Bela IV. terram Oryva, in Posega sitam, magistro Bencentio, filio Urbaz Comitis, Comiti Strigoniensi, a sua socru et affinibus venditam, confirmat. — Datum XII. kal. Apr.

Fejér Cod. dipl. IV. I. 340. — Bencentius hic frater erat Stephani de Vancha Archiepiscopi Strigon.

---

446.

1244. 22. Apr. — Bela IV. Rex remuneratur fidelia servicia „Nicolai filij Obichk de Zyud, que nobis eo tempore impendit, quo aduersitas Tartarorum Regnum nostrum inuaserat, et nos presidio fuge ad partes maritimas proficisceremur ante ipsos, — — tunc idem Nicolaus nos nullatenus dereliquit, sed pocius cum omni familia domus sue usque ad insulas maritimas fuit nos secutus; tandem de Tragurio ad Curiam Romanam per multa pericula marium et terrarum, super impetranda procuracione venerabilibus patribus, qui ad gubernandas Strigoniensem, Colocensem, Geuriensem Ecclesias, eorum antecessoribus per lugubris memorie Tartaros interemptis, fuerant postulati, in nostra legacione ardenti studio est profectus. In quo facto tam eminenter nobis et Regno nostro, ipsa sede Apostolica uacante, seruiuit, quod ad releuandas post tantum casum

tam principales Regni nostri columnas se nobis exhibuit uirtuosun.“ — Datum X. kal. Maii.

Fejér Cod. dipl. IV. I. 335., Ráth K. Hazai okmánytár IV. 28., Wenzel l. c. VII. 163.

---

447.

1244. 10. Nov. — Stephanus Vanchai Archiepiscopus Strigon. causam inter relictam Laurentii de Berench et magistrum Andream coram se amice compositam testatur. IV. Id. Nov.

Fejér Cod. dipl. IV. I. 358.

---

448.

1244. 20. Dec. — Innocentius PP. IV. iniungit Strigoniensi et Colocensi Archiepiscopis, ut Belam IV. Regem ad restituendas villas Billam, Gunyu et Vduorch, quas Andreas pater eius Abbatis s. Martini Montis Pannoniae „in dedicatione ecclesie dicti Monasterii“ contulit, admoneant. — Datum Lugduni XIII. kal. Jan., Pont. a. 2.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. II. 160.

---

449.

1244. 20. Dec. — Idem Innocentius Papa eidem Archiepiscopo Strigon. et coiudicibus suis causam Abbatis Montis Pannoniae contra Episcopum et Capitulum Vesprimiense super Ecclesia s. Salvatoris de Thord, Vesprim. Diocesis, quia priores „iudices fuerunt a Tartaris interfecti,“ terminandam committit. Datum Lugduni XIII. Kal. Jan., Pont. a. 2.

Orig. ibidem. Wenzel l. c. II. 162.

---

450.

1244. — Capitulum Strigon. super venditione terrae in villa Stregar litteras suas per manus Georgij lectoris edit.

Orig. in Arch. Kékköensi. Wenzel l. c. II. 166. — Stregar nunc Esztergály in Comitatu Neogradiensi.

---

## 451.

1244. — Deychen de Nitria, Weychych et Adam de Aba coram Capitulo Strigon. confessi sunt, quod cum Andream Comitem de Ekly „super dote domine Benedicte, filie Philip, tunc uxoris dicti Deychen, que primo fuisset nupta Kethel, fratri Andree Comitis prenominati, coram venerabili patre Stephano Archiepiscopo (Strigon.) traxissent in causam; tandem contra eosdem conuictus fuisset, sicut idem Capitulum Strigon. in litteris ipsius Archiepiscopi vidisset contineri.

Wenzel l. c. VII. 180.

## 452.

1245. 2. Jan. — Innocentius PP. IV. causam Abbatis Montis Pann. contra magistrum Nicolaum filium Nicolai de Nadosth et quosdam alios Vespriensis et Cunadiensis Diocesis, super villa Nyalka, Archiepiscopo Strigon. et coiudicibus suis, quia priores „iudices fuerint a Tartaris interfecti,“ diiudicandam committit. — Datum Lugduni IV. Non. Jan., Pont. a. 2.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. II. 169.

## 453.

1245. 23. Jan. — Innocentius PP. IV. in causa Abbatis Montis Pannoniae contra nobilem virum Demetrium super insula Abda, quia priores „iudices fuerunt a Tartaris interfecti,“ Archiepiscopum Strigon. et coiudices suos procedere iubet. — Datum Lugduni X. Kal. Jan., Pont. a. 2.

Orig. in Arch. Montis Pann. Wenzel l. c. II. 164., ubi erronee ad a. 1244. ponitur.

## 454.

1245. 20. Febr. — Innocentius PP. IV. dispensationem per Episcopum Praenestrinum Magistro Syxto clerico Strigon. diocesis super defectu natalium, quem patiebatur de presbitero genitus et soluta, impertitam rati habet; ita tamen, ut episcopalem dignitatem absque licentia sedis apostolicae speciali non recipiat. Datum Lugduni X. kal. Mart., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 192. — Sixtus hic idem fuerit cum eiusdem nominis Scholastico, subin Lectore Strigoniensi, posterioribus annis comparituro.



## 455.

1245. 28. Febr. — Innocentius PP. IV. ad querelam Belae Regis, „quod cum de antiqua et approbata Regni consuetudine, hactenus pacifice observata, in electionibus pontificum assensus Regius debeat postulari,“ Canonici Vesprimienses assensu hoc minime requisito, Episcopum elegerunt, „quam electionem Archiepiscopus Strigon. loci Metropolitanus, post appellationem interpositam confirmavit; alias quoque tam ipse, quam alii prelati et clerici eiusdem Regni post vastitatem datam a Tartaris, iura et libertates ipsius Regis pro sua diminuunt voluntate“; inquisitionem eatenus Colocensi Archiepiscopo committit. Datum Lugduni II. kal. Mart., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 193., Péterffy Conc. I. 80., Katona Hist. Crit. VI. 56. Fejér Cod. dipl. IV. I. 364.

## 456.

1245. 18. Aug. — Innocentius PP. IV. Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi et Episcopo Zagradiensi mandat, ut a molestatione fratrum Minorum desistant et subditos pariter compescant. — Datum Lugduni XV. kal. Sept., P. a. 3.

Idem mandat 17. Sept. quo ad fratres Praedicatores.

Theiner Mon. Hung. I. 199. 200. 201.; Wenzel l. c. II. 179.

## 457.

1245. — Philippus Praepositus et Capitulum Strigon. testantur, „quod Ambrosius Abbas monasterii de Zvad ad nostram accessit praesentiam et terram quatuor aratorum, ut dicebat, de Olvar, quae ad ipsum Monasterium pertinebat, ex permissione venerabilis Patris nostri Stephani Archiepiscopi Strigon. et Jobagionum eiusdem Monasterii, qui praesentes aderant“, vendidit pro duabus marcis. — Datum per manus Georgii Lectoris.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 308, ubi litterae hac ad a. 1265. ponuntur, procul dubio errore descriptoris, qui numerum X. numero L. anteposuit, scribens MCCLXV. loco MCCXLV., anno enim 1265. nec Philippus Praepositus, nec Stephanus Archiepiscopus Strigon. erant.

## 458.

1245. — Philippus Praepositus et Capitulum Strigon. venditionem terrae in Coroa per Petrum de Cubuleut Nicholao Comiti preconum domine Regine, „omnibus commetaneis consencientibus, nobis scilicet et alijs“, factam, attestantur. „Datum per manus Georgij Lectoris.“

Orig. in Arch. Aerarii R. Bud. Wenzel l. c. VII. 200.

## 459.

1245. — Capitulum Nitriense Stephanum Archiepiscopum Strigon. terram Gug emis-  
se testatur.

A

B

C

Vniuersis xpi. fidelibus, ad quos presentes peruenerint, Nitriensis ecclesie Capitulum oraciones in domino. Significamus tam modernis, quam futuris, quod Mothud, filius Alexij, Ascensio et Endre, filij Botha, Marcus et Symon, filij Dodomezth, cum Damiano procuratore Venerabilis patris et domini nostri Stephani, dei gracia archiepiscopi Strigon., ad nostram accedentes presenciam; terram suam hereditariam, nomine Gug, undique metatam, cum consensu commetaneorum suorum, sicut homine nostro, quem pro petitione parcium ad uidendam dictam terram miseramus, audiuimus referente, eidem domino Archiepiscopo pro decem marcis argenti, a procuratore ipsius coram nobis plenarie persolutis, uendiderunt iure perpetuo possidendam, Tali apposita condicione, quod si lis aliqua super memorata terra Gug emergeret, uenditores supradicti, uel eorum successores, tenebuntur Archiepiscopum expedire. In cuius rei testimonium litteras presentes sigilli nostri munimine confecimus roboratas. Anno gracia M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>XL<sup>o</sup> Quinto.

Sigillum e flavo, rubro et violaceo serico pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. M. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. I. 30. — Fejér Cod. dipl. IV. III. 310. erronee a. 1265. adscribit.

## 460.

1245. — Gyula de Poroszló, ac Vincencius Archidiaconus Nitriensis cum fratre suo Gönczöl terras suas in Bajon, salva portione domus hospitalis s. Crucis de Strigonio, Comiti Szemeino, civi Strigon., vendunt, coram Conventu Cruciferorum Strigon.

Conuentus domus Hospitalis S. Stephani Regis de Strigonio, Omnibus, presentes litteras inspecturis, Salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam uolumus

peruenire, quod Julia de Puruzlov de genere Sartyvanveche, ad nostram accedens presentiam, proposuit, quod totalem terram, que in uilla Boyon ad ipsam generacionem Sartyuanveche pertinebat, cum vineis et alijs pertinentijs uendidisset Scemeyno comiti, Cui Strigoniensi, pro Sedecim marcis argentj, presente et consenciente Petro filio Adriani, de eadem generacione. Assummendo, quod si aliqui de suo genere ipsum comitem Scemeynum super uendicione dicte terre inquietare attemptarent; idem Julia deffendere tenebitur. Item magister Vincencius Archidiaconus Nitriensis, et frater suus Guncel, partem, que ipsos de dicta terra Boyon hereditarie contingebat, venderunt eidem comiti S. pro tribus marcis argentj, quas Decem et nouem marcas prenominati uenditores confessi sunt a dicto comite S. sibi fuisse plenarie persolutas; et hec uendicio facta est salua parte Domus Hospitalis Sancte Crucis de Strigonio, quam domum tam ipsi venditores, quam dicti Hospitalarij confessi sunt in eadem terra sextam partem possidere et ipsa totalis terra, prout ijdem venditores retulerunt, a parte orientali tenet metas cum monetarijs, a parte meridionali cum Nicholao filio Johannis, de genere Catapan; a parte occidentali cum cruciferis Sancti Regis, a septemtrionali iterum cum monetarijs, et sic continuatur prioribus metis. Super quo litteras nostras testimoniales Semeyno (sic) comiti pecierunt exhiberi. Nos ergo ad instanciam petitionis eorundem presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Anno dominice incarnationis Millesimo, Ducentesimo Quadragesimo Qvinto.

A                      B                      C                      D.

Sig. e rubro et flavo serico pendebat. Orig. pulchre exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 46. Fasc. 1. Nro. 1. — Ed. Cod. Strig. II. 524. Wenzel l. c. VII. 203. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 357. erronee ad a. 1244. ponit, pag. 400. autem extractum ad a. 1245. — Domus haec Hospitalis s. Crucis, alter fuit Cruciferorum Strigonii Conventus, seu potius Prioratus, cuius hic prima occurrit mentio, quemque Fuxhoffer (Monast. II. 202.) erronee ad s. Crucem de Pilis collocat.

#### 461.

1246. 10. Jan. — Bela IV. Fulconis filii Simeonis scelera recensens, ait: „Inter caetera suae malitiae opera quandam villam Ecclesiae Strigon. nomine Hatvan, suo Castro Filek a vicino coniunctam, sic occisis eiusdem villae hominibus destruxit, ut eam, post invasionem Tartarorum satis decenter per provisionem venerabilis Archiepiscopi Strigon. populatam, in solitudinem reddidit, huius etiam villae ecclesiam parochialem et Nobilium, peius ipso tempore turbinis Tartarorum, idem Fulcus funditus destruxerat, humique humili com-



planarat. — — Sed et per praedictum Archiepiscopum pluries legitime citatus, venire semper contempsit, perfidus et perversus.“ Quare castrum Füleke eidem ademptum ac Mauritio Pincernarum Regalium Magistro collatum fuit, qui „postquam possessionem intravit, venerabilis Pater Stephanus Archiepiscopus Strigon. contra eum super trecentis marcis, vel supra tertia parte possessionis Fulconis, quoad illam summam suam movet quaestionem, aestimata. Et quia pro dicto venerabili Patre sententiatum fuerat, nos eidem in suo iure deesse non valentes nec volentes, eidem Magistro Mauritio sententialiter iniunximus, vt sibi satisfaciatur de pecunia memorata, quod et fecit.“ — Datum 4. idus Jan.

Fejér Cod. dipl. IV. I. 403. 406.

---

462.

1246. 4. Febr. — Stephanus Vancsai Archiepiscopus Strigon. incolis oppidi Keresztur, „nimirum hospitibus, qui ad terram in villa s. Crucis de Susal venire voluerint,“ diversas libertates concedit. — Datum anno gratiae 1246. pridie nonas Febr.

Fejér Cod. dipl. IV. I. 440., Endlicher Mon. Arpad. 469. — Originales in Arch. Primat. haud reperi.

---

463.

1246. 31. Martii. — Albertus prepositus Aradiensis Archiepiscopo Strigon., mediante iuramento, subiectionem et obedientiam promittit.

Ego Albertus, miseracione diuina Orodienensis ecclesie prepositus, presencium tenore litterarum Significo vniuersis, quod subiectionem, obedienciam et reuerenciam, a predecessoribus meis Archiepiscopo et ecclesie Strigon. exhibitam, et per me ad tempus subtractam, per me et successores meos eisdem fore debitam, de consilio et consensu fratrum meorum recognosco. Vnde domino meo, beato Adalberto, sancteque Strigon. ecclesie, et tibi domino meo Stephano, Strigoniensi Archiepiscopo, tuisque successoribus, canonice intransibus, ab hac die in antea fidelis et obediens ero et subiectionem, obedienciam ac reuerenciam debitam perpetuo me exhibiturum promitto, uocatus ad synodum, ueniam, nisi prepeditus fuero canonica prepedicione; sic me deus adiuuet et hec sancta dei ewangelia, et has litteras, sigilli nostri munimine roboratas, tibi et ecclesie Strigon. pro me et ecclesia Orodienensi propria manu trado et rogo . . abbates de Pelis et de Bokon, Cisterciensis ordinis, Vesprimiensis diocesis, quod huic car-

te ob maiorem cautelam sua sigilla apponant. Actum Strigonij Anno gracie M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. sexto, pridie kalendas APRilis.

Sigilla e corrigiis pendebant. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 49. fasc. 1. Nro 2. — Edidit Fejér l. c. IV. I. pag. 439.

## 464.

1246. — Vernerius Comes Barsiensis, tributariis Ecclesiae de Grón fundum curiae in villa Bars assignat.

Vernerius, diuina gracia et regis Bele prouidencia comes de Bors, Omnibus, presens scriptum inspecturis, salutem. Cum preceptum dominicum sit timendum et tenendum; ideo nos, uolumus, nolumus, preceptum regis cogimur adimplere. Vniuersitati uestre notum facimus, quod ex precepto regis Bele unum situm curie prope pontem, cum orto et aqua, in predicta villa Bors, ecclesie sancti Benedicti de Goron statuimus, quartam curiam de inferiori parte pontis cum suis pertinenciis fecimus assignari, ubi tributarij sui libere et quiete possint manere et procurare prouentus tributj ipsius abbatis memorati. Vt igitur nulla in posterum, uel contencio inter uillanos de Bors et inter abbatem sancti Benedicti de Goron de dacione curie possit suboriri; facti seriem, ad petitionem abbatis, scripto redigi et sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Anno gracie Millesimo CC. XL<sup>o</sup> VI<sup>o</sup>. facta est autem hec scripcio presentibus Pasca, Mathia, Martino, maioribus exercituum de Bors, Varou, Niuona et Suca et ceteris iobagionibus existentibus.

Sig. e zona membr. pendebat. Orig. minusculis litteris pulchre exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40. Fasc. 1. Nro. 9. — Ed. Cod. Strig. II. 52.. Wenzel VII. l. c. 217.

## 465.

Ca. 1246. — B. Eusebius, deserto Canonicatu Strigon., eremum Pilisiensem petit, primusque fit Ordinis s. Pauli primi Eremitae Provincialis.

Eusebii huius memoria in actis Archivi Capitularis nusquam comparet. Vitam tamen eius ex actis Ordinis conscripsit Eggerer (Fragmen Panis Corvi 70.) Juxta hunc Eusebius Strigonii nobilibus parentibus natus, in bonis litteris liberalius caeteris excultus, in Album Canonicorum Ecclesiae Strigon. adscriptus fuit. Tum annuente Stephano Vancesai Archiepiscopo Strigon. ca. 1246. in solitudinem Pilisiensem Strigoniensis territorii non procul a Szántó iuxta spelun-

cam triplicem, ab aliis eremitis olim inhabitatam, aliquot sociis comitatus, secessit, ubi ca. 1250. Ecclesiolam modicam, s. Crucis in Pilisio dictam erexit, cui tardius adiecit monasterium, funditus subin a Turcis desolatum. Primus ordinis Provincialis electus, Regulam Ordinis ab Urbano IV. interveniente s. Thoma ab Aquino cui, Romae tunc esistenti, propositi sui rationem altius exposuit, confirmari petiit. Praefuit Ordini per varias viginti annorum vicissitudines, mortuus in s. Cruce a. 1270. 20. Jan. (Praeter Eggerer vide Indicia Sanct. Hung. 63., Ferrarius De reb. Ord. Praed. 475., Memoria Basil. Strig. 40.)

## 466.

1247. 13. Jan. — Bela IV. Jobagiones equites de villa Kis Szelepcsény, Abbatiae s. Ben. rebelles, ac ideo evocatos, ante prolatam sententiam ad antiquam conditionem redisse testatur.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex. Omnibus, ad quos presens scriptum peruenerit, salutem in salutis auctore. Ad vniuersorum noticiam, tam presencium, quam futurorum, harum serie volumus peruenire, Quod cum Masa, cum Benedicto et Mathya filiis suis; Bala, cum Pousa filio suo; Balaseus, cum Buc filio suo; Bud, cum Georgio et Gurganus filijs suis; Stayzlaus, cum Iwanc et Egidio filijs suis; Dobrina, cum Myko et Woyn filijs suis; Woyzlau, cum Bencha filio suo; et Thomas cum Gregorio, Laury n et Piscur filijs suis, de minori villa Selepchen nomine, Jobagiones monasterij sancti Benedicti iuxta Granum, seruientes in equo proprio, qui wlgo Luosicsag <sup>1)</sup> dicuntur, a seruicio dicti monasterij se presumptione propria retraxissent, et eosdem abbas predicti monasterij sancti Benedicti, de conueniencia sui Conuentus, in iudicium euocasset; Sed cum grauamen imminere sibi presensissent, tandem ante diffinitiuam sententiam, ad gremium ecclesie recurrentes, pro inobediencia, quam ex temeritate commiserant, ab abbate et Conuentu predictis veniam postularunt confitentes, se esse Jobbagiones Monasterij prenotati, in equo proprio seruientes, sicut ab abbate et Conuentu supradictis per Priuilegium pie memorie domini Stephani, quondam Regis Hungarie, tercij, Geysse Regis filij, probabatur, <sup>2)</sup> petentes humiliter, vt eos in antiqua ipsorum consuetudine seruare Monasterium dignaretur, que talis est: vt annuatim monasterio duo pondera mansio quelibet teneatur; Item abbatem recipient annuatim, dantes pro sua procuracione porcum triennem, qui uulgo artan dicitur, et panes, ac

1) In transunto Capituli Nitr. de a. 1428: L u o s i s a g, forte Lovasság, seu exercitus equestris.

2) Vide Nrum. 95.



ceruisiam et pabulum, sicut decet. Item id aduentu Regis subuenient abbati, sicut alij populi monasterij prenotati. Item in festiuitate sancti Benedicti de comuni soluent duas oues. Item in equo suo seruiant et ibunt, quocunque abbas in facto Monasterij eos duxerit destinandos. Hac condicione adiecta, quod si de cetero maliciose a prenotati Monasterij seruicio se retraxerint, vbicumque reperi, seu inuenti fuerint; ipsi et eorum filij in seruitutem supranominati Monasterij sancti Benedicti perpetuam rediguntur. In Cuius rei plenissimam firmitatem presentes Litteras nostras Priuilegiales abbati et Conuentui predicti Monasterij concessimus, dupplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini Millesimo Ducentesimo quadragesimo Septimo, Idus Januarij, Regni autem nostri anno Duodecimo.

Sig. e flavo et viridi serico pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 9. Fasc. 1. Nro. 2. — Paucis Fejér l. c. IV. I. 480. — Ed. Cod. Strig. II. 53., Wenzel l. c. VII. 218.

## 467.

1247. 4. Febr. — Innocentius IV. Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi, quia adventus Tartarorum ad partes Ungariae timetur, mandat, „quatenus de Suffraganeorum vestrorum consilio, ad voluntatem et beneplacitum Regis, loca queratis idonea, in quibus vos et ipsi suffraganei et populi vobis commissi, possitis vos necessitatis tempore receptare, ad quorum locorum edificationem et munitionem — — detis consilium, auxilium et favorem, ita quod in eis personestrarum provinciarum salvari valeant, si necessitatis articulus immineret. Datum Lugduni II. Non. Febr., P. a. 4.

Theiner Mon. Hung. I. 204. — Schmitth Ep. Agr. I. 164. — Katona Hist. Crit. VI. 92. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 462.

## 468.

1247. Apr. — Capitulum Quinqueecclesiense quemdam Cel, medietatem insulae et partem terrae Izsép, Capitulo Strigon. vendidisse testatur.

A.

B.

C.

Farcasius Quinqueecclesiensis prepositus, Totumque eiusdem loci Capitulum Omnibus presens scriptum cernentibus, salutem in domino. Nostri constitutus in presencia Cel, filius Cel; de villa Ysep nomine, ex vna parte, presentibus ibidem magistro Abraam archidiacono de Ghumur et domino Petro sacerdote, canonicis et procuratoribus sancte Strigoniensis

ecclesie, ex alia, Confessus est, quod ipse superiorem Insule medietatem cum Quarta parte terre, nomine Ysep, certis metis in presencia parcium limitate, tam citra Danubium, quam ultra directe procedendo, a capite eiusdem Insule per Danubium usque ad ueterem Danubium, quod Schtarduna (sic) wlgariter nominatur, Cuius Insule inferiorem medietatem iamdictum possidebat Capitulum, eidem Capitulo uendidit Quinque Marcis de argento, nostra in presencia persolutis. Ita uidelicet, quod populi in terra memorata, citra Danubium commorantes, eundi, necnon ducendi sua animalia per terram ipsius Cel usque ad aquam Donole causa adaquandi, uel cuiuscunque negocij, liberum habebunt transitum. Preterea quartam partem eiusdem aque Donole debet ipsum Capitulum claudere et Cel alias tres et Quartam partem Capitulum habebit de piscibus ibi captis, tribus alijs partibus ipsi Cel remanentibus. Hoc insuper annotando, quod aquam Danubij, sicut terra ipsius Cel eundem occupat, a Meta sepedicti Capituli superius procedendo, ipse Cel, cum procuratore Capituli locare debet annuatim et de emolumento tres habere partes, Quarta ipsi Capitulo remanente. Nos autem ad precum utriusque partis instanciam, Litteras presentes, nostri Sigilli appensione roboratas, conscribi fecimus, In supradicte uendicionis testimonium et munimen. Anno domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> VII<sup>o</sup>. Mense Aprili. Yurkone Cantore, Theodoro Custode, Arnoldino decano, Ceterisque quampluribus ibidem existentibus. Datum per manus Petri magistri Lectoris Quinqueecclesiensis.

Sig. e zona membr. pendebat. Orig. nitide perscriptum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 31. Fasc. 1. Nro. 7. — Ed. Cod. Strig. II. 55., Wenzel l. c. VII. 246.

#### 469.

1247. 26. Maii — Bela IV. Rex transcribit et confirmat Nrum. 477.

BELA dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque rex, Omnibus xpi. fidelibus, presens scriptum inspecturis, Salutem et omne bonum. Quod regia auctoritate sancitur, stabilitate nititur perpetue firmitatis. Proinde ad uniuersorum noticiam peruenire uolumus presencium per tenorem, quod accedentes ad presenciam nostram Bensa Cantor et Petrus decanus, procuratores ecclesie Strigon., litteras fidelium nostrorum Capituli Budensis nostro conspectui presentarunt super possessionibus et libertinis inferius nominatis, relictis ecclesie memorate, supplicantes nobis humiliter et deuote, ut eas nostrarum munimine litterarum dignaremur confirmare; quarum tenor talis est:

Sequitur Nrus. 477.

Nos autem petitioni ipsorum consensum prebentes et fauorem, predictas

possessiones cum omnibus libertinis prenotatis ecclesie Strigon. duximus confirmandas. Et in confirmationis nostre memoriam sempiternam ac robur perpetuum, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostrj munimine communitas. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. X<sup>o</sup> L. Septimo Kalendas Junij, Regni autem nostri Anno Duodecimo.

Sigillum e violaceo serico pendeat. Originale atro caractere pulchre exaratum, in Arch. Cap. Strig. publ. Capsa 53. Fasc. 7. Nr. 2.

---

470.

1247. 10. Jun. — Bela IV. Stephano Archiepiscopo Strigon. commisit, ut controversiam inter Andream, filium Ivanka et Und Comitem super terra Wajka vertentem componeret; „idem Archiepiscopus nobis remandavit, quod inter praedictas alio modo nequiret componere, nisi terra dicta supradicto Und comiti remaneret,“ et Andreae alia terra, Gorok nomine, assignaretur. Igitur „ne labor praedicti Archiepiscopi in dicta causa haberetur inanis“, Andreae terram Gorok, quam ei dictus Archiepiscopus fecisset assignari, „prout per litteras dicti Archiepiscopi sub sigillo suo praesentatas nobis constitit“, confirmat. — Datum IV. Id. Jun.

Fejér Cod. dipl. IV. I. 478.

---

471.

1247. 30. Jul. — Innocentius PP. IV. Capitulo Strigon. facultatem sub generali interdicto celebrandi confert.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, Dilectis filiis . . Preposito et Capitulo Strigoniensi, Salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica pijs uotis et honestis petencium precibus fauorem beniuolum impertiri. Eapropter, dilecti in domino filij, uestris iustis precibus inclinati, ut cum generale interdictum terre fuerit, liceat uobis, ianuis clausis, submissa uoce, non pulsatis campanis, nominatim excommunicatis et interdictis exclusis, diuina officia celebrare, auctoritate uobis presentium indulgemus; dummodo causam non dederitis interdicto, uel id non contingat uobis specialiter interdicti. Nullj ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit; indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit



incursurum. Datum Lugduni III. Kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno Quinto.

A tergo legitur: „Magister Paulus.“ Sig. plumb. e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. Fasc. 1. Nro. 6. — Ed. Cod. Strig. II. 56., Wenzel I. c. VII. 232.

#### 472.

1247. 7. Aug. — Innocentius PP. IV. Archiepiscopum Strigon., in Monasterio Montis Pannoniae processionaliter recipi et ad celebrandum cum pallio admitti praecipit.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, Dilectis filiis . . Abbati et Conuentui Monasterij sancti Martinj de Pannonia, Jauriensis diocesis, Salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte Venerabilis fratris nostrj . . Archiepiscopi Strigon. nobis est oblata querela, quod cum ipse ac predecessores eius consueverint in Monasterio uestro tanquam Metropolitanus processionaliter recipi et in eodem Monasterio cum palleo celebrare, uos spiritu rebellionis assumpto, ei super hoc iniuriosi estis plurimum et molesti. Volentes igitur, ut corrigatis excessum huiusmodi per uos ipsos, vniuersitatem uestram rogamus attentius et monemus, per apostolica uobis scripta mandantes, quatinus eundem Archiepiscopum cum ad Monasterium uestrum accesserit, prout consueuistis hactenus, processionaliter admittentes, eum celebrare ibidem cum palleo libere permittatis. Alioquin dilectis filiis . . Abbati et . . Priori de Pelys, Cisterciensis ordinis, Vesprimiensis diocesis, et . . Preposito ecclesie Agriensi litteris nostris iniungimus, ut partibus conuocatis, audiant causam et appellatione remota, canonico fine decident et faciant, quod decreuerint, per censuram ecclesiasticam firmiter obseruarij. Datum Lugduni VII. Idus Augusti, Pontificatus nostrj Anno Quinto.

Ab extus: Magister Paulus. Tum manu aliena, sed coaeva: quod processione recipiatur Archiepiscopus in sancto Martino. — Bulla e cannabe pendet. Orig. in Arch. Primat. eccl. vet. Nr. 11. a. — Pray Hierarchia I. 8., Katona Hist. Crit. VI. 109., Fejér Cod. dipl. IV. I. 463.

#### 473.

1247. 7. Aug. — Innocentius PP. IV. executionem Nri. 472. mandat.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, Dilectis filiis . . Abbati et . . Priori de Pelys, Cisterciensis ordinis, Vesprimiensis diocesis, et . . Prepo-

sito ecclesie Agriensis Salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte Venerabilis fratris nostrj . . Archiepiscopi Strigon. nobis est oblata querela, quod cum ipse ac predecessores eius consueuerint in Monasterio sancti Martinj de Pannonia, Jauriensis diocesis, tanquam Metropolitanus, processionaliter recipi et in eodem Monasterio cum palleo celebrare, . . Abbas et Conuentus ipsius Monasterij, spiritu rebellionis assumpto, ei super hoc iniuriosi existunt plurimum et molesti. Volentes igitur, ut corrigant excessum huiusmodi per se ipsos, dictos Abbatem et Conuentum rogandos duximus attentius et monendos, nostris sibi dantes litteris in mandatis, ut eundem Archiepiscopum, cum ad eorum Monasterium accesserit, prout consueuerunt hactenus, processionaliter admittentes, eum ibidem cum palleo libere celebrare permittant. Quocirca discretionj uestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si dicti abbas et Conuentus mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere; uos partibus conuocatis, audiatis causam, et appellatione remota, fine canonico terminetis, facientes, quod decreueritis per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio, uel timore subtraxerint, per censuram eandem, cessante appellatione, cogatis ueritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hijs exequendis potueritis interesse, duo uestrum ea nichilominus exequantur. Datum Lugduni VII. Idus Augusti. Pontificatus nostrj Anno Quinto.

Ab extus: Magister Paulus. Tum manu aliena, sed coeua: contra Abbatem s. Martini, quod cum processione Archiepiscopum recipiant. — Bulla e filis cannabeis pendet. Orig. in Arch. Primat. eccl. vet. Nro. 11. b. — Fejér Cod. dipl. IV. I. 464.

---

#### 474.

1247. — Bela IV. hospitibus de Luprechtháza, seu Beregszász, libertates impertiens, ait: „Ecclesia vero eorum ad Archiepiscopatum Strigon. contineatur et sit sine iurisdictione magistratus.“

Fejér Cod. dipl. IV. I. 456.

---

#### 475.

1247. — Philippus Praepositus et Capitulum Strigon. super venditione terrae Stugar in Comitatu Neugradiensi litteras suas per manus Georgii lectoris Strigon. edunt.

Ex orig. Wenzel l. c. II. 201. — Stugar idem ac Stregar. Vide Nrum. 450.

## 476.

1247. — Capitulum Jauriense terram Gadócz venditam esse testatur.

Capitulum Ecclesiae Gewriensis, Vniuersis Christi fidelibus, tam praesentibus, quam futuris, praesentes litteras inspecturis, Salutem in uero salutari. Ad uniuersorum notitiam tenore presentium uolumus peruenire, Quod Andreas filius Olthman de Eclij, Janus filius Posa, Cathpan filius Cathpan, Pelgerijm filius Bethhe, Endre, Joannes, Farkasius et Benedictus filij Valentini, Joannes Clericus, filius Stephani, pro se et pro Nicolao fratre suo, Giwre, Rolandus et Andreas filij Janus, coram nobis constituti, quandam terram eorum, Gothone nomine, quam ad se iure hereditario pertinere asserebant, confessi sunt Matthaeo et Wijd, filijs Marcus de Villa Vrs, Chone et Lamperto, necnon Nogud et Othuz, filijs Nogus, cum omnibus suis pertinencijs, ex beneplacito suorum Commetaneorum, pro uiginti et tribus Marcis uendidisse, quas sibi dixerunt fuisse persolutas. Ordines autem metarum eiusdem terrae, ut iidem homines nobis retulerunt, taliter distinguuntur: Prima meta incipit ab Oriente iuxta flumeu Wag, et uadit ad piscinam Guestre, inde tendit ad uillam Kesew, inde circuit et uadit ad partem meridionalem iuxta locum, qui Scek nuncupatur, et ad metas terrae uicinae de Vrs, et inde uenitur iuxta eandem terram et itur ad Guestre, ibi transit et uadit ad piscinam Kerekto et inde uenitur ad flumen Gen, et hinc directe uadit ad insulam Ocolus et tendit ad Dudwag, ubi terra Thoma et Balijan ipsi terrae est uicina, et uadit ad flumen Wag et iuxta idem flumen circuit magnam quantitatem terrae, in qua circuitione sunt piscinae et pratum, et uadit ad Ebthw, et cadit in amnem Wag et inde reuertitur ad primam metam, quae sita est iuxta uillam Kesew, et usque ipsam metam, de Ebthw flumen Wag cum Thoma et Balyan est commune. Praeterea Andreas et cognati eius supradicti dixerunt aliam quandam portionem terrae, Wamos-thelek uocatae, quadraginta iugera continentem, metis undique circumdatam, hominibus supradictis de Vrs pro eadem pecunia uendidisse perpetuo possidendam. In cuius rei memoriam litteras praesentes, sigillo nostro munitas, dari fecimus. Magistro Chepano Praeposito nostro, Sixto Cantore, Magistro Vmentone (sic) Archidiacono Gewr, Thoma Custode existentibus. Anno Domini Millesimo ducentesimo quadragesimo septimo.



## 477.

1247. — Capitulum Budense ad mandatum Iudicis Curiae Regiae Capitulum Strigon. in possessiones Jenö et Theka introducit.

Uniuersis presens scriptum inspecturis, Capitulum Budense Salutem. Vniuersitati uestre significamus, quod cum Bensa cantor Strigoniensis et Abraham Archidiaconus de Gumur, procuratores capituli Strigon., quasdam porciones, terram scilicet Inev, sitam iuxta Pest, cum libertinis, quorum nomina sunt hec: Arus, Micus, Mixa, Donat et Endres, cum eorum heredibus, et terram nomine Theca, quas Mochor nobilis de genere Cortul, in extremis positus, donauerat ecclesie Strigon., coram omnibus cognatis predicti Mochor, quorum nomina sunt hec: Abraham, Symon, Nicolaus filij Vza; Chuda filius Symonis; Petrus filius Mortun; Ipolitus filius Laurenrij; Jac filius Benedicti, qui predictam donacionem suo testimonio et consensu confirmarunt, testimonialibus litteris nostris pecijsset confirmari; Petrus filius Vza, de eadem generatione, super terra Ineu contradixit. Terram autem Theca cum libertinis in terra Ineu commorantibus afirans ipsi Capitulo Strigon. ab eodem Mochor esse relictam, ut sui cognati antedicti asserebant; quem supradicti procuratores citauerunt ad presenciam Iudicis curie domini regis ad terminum competentem. Postmodum recepimus litteras iudicis antedicti continentes, quod sepedictus Petrus filius Vze, ad terminos assignatos non uenisset et ex eo ipsum iudicijs condemnasset. Quare idem iudex, nomine Ladizlaus, auctoritate domini regis in litteris suis nobis precepit, ut capitulum Strigon. introduceremus in possessiones supradictas. Cuius mandatis, sicut de iure tenemur, obediens, hominem dicti capituli per Nicolaum decanum ecclesie nostre introduximus in possessiones sepius nominatas, nullo contradictore existente. Vt ergo supradictas porciones et libertinos capitulum Strigon. pacifice et perhenniter ualeat possidere, presentes intuitu iusticie et ad mandatum predicti iudicis concessimus litteras, sigilli nostrj munimine roboratas. Datum per manus magistri Ambrosij lectoris Budensis, Anno gracie M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. VII. Aron Cantore, Thoma tercio (sic) custode.

E Nro. 469.

## 478.

1248. 26. Martii. — Oltumannus sacerdos de Moderdorf per Capitulum Strigon. de decimis quatuor Curiarum, iniuste detentis, coram Archiepiscopo Strigon. conventus, iisdem renuntiat.

Nos Stephanus, dei gracia Strigon. archiepiscopus, significamus, quod cum dilecti in xpo. filij, Ph. Prepositus et Capitulum ecclesie Strigon. traxissent

in causam Oltumannum, sacerdotem de villa Balarad, super decimis quatuor Curiarum, in eadem villa existencium, quas idem Oltumannus sacerdos detinebat, ut dicebant; eodem Oltumanno sacerdote hoc penitus negante et dicente, quod beate memorie Johannes archiepiscopus contulerat decimas dictarum Curiarum ecclesie sue, dum eam dedicaret; quia Priuilegium dicti archiepiscopi super hoc non exhibebat, quod dicebat se in persecucione Thartharorum amisisse; et quia ius commune faciebat pro fratribus nostris antedictis, decreuimus, quod habita deliberacione in Capitulo, si tres de fratribus, qui decimas de Tyrna et de Balarad pro tempore procurarunt, prestiterint sacramentum, quod ipsi nomine Capituli perceperint omnes decimas de Balarad et sacerdos nullius Curie decimam perceperit, nec percipere debuerit: sacerdos condigne sentencie subiaceret; super quo prefiximus terminum competentem, in quo predictus Oltumannus sacerdos comparens, tribus de Capitulo, quos Capitulum ad prestandum sacramentum super premissis, habita deliberacione, ordinarat, paratis iurare, prout per nos fuerat iudicatum, recognouit et confessus est, quod decime predictarum Curiarum ad Capitulum pertinebant pleno iure, nec ipse in eisdem aliquid ius habuerat, uel habebat. Vnde cessit et renunciavit in iudicio sponte omni iuri et accioni, quam se super hijs habere dicebat, uel habere poterat in hac parte. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>. Septimo Kalendas Aprilis.

A tergo: „Super decima ville Balarad;“ manus sec. 16. adiecit: „nunc uocatur modordorff.“ Sig. e corrigia pendebat. Orig. minutis litteris exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 43. Fasc. 1. Nro. 1. — Ed. Fejér I. c. IV. II. 12.

#### 479.

1248. 19. Jul. — Bela IV. magistro Stephano aurifabro suo terram Kesző, alias Kérd in descensum confert.

BELA, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque rex, vniuersis xpi. fidelibus, presens scriptum inspecturis, Salutem in omnium saluatore. Serenitatis regie exposcit officium, in admittendis congruis petitionibus quorumlibet suorum subiectorum se liberalem exhibere; maxime tamen eorum uotis debet annuere, quos attrahens aliunde, regio culmini habiles circumspicit seruitores. Hac igitur consideracione inductj, ad uniuersorum, tam presencium, quam posterorum noticiam peruenire uolumus presencium per tenorem, quod cum magister Stephanus, aurifaber primum felicitis recordacionis patri nostro in arte aurifabrili fideliter seruiuisset, et tandem propter idem officium sic coram nostre maiestatis oculis se placabilem ob continuam legalitatem et seruicia studuisset exhibere; tandem ad nostram accedens presenciam,

a nobis suppliciter postulavit, ut terram Keseu, que alio uocabulo Kerd dicitur, a terris domine regine et ducatus certis metis et ueteribus segregatam, Castrorum uidelicet Hunth et Zulgageur, sibi pro terra descensuali concedere dignaremur. Et quia officij nostri debitum inuigilare remedijs nos admonet subditorum, petitioni ipsius consensum prebentes et fauorem; predictam terram Keseu, uel aliter Kerd appellatam, a prememoratis castris penitus exemptam, duorum aratrorum et dimidij usui subiacentem, prout per litteras uenerabilis patris Stephani, archiepiscopi Strigon., cui assignacionem terre illius commisimus, nobis innotuit, a terris domine regine et ducatus per medietatem diuisam et ab inuicem segregatam, pro terra descensuali ipsi magistro Stephano tam plene ac pacifice duximus conferendam, ut tam ipse, quam ipsius heredes, heredumque successores pacifice possideant et quiete. Mete autem terre ipsius, sicut nobis per eundem archiepiscopum constitit, hoc ordine distinguuntur: Prima meta incipit prope ypul ab oriente et uenit ad quandam pirum sub qua est meta; Inde tendit uersus occidentem directe ad fundum, ubi fuerat uilla; Inde iuxta quandam uiam est meta; Hinc tendit ad terram sabulosam, et ibi in quodam cacumine est meta; Inde ad dumum salicum iuxta paludem, et ibi est meta; Deinde ascendit montem et intrat siluam et tendit usque ad terram Jormoth penes Scithnice et ibi terminatur. Vt autem hec a nobis facta donacio seu collacio robur obtineat perpetue firmitatis, nec possit ab aliquo processu temporum in irritum reuocari; presentes eidem concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. Octauo. XIII<sup>o</sup>. Kalendas Augusti, Regni autem nostri anno Tercio decimo.

Fragm. Sigilli e flavo et violaceo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 34. Fasc. 1. Nro. 1. Ed. Fejér l. c. IV. II. 14.

#### 480.

1248. 25. Dec. — Innocentius PP. IV. „vt Ecclesia Strigon., quae sub uocabulo s. Adalberti Confessoris constructa esse dignoscitur, congruis honoribus frequentetur,“ unius anni et 40 dierum indulgentias largitur „omnibus vere poenitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Domini nostri Jesu Christi, ac Pentecostes et s. Trinitatis, et in singulis quatuor principalibus B. Mariae V. gloriosae, ac b. Petri et Pauli, necnon in sanctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, ac Stephani, Ladislai, ac Emerici Confessorum et Adalberti predicti festiuitatibus et in die Coene eiusdem Domini nostri Jesu Christi, Ecclesiam predictam devote visitauerint.“ — Datum Auenione VIII. kal. Jan., P. a. 6.

Fejér Cod. dipl. IV. II. 26.



## 481.

1248. — Bela IV. terras Szellő et Rendvegh Nicolao Custodi et ecclesiae Strigon. confert.

Nos B. dei gracia Rex Hungarie, significamus vniuersis, quod terras quasdam, ad Castrum Neugradiense pertinentes, que vocantur Zelev, videlicet terram, quam Symona et sui Cognati, ac socij tenebant, necnon terram Rendwey, uicinam terre Martini, filij Zuere, que uocatur Busa, adiacentes terre hereditarie Nicholay Custodis Strigon., archidiaconi de Saswar, eidem Custodi et ecclesie per ipsum, interuenientibus eciam precibus venerabilis Patris Stephani, archiepiscopi Strigon., duximus perpetuo conferendas et priuilegio nostro confirmandas. Quocirca precipimus vniuersis Iudicibus, et specialiter comiti de Neugrad, pro tempore constituto, ac iobagionibus eiusdem Castri, quatenus dictum Custodem et ecclesiam nullus eorum audeat super predictis terris aliquatenus molestare, sed quiete et pacifice permittat possidere. Datum Bude Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. octauo.

Sigillum tergo fuit appressum. Orig. litteris minusculis exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 51. fasc. 1. Nro. 3. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 14. et VII. V. pag. 278.

## 482.

1248. — Dionysius Palatinus testatur, „quod Thadenka filius Thadenco, in insultu Thartharorum, cum adhuc regnum esset in persecucione et ipsi essent in Hungaria, destruxisset quoddam predium venerabilis Patris Episcopi Wesprimiensis Zlaudi, nomine Scampton, cum adhuc esset Prepositus Posoniensis, idem prepositus domino Regi, cum rediret de partibus maritimis, litem — — inchoavit, et licet postea coram Ladislao Palatino causa diu ventilata fuisset, ita quod dampna omnia illata eidem domino Zlaudo, tunc Preposito Poson., nunc Episcopo Wesprim., — — estimata fuissent — ad octuaginta marcas;“ Thadenka tandem mortuo, successor eius Guthalum Episcopo praedicto pro damnis illatis montem Warod cessit, non ratione tamen Episcopatus Wesprimiensis, sed pro destructione predii sui de patrimonio acquisiti.“ — —

Fejér Cod. dipl. IX. VII. 662.

## 483.

1248. — Ph(ilippus) Praepositus et Capitulum Strigon. de recepta per vi-  
duam Comitis Petri dote sua, litteras per „manus Georgij Lectoris Stri-  
gon.“ expedit.

Orig. in Arch. Aerarii R. Bud. Wenzel. l. c. VII. 271.

## 484.

1248. — Capitulum Nitriense Thomam, filium Mihedei, terram suam Wochard Archi-  
episcopo Strigon. in perpetuum vendidisse testatur.

Vniuersis xpi. fidelibus, ad quos presentes peruenerint, Nitriensis ecclesie  
Capitulum oraciones in domino ihu. xpo. Significamus tam modernis, quam futu-  
ris, quod Thomas, filius Mihedei, cum Damiano, procuratore venerabilis in  
xpo. patris et domini Stephani archiepiscopi Strigon., in nostra presencia  
constitutus, potestatus est, se uendidisse terram suam, Wochard uocatam, ei-  
dem archiepiscopo pro duabus marcis argenti et media, sibi a predicto Damia-  
no coram nobis plenarie persolutis, in perpetuum possidendam, presente socero  
suo Azaria, de uilla Meger, iobagione domine regine, consensum prebente pa-  
riter et assensum. Nos igitur super consensu commetaneorum, metis ac quan-  
titate prefate terre certificari plenius cupientes, ad predictam terram hominem  
nostrum fidelem duximus transmittendum, Qui rediens, nobis retulit, quod huic  
contractui nullus commetaneorum extitit contradictor, et ipsa terra contermina  
est pluribus partibus terris archiepiscopi sepedicti. Quantitatem autem ipsius  
dixit trium esse sufficientem usui aratorum. In cuius rei testimonium litteras  
presentes, Sigilli nostri munimine confecimus roboratas. Anno gracie M<sup>o</sup>.  
CC<sup>o</sup>. XL<sup>o</sup>. Octauo.

A

B

C

Sigillum detritum e roseo et albo serico pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad.  
Q. fasc. 1. Nro. 4. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 25.

## 485.

1249. 15. Martii. — Bela IV. palatium regium in arce Strigon. Archiepiscopo donat,  
residuum vero intra muros castri spatium civibus pro habitatione cedit.

(B)ELA dei gracia Hungarie, Dalmachie, Chrowachie, Rame, Seruie, Gal-  
licie, Lodomerie, Cumanieque Rex. Uniuersis xpi. fidelibus, presentem Pagi-

nam inspecturis, salutem in salutis largitore. Cum propter hostiles incursus et precipue metum reditus Thartharorum, per quos milicia et uires Regni nostri, domino permittente, fuerant diminuta, residuum populi de Ciuitate Strigon., qui deo auxiliante eorum manus euaserant, saluare cupientes, de consilio Iobagionum Regni nostri in Castrum Strigon. tran(slo)caremus; attendentes, quod una cum Venerabili Patre nostro, sancte Strigon. sedis Metropolitano, Ciues communiter non (possent co)mmode residere et quod *hedificia* et Curiae, ad archiepiscopum pertinencia, locum spaciosum obtinebant; Palacium (nostrum regium cum om)nibus Domibus et vtilitatibus, ac pertinencijs suis, que uetustate diruta fuerant et reparacione sumptuosa indi(gerent, cum venerab)ili Patre nostro Stephano Strigon. archiepiscopo commutauimus, ea sibi nomine Strigon. ecclesie pleno iure (et) dominio, omni prorsus excepcione remota, tradidimus; licet ea tam inclite recordacionis pater noster Rex Andreas antecessor(ib)us suis et nos sibi gratuito donassemus, si ipsi titulo donacionis illa acceptassent et possidere uoluissent, Claustro et Curiae prepositj decenti spacio Cimiterij uersus Palacium Archiepiscopale, Capitulo et Ecclesie Beatj adAlbertj et gloriosi martiris reseruato, et totum residuum infra muros Castri Ciuibus et alijs, qui de nostro beneplacito habitare uoluerint, cum ecclesia beati Stephani prothomartiris, Capella uidelicet archiepiscopali, donauimus; saluis iuribus archiepiscopalibus, prout antea habebant in eosdem Ciues. Promittentes bona fide, sine fraude, hanc commutacionem nostro et successorum nostrorum temporibus perpetuo, integraliter et inuiolabiliter conseruari. Et super hijs promittimus nos daturos Priuilegium nostrum cum aurea Bulla domino archiepiscopo, quandocunque uoluerit a nobis impetrare. Ut autem presentis commutacionis series perpetuum robor ualeat optinere, presentes litteras eidem Archiepiscopo dedimus, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno ab incarnatione domini Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Nono.

Fragm. sigilli e violaceo serico pendet. Orig. exesum amplius integre legi non potest, lacunas e Fejér l. c. IV. II. pag. 37. suppleuimus, qui diploma hoc e Mss. Hevenessianis edidit, quorum nempe collectionis tempore, originale hoc integrum adhuc fuerit. Adseruatur in Arch. Prim. Sec. Lad. J. fasc. 1. Nro. 2. — Datum diei extrasecialiter penes zonam sigilli est adscriptum.

---

486.

1249. 19. Martii. — Bela IV. terram suam Örs, cum terra Archiepiscopi Strigon. Szöny, commutat, et in quantum plus ualet, donat Ecclesiae Strigon.

BELA DEI GRACIA Hungarie, Dalmachie, Chrowacie, Rame, Serwie, Gallichie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Uniuersis xpi. fidelibus presentem pa-



ginam inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod licet nos in villa nostra Vrs, constituta in Comitatu Strigon., que conterminalis est ville Archiepiscopi Strigon., decem et septem homines, quorum sex singuli, scilicet Bodus, Petha, Ilarus, Wylma, Gohc et Boryz, quinquaginta ydrias uini annuatim nobis soluere tenentur; Item septem vduwornicos (sic), quorum nomina sunt, Guk, Jacob, Johannes, Petrus, Petha, Chumpoz et Thiwodor; quatuor quoque homines, qui ad klicium nostrum pabulum dare tenentur, Euza, uidelicet, Gurgus Chenka et Gurk, quorum omnium terra, tam petrosa, quam siluosa, ac eciam arabilis, ad uiginti aratra computari potest, habemus, et archiepiscopus Strigon. in Sceun, in Comitatu Camariensi, terram arabilem ad duo aratra, decem et septem loca Curiarum, quarum quelibet dimidiam Marcam in anno pro pensione soluere consueuit; capturam quoque vsonum in Danubio et quatuor mansiones, quorum nomina sunt: Pouca, qui est sanctifer, Chenka vduwornicus, Mathias piscator In weyz, qui est Thawarnicus, habere dinoscatur; quia nobis bona archiepiscopi, superius comprehensa, potius, quam nostra, et archiepiscopo nostra potius, quam sua propter oportunitatem loci expediebat possidere et habere: predictos homines nostros, ac eorum Terram cum omnibus utilitatibus et pertinencijs suis, pro terra, vsonum captura, Curiarum locis, ac hominibus archiepiscopalibus, cum venerabili Patre Stephano, archiepiscopo Strigon. commutauimus; nostros homines et terram eorundem sibi nomine Ecclesie Strigon., pleno iure et dominio, omni prorsus excepcione remota, perpetuo possidendam tradentes. Homines ipsius archiepiscopi cum captura vsonum, Curiarum locis, ac quantitate terre supradictis, ex eodem contractu permutacionis ad nos recepimus, ut ipse terram nostram, nosque suam, sub metis siue signis, quibus usque ad hec tempora sunt possesse, irreuocabiliter possideamus. Expresse acto, quod etsi plus dedisse uideamur, quam recipimus ab archiepiscopo supradicto; commutacionem tamen factam id non possit aliquatenus infirmare; quia quod superfluum eidem ex certa conscientia plus, quam sua ualeant, contulimus, ea nos sibi et Ecclesie Strigon. gratuito dedisse fatemur uniuersis. Promittentes bona fide, hanc commutacionem, seu eciam gratificacionem, nostro et successorum nostrorum temporibus perpetuo, integraliter et inuiolabiliter conseruari; eumque in rerum commutatarum possessionem corporalem per fidelem nostrum Lampertum, de genere Hunthpaznan, fecimus introducj. Ne igitur super hoc aliquis dubitacionis scrupulus oriatur, presentes litteras in perpetuam stabilitatem commutacionis facte, dupplicis sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Anno domini Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Nono.

Datum diei extraserialiter in inferiori margine sic adnotatur: XIII. kl. aprilis.

— Fragm. sigilli e serico flavo et rubro pendet. Orig. in Arch. Prim. sec. Lad. Q. fasc. 4. Nro. 66. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 41.

## 487.

1248. 3. Oct. — Innocentius PP. IV. cruciferos benevolentiae et protectioni totius cleri commendat.

Innocentius episcopus Seruus Seruorum dei. Uenerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis et Dilectis Filijs abbatibus, Prioribus, Decanis, archidiaconis et alijs ecclesiarum Praelatis, ad quos littere iste peruenerint, Salutem et apostolicam benedictionem. Si discrimina, que Dilecti filij fratres Ierosolimitani Hospitalis pro defensione xpianitatis continue sustinent in partibus transmarinis, et beneficia, que pauperibus subministrant, consideratione sollicita pensaretis, non solum ab illorum cessaretis molestijs, sed et alios studeretis districtius cohibere. Ceterum audiuius et audientes nequiuimus non mirari, quod eos quidam uestrum solito dirius persequentes, non solum querelas eorum dissimulant, sed ipsos grauibus iniurijs uexauerunt et in dampnabili adhuc proposito perseuerant, litteras nostras generales et quandoque speciales legere contempnentes, quas si interdum legerint, uilipendunt. Vnde clerici et laici sumentes audaciam, aduersus eos securius insolescunt, elemosinas et beneficia subtrahunt consueta. Inuasores quoque bonorum ipsorum fratrum non arguunt, sed in sua familiaritate recipiunt, fratres ipsos intollerabiliter deprimentes, quos pro sue religionis honestate deberent attentius sustentare. Vnde quoniam grauamen eorum tantominus uolumus in patientia sustinere, quanto grauius iusto dei iudicio permittente iugiter ipsos inimici xpianj nominis persecuntur, Vniuersitati uestre per apostolica scripta mandamus et in obediencie uirtute precipimus, quatenus litteras, quas pro eis dirigimus, siue generales fuerint, siue eciam speciales, recipiatis humiliter et fideliter exponatis, subiectos uestros ad solitas elemosinas et beneficia sollicitis monitis et exhortacionibus inducentes, fratres autem benigne recipiatis et honeste tractetis, Attentius prouisuri, ut de parochianis uestris, uel de subditis alijs si querelam detulerint, ipsos ad exhibendam iusticiam omni gratia et timore postpositis canonica seueritate cogatis, ita quod fratres ipsi ex negligentia uestra ad sedem apostolicam non laborent. Sciturj, quod si percepto nostro presumpseritis ulterius contraire, in uos sicut in inhobedientes (sic) animaduertere seuerius compellemur. Datum Lugduni V. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Sexto.

Bulla e filo rubro et flavo dependet. Orig. inter Acta Crucif. in Arch. Cap. Poson. Capsa Crucif. 1. fasc. 1. Nro. 6.

## 488.

1249. 28. Nov. — Bela IV. Archino Veneto, comiti Camerae suae, civi Strigon., ob filium eius, per Mariam Reginam e fonte baptismatis levatum, terram Nyir prope Strigonium confert.

BELA, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Seruie, Rame, Gallicie, Lodomerie, Chumanieque Rex, Vniuersis xpi. fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presens scriptum inspecturis, salutem in domino sempiternam. Regie sublimitati conuenit, illos dotare possessionibus, quos a sacro fonte baptismatis eleuando, ad sancte fidei catholice coniunxerunt vnionem. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, Quod cum vir prouidus Archinus, comes camere nostre, nacione Venetus, nunc ciuis Strigon., ad dominam Mariam, Reginam Hungarie, karissimam consortem nostram, humiliter accedens, supplicando postulasset, Vt filium suum a sacro fontis lauacro dignaretur eleuare, matrique ecclesie vt catholicum sociaret. Cuius petitioni eadem domina Regina annuens, diuineque gracie infantulum, eidem comiti archino diuinitus concessum, associare cupiens, nomineque nostro, Bela videlicet, eidem infantulo inposito, a sacro fonte baptismatis duxit eleuandum. Cuius nos uoto consencientes, eidem comiti archyno et per eum filio suo, per eandem dominam Reginam baptizato, quandam terram, Nyvr vocatam, prope Strigonium existentem, in qua quatuor mansiones vduornicorum nostrorum et quatuor thauarnici nostri residebant, ac terram Buchariorum Reginalium, in eadem terra existencium, simul cum terris Zocho, Ivachini, ac aliorum hominum, sine herede decedencium, de beneplacito et voluntate eiusdem domine Marie, Regine Hvngarie, cum omnibus vtilitatibus suis, vineis videlicet, pratis et fenilibus, ac circumstancijs vniuersis, ex certa sciencia dedimus, contulimus et tradidimus iure perpetuo, pacifice et quiete possidendam, et in corporalem possessionem diete terre, Nyvr vocate, ipsum comitem archinum per Oliuerium magistrum, hominem nostrum, sub testimonio capituli Strigon., fecimus introduci, nullo contradictore existente. Cuius quidem terre mete, prout in litteris capituli Strigon., vidimus contineri, hoc ordine distinguntur: Prima meta eiusdem terre Nyvr incipit a parte orientali de vno magno monte, Nyvrkv vocato, a parte Bille superius in vno berch dicto, Vbi sunt quatuor mete terre. Deinde descendit versus villam, Boyon vocatam, ad magnam viam, ad vniam arborem piri, vltra quasdam vineas, vbi sunt quatuor mete terre. Deinde tendit versus partem meridionalem per eandem magnam viam, et ascendit inter duos monticulos, qui vocantur ykerheeg. Deinde descendit ad magnam viam, vbi sunt quatuor mete terre. Deinde descendit per eandem viam ad vniam terram, que vocatur Felkud, vbi est vna meta terrea et sub eadem meta est vna meta terrea in quodam prato, in fine cuiusdam terre, olkud nuncupate.



Deinde tendit uersus partem occidentalem ad vnam terram, Zeek vocatam, vbi est vna meta terrea. Deinde descendit versus villam durug, ad quoddam pratum usque aquam, Kved nuncupatam, vbi sunt due mete terre. Deinde descendit in eodem prato versus danubium, circa aquam, que currit in ipso prato, que seperat terras ville durug, Capituli ecclesie Strigon., et terram Nyvr vocatam, contra montem, durugheeg vocatum, vbi est vnus dumus de rakatyafa nuncupatus. Deinde declinat versus partem orientalem iterato, ascendendo peruenit ad magnam viam, que ducit ad Budam, sub qua est vnus lapis pro meta, in terra vallosa sub quadam vinea; abhinc ascendit per eandem vineam ad vnum monticulum, qui uocatur kerekmal; deinde vadit ad vnam vallem, in qua est magna via, circa quam est vnus magnus lapis pro meta. Deinde transit ipsam magnam viam, ascendendo versus Nyrkv vocatum, vbi est vnus magnus lapis super tribus lapidibus pro meta; et deinde ascendit ad priorem metam, Nyrkv vocatam, et ibi mete terminantur. Vt igitur nostre donacionis series robur optineat perpetue firmitatis, nec possit ullo vnquam tempore in irritum renocari, presentes eidem concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti viri, magistri Achillis, prepositi albensis, aule nostre vice cancellari, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo Dvcentesimo quadragesimo nono; quarto Kalende (sic) decembris, Regni autem nostri anno quartodecimo.

Fragm. sigilli e viridi et violaceo serico pendet. Orig., litteris magnis pulcherrime exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 29. fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 39.

---

489.

1249. 1. Dec. — Bela IV. quia privilegia Ecclesiae de Zobor „ex vetustate potius et casu, quam ex malitia forent destructa,“ Vincentio Archidiacono Niriensi demandavit, „ut omnes terras dicti monasterii de Zobur circuiret et perambularet diligenter, convocatis commetaneis et omnibus aliis, qui sibi ad hoc utiles et necessarii viderentur, et tam nomina villarum, quam metas earundem, nobis in suis litteris fideliter intimaret; qui nobis postmodum privilegium felcis recordationis Colomanni, illustris Hungarorum Regis, quod apud eos invenit, tam villarum suarum antiquarum nomina, quam metas earundem continens — —, sub suo sigillo inclusum, simul cum litteris suis, formae privilegii eiusdem concordantibus, nobis transmisit.“ — Datum kal. Dec.

Fejér Cod. dipl. V. I. 309. et iterum VII. V. 280. — Litterae hae exhibitae fuerant coram Thoma Iudice Curiae a. 1352. Fejér ib. IX. II. 203.

## 490.

1249. (?) — Bela IV. terras Zellő et Rendve, per Tartaros habitatoribus orbatas, Nicolao Custodi Strigon. et per eum Ecclesiae confert.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex. Vniuersis, presentem paginam inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, Quod cum quedam terre, ad Castrum Neugradiense pertinentes, quarum vna Zeleu vocatur, quam Symona et sui cognati ac socij tenebant, altera uero terra Rendwey, vicina terre Martini, filij Zewere, que vocatur Busa mixte et adiacentes terre hereditarie Nicolai Custodis Strigon., archidyaconi de Saswar, fidelis nostri, per seuciam dyre nacionis Tartarorum habitatoribus earumdem omnibus interemptis, vacue remansissent et desolate; nos easdem terras cum omnibus Juribus suis et pertinencijs, ex Regia liberalitate, de nostro beneplacito, memorato Nicolao Custodi et ecclesie per ipsum, interuenientibus eciam precibus venerabilis patris Stephani archiepiscopi Strigon., dilecti et fidelis nostri, contulimus perpetuo et irrenocabiliter possidendas et tenendas. Vt igitur hec nostra donacio, prefato Nicolao Custodi et ecclesie per ipsum facta, robur optineat perpetue firmitatis, presentes eidem concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Bude Anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> Tricesimo Nono, Regni autem nostri anno Decimo.

E transumpto Caroli Regis de a. 1323. In Arch. Primat. sec. Lad. 7. Nro. 154. Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 53. — In anno descriptor aberravit, a. enim 1239. nondum tartari irruerant. Fejér litteras has e Collectione Jankovichiana ad a. 1249. edidit, quod probabile ex eo videtur, quia possessiones has Bela Rex Nicolao Custodi a. iam 1248. contulit (Nro. 481.), donationem igitur hanc praesentibus litteris tantum confirmavit, seu, ut dici solet, litteras desuper privilegiales edidit.

## 491.

1249. — Nicolaus Palatinus testatur colonos s. Benedicti de Gron exemptos esse a iudicatu quorumcumque iudicum Regni.

Fejér Cod. dipl. IV. II. 56. sic breviter. Orig. mihi ad manus non venit.

## 492.

1249. — Praepositus s. Eustachii super concambio terre Sup testatur.

Sic Fejér Cod. dipl. IV. II. 56. — Orig. mihi non occurrit.

## 493.

1250. 22. Maii. — Conventus Cruciferorum Strigon. terram Örs Archiepiscopatus Strigon. statuit.

Nos frater H. magister et vniuersi fratres Cruciferorum Ecclesie Sancti Stephani Regis de Strigonio significamus, — — quod cum nos iuxta preceptum — — Bele Regis ad statuendam quandam possessionem, Vrs uocatam, in Comitatu Strigon. existentem, in concambium cuiusdam possessionis Archiepiscopatus Strigon., Sceuri vocatam, Ecclesie et Archiepiscopatus Strigon. per ipsum dominum Regem traditam, cum Comite Lamperto homine Regio, nostrum hominem, scilicet fratrem Mychaelem pro testimonio transmissemus, ydem ad nos reuersi, hoc modo retulerunt, quod ipsam terram Vrs, presentibus ipsis condicionarijs, quorum nomina in priuilegio ipsius domini Bele Regis plenius continentur, super ipso cambio emanato, et coram vicinis ipsius terre reambulauerunt, et — — nullo penitus contradicente, simul cum omnibus utilitatibus ipsius terre et condicionarijs, Archiepiscopatus Strigon. perpetuo sub terminis statuissent. — — Datum presentibus fratre Corrado Custode et Magistro Dominico Notario, in octauis Pentecostes.

Orig. in Arch. Aerarii R. Bud. Wenzel l. c. VII. 314. — Vide Nrum. 486.

## 494.

1250. — Stephanus de Vancha, Archiepiscopus Strigon, bona immobilia Georgii de Tirnavia, sibi iudicialiter assignata, Capitulo Strigon. confert.

Stephanus, dei gracia Strigoniensis archiepiscopus, Omnibus, presentes litteras inspecturis, salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum Georgius de Tyrna in iudicio villici, Ceterorumque Iudicum de eadem Tyrna nobis in triginta et sex Marcis argenti debitor remansisset et pluribus sibi terminis, ad solutionem assignatis, non haberet, unde ipsam summam pecunie persolueret, et dicti villicus et iudices curiam, domos, agros et alias possessiones, quas idem Georgius habuit in Tyrna, pro antedicto debito nobis instituissent; nos easdem Curiam, domos, agros et alias possessiones pleno iure, sicut nobis fuerant institute, diuine intuitu pietatis et ob remedium anime patris nostri, qui in ecclesie beati Adalberti atrio requiescit, Capitulo Strigon. contulimus perpetuo possidendas. Et ut hec collatio perpetue firmitatis robur optineat, presentem paginam con-



cessimus Capitulo supradicto, sigilli nostri munimine roboratam. Datum Anno domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>. Qvinqvagesimo.

Sig. e corrigia pendebat. Orig. nitide exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 43. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. II. 58., Wenzel l. c. VII. 312.

---

495.

1250. — Capitulum Budense Nobiles de Muzsla terram Ebed Capitulo Strigon. donasse et ex parte vendidisse testatur.

A. B. C. D.

Capitulum ecclesie Budensis, vniuersis, presens scriptum inspecturis, salutem in domino, vniuersitati vestre significamus, quod cum Petrus decanus, canonicus strigoniensis, procurator ecclesie strigon., ab vna parte; Bene filius Zena, Jacob et Zup, filij Bartholomey de Musla, ex altera, coram nobis fuissent constituti; prenominati homines de Musla confessi sunt, Bazam, Boronch et Bartholomeum, antecessores ipsorum cognatos, porciones eorundem hereditarias, quas habebant in terra Ebed, ecclesie donasse strigoniensi, partem eciam Zene in eadem terra, quam nunc possidet ecclesia Strigon., Hyze <sup>1)</sup> Cantorem strigoniensem empticio iure possedissee. Insuper ipsi eciam porciones Georgij et Pauli, cognatorum suorum, quos in persecucione Tartarorum dicebant fuisse peremptos, supradicto Capitulo strigon., cuius terris in prefata terra Ebed prenominatorum hominum porciones interiacent, nullo contradictore existente, pro duabus marcis et dimidia argenti vendiderunt Capitulo strigon. perhenniter possidendas. Obligantes se, quod si vnquam super terra, per ipsos uendita, aliqua Lis emergerit; ipsi ab omnium inquietacione fratres Strigoniensis Capituli tenerentur reddere absolutos, dictamque summam pecunie confessi sunt se ad plenum recepisse; renunciantes omni iuri, quod ipsis et ipsorum cognatis in predicta terra Ebed quocunque titulo competeabat. Datum per manus magistri Ambrosij Lectoris, anno gracie Millesimo cc<sup>o</sup> Quinquagesimo. Aaron Cantore, Thoma terciio (sic) custode, Paulo decano et ceteris existentibus.

A tergo: Privilegium ecclesie Strigon. super terra, que fuit nobilium de Musla. — Sig. e flavo et viridi serico pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 27. Fasc. 1. Nro. 3. — Extr. Fejér l. c. IV. II. 81. — Ed. Cod. Strig. II. 59., Wenzel l. c. VII. 313.

---

1) In trans. Comitís Pauli V. Jud. C. R. de a. 1292. erronee, Z y z e.

## 496.

1250. — Filii Chumb, iobagiones castri Neogradiensis, terram Hatvan Stephano Archiepiscopo Strigon. vendunt, coram Cruciferis Strigon.

A                      B                      C                      D

Frater J., magister domus hospitalis sancti regis Stephani de Strigonio, ceterique fratres eiusdem domus, vniuersis, presentem paginam inspecturis, salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod Augustinus, Petrus et Ambrosius, filij Chumb, iobagiones castri Neogradiensis, una cum pristaldo eorum, homine nostro, nomine Ladislao, in nostra presencia personaliter constitutj, dixerunt, quod quandam terram eorum, nomine Hotuon, ad quadraginta aratra sufficientem, quam iure hereditario possidebant, uendidissent, commetaneis suis, xpo foro uidelicet, filio Voycha, de uilla Iuchin, Michaeli, filio vylegin, de uilla Sureg, Paulo, filio Scereth, Ysolou, filio Boloc, presentibus et non contradicentibus, venerabili patri, domino Sth. archiepiscopo Strigon. pro decem marcis argentj perpetuo iure possidendam, quam summam pecunie procuratores sui memoratis filiis Chumb coram nobis plenarie persoluerunt; dicebant etiam ijdem procuratores, dominum archiepiscopum dictam terram emisse ecclesie sue Strigoniensi. Cuius terre mete hoc ordine distinguuntur: Prima meta incipit a quodam monticulo, qui Kuhyg dicitur, et inde uadit ad kereckuken; Inde autem descendit ad quendam fluuium, qui Hotuon potoka nuncupatur; Inde protenditur iuxta eundem fluuium ad orientem per longum, ascendendo ad duas metas augustini supradicti; Inde uadit ad metas Michaelis et inde ascendit ad metas paulj, et inde descendit ad partem meridionalem ad metas ysou supradictorum, reuertendo ad primam metam kuhig, ubi terminatur. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. Quinquagesimo.

Fragm. sigilli e serico rubro pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. f. sc. 4. Nro. 75. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 80.

## 497.

1251. 28. Jan. — Gopol terram suam Chath Archiepiscopo Strigon. coram Capitulo Albensi vendit.

Capitulum ecclesie Albensis vniuersis xpiane fidei cultoribus, presentibus pariter et futuris, presentes Litteras inspecturis, Salutem in domino. Vniuersitati vestre tenore presencium innotescat, quod Gopol, filius Chepani,

in nostra personaliter constitutus presencia, terram suam, nomine Chath, sitam iuxta fluuium Fyzeg, mixtim iacentem cum terra Ecclesie Strigon., quam ex parte auuncule sue, videlicet matre patris sui, in ius et proprietatem suam deuolutam esse dicebat, eodem pleno iure, quo ipse possidebat, nichil iuris et porcionis ibidem sibi reseruante, totaliter vendidit venerabili patri Stephano Archiepiscopo Strigon. pro Quindecim Marcis argenti, perpetualiter possidendam, et ipsam pecuniam plenarie recepit coram nobis. Obligauit eciam se tali modo, quod si dictam terram frater ipsius nomine Chyz, uel eiusdem heredes, sev eciam alii cognati repetere attemptarent; ipse Gopol et ipsius heredes archiepiscopum Strigon. deffendere et penitus expeditare tenerentur proprijs laboribus et expensis. Vt igitur huius empcionis et vendicionis series Robor perpetue firmitatis optineat, ad petitionem Gopol presentes litteras, Sigilli nostri munimine Roboratas, Archiepiscopo prenotato concessimus. Anno domini Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Primo. Quinto kalendas Februarij. Magistro Achille ecclesie nostre preposito, Jacobo Cantore, Acus Custode, Michaelae Decano existentibus.

Sigillum detritum e rubro et albo serico pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. fasc. 1. Nro. 5. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 118.

#### 498.

1251. 21. Martii. — Benedictus Archiepiscopus Colocensis terram Úrkuta Stephano Archiepiscopo Strigon. ex amicitia donat, vineas vero, ibidem habitas, eidem vendit.

Nos Benedictus dei gracia Colocensis archiepiscopus, significamus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod cum nos terram quandam, nomine vrcutha, iuxta Strigonium ex donacione domini nostri Bele regis Hungarie haberemus et postmodum iusto empcionis titulo quandam aliam terram, eidem adiacentem, adepti fuissetus et essemus in quieta et pacifica possessione; tandem placuit venerabili patri domino Stephano, Strigon. archiepiscopo, cui a primenis temporibus fueramus sincere dileccionis et amicie nexibus copulati, quod easdem possessiones sibi donaremus. Nos igitur attendentes, quod et si maiora de nostro sibi placita extitissent, eiusdem beneplacitis acquiescere deberemus; prefatas possessiones, ad nos legitime deuolutas, certis undique metis distinctas, cum omnibus siluis, pratis, fenetis et alijs utilitatibus ac pertencijs suis eidem domino archiepiscopo donauimus et tradidimus, sibi et hijs, quibus conferre uoluerit, plenum dominium tribuentes. Verum quia in eadem terra, in monte quoque Strigon., quasdam uineas habebamus, quarum fructus ad predictam villam nostram de vrcutha consueuerant prouenire, quum



eadem villa, ut diximus, in dominium predicti archiepiscopi per nos translata fuerat, ipsas eidem domino archiepiscopo pro precio tredecim marcarum argenti uendidimus, irreuocabiler possidendas, ipsum in pacificam et corporalem possessionem terre et uinearum predictarum induci facientes. Vt autem predicta vniuersa futuris temporibus irreuocabiler permanerent, presentes litteras in testimonium concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Bude, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. quinquagesimo primo. XII. kalendas aprilis.

Sigillum e corrigia pendebat. Orig. litteris minusculis exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 51. fasc. 1. Nro. 4. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 82.

---

#### 499.

1251. 19. Maii. — Chák magister Tavernicorum Capitulum Strigon. in possessionem tributi Strigon. introductum testatur.

Cháak, Magister Tawarnicorum domini Regis et Comes Supruniensis, omnibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino. Vniuersorum noticie duximus declarandum, quod nobis Strigonij existentibus, Phylippus comes de Pylis a nobis pecijt hominem, sub cuius testimonio, que per ipsum fierent, nobis referret seriatim, ad quod deputauimus Nycolaum, filium Sudan, qui ad nos rediens, retulit, quod dictus Phylippus comes, de mandato et auctoritate domini Regis, introduxit Capitulum Strigon. in possessionem plenariam tributi, super quo villicum et Burgenses vici latinorum Strigoniensis Conuenerant, et obtinuerant ordine iudiciario coram Rege; super quo litteras presentes duximus conferendas. Datum Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. primo, XIII<sup>o</sup>. kalendas Junij.

Sigillum in inferiori sinistro margine e zona membr. pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 47. Fasc. 1. Nro. 3. — Edidit, sed erronee ad a. 1255., Fejér l. c. IV. II. pag. 343.

---

#### 500.

1251. 10. Iulii. — Janur, de villa Colun, ob interfectum per libertinum suum, Mancham vinitorem Archiepiscopi, filio eiusdem sex marcas solvit et terram Cseke Archiepiscopo Strigon. cedit, coram Capitulo Nitriensi.

A

B

C

Vniuersis, qui xptiana professione censentur, tam modernis, quam futuris, tenorem presencium inspecturis, Nitriensis ecclesie Capitulum oraciones in

domino. Significamus vobis, quod Janur de uilla Colun uocata, et Mathias officialis venerabilis in xpo. patris et domini nostri Stephani archiepiscopi Strigon., in nostri presencia constituti, dixerunt, quod quidam Jacobus nuncupatus, filius Dionisij libertini ipsius Janur, de uilla Geruncher uocata, interfecit uinitorem ipsius archiepiscopi, Mancha nominatum, de uilla Pagan nomine. Quapropter ipse Mathias citauerat eundem Janur in presenciam domini regis; sed antequam super hoc facto coram rege lis fuisset inchoata, antedicti Janur et Mathias, mediantibus communibus amicis, compositionem inter se amicabilem habuerunt hoc modo, quod dictus Janur teneretur soluere duodecim marcas argenti pro homicidio antedicto, de quibus idem Janur persoluit sex marcas argenti, minus fertone, filio dicti Mancha, Petk nuncupato; pro sex uero marcis et fertone idem Janur, presente filio suo Borozlou nominato et ipso consenciente, terram suam, Cheka uocatam, undique metatam, ut ab eisdem Janur et Mathia dicebatur, confessus est se statuisset dicto archiepiscopo, iure perpetuo possidendam. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Anno gracie M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. Quinquagesimo primo. Datum sexto Idus Julij per manus magistri Demetrij, lectoris Nitriensis.

Sigillum detritum e flavo, rubro et nigro serico pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. K. Fasc. 5. Nro. 48. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 84.

---

### 501.

1251. post 27. Nov. — Philippus Praepositus et Capitulum Strigon. super venditione terrae Nergues litteras per manus magistri Pauli Lectoris Strigon. edunt.

Orig. in Arch. Kékkö. Wenzel l. c. II. 221. — Litterae Regis hoc in negotio ad Capitulum directae, datae sunt feria secunda ante festum s. Andreae, seu 27. Nov. — Ib.

---

### 502.

1251. 30. Nov. — Innocentius PP. IV. Archiepiscopo Strigon. iniungit, ut Palatino et aliis Magnatibus violentum in villis ecclesiarum descensum inhibeat.

Innocentius episcopus, seruus seruorum dej, Venerabili fratri . . Archiepiscopo Strigon. Salutem et apostolicam benedictionem. Cum ecclesiarum bona clericorum sint usibus deputata, profecto non conuenit, ut in eis debachentur laici, quauis fulti potentia uel abusu. Accepimus siquidem, quod Nobiles uiri . .

Palatinus et alij Magnates Regni Vngarie pretextu cuiusdam consuetudinis, que potius est corruptela dicenda, in villis ecclesiarum tue Ciuitatis et diocesis per uolentiam hospitantes, earundem villarum bona, predictarum villarum hominibus inuitis et contradicentibus, gratis sine aliquo pretio, pro sua uoluntate diripiunt et consummunt, in earundem ecclesiarum preiudicium non modicum et grauamen; sicque fit, ut iniuriatoribus huiusmodi pretextu talis consuetudinis -rentibus id inpune, ecclesiarum ipsarum hac occasione depereunt quamplurimum facultates. Volentes igitur huiusmodi abusum de illis partibus penitus amputare; fraternitatj tue per apostolica scripta mandamus, quatinus dictos Nobiles, quod decetero ab huiusmodi presumptione, non obstante pretenta consuetudine, omnino desistant, monitione premissa, districtione qua conuenit, per te uel alios, appellatione remota, compescas, quotiens fuerit oportunum. Non obstante constitutione de duabus dietis, edita in concilio generali, et si eisdem Nobilibus, quod excommunicari, uel terre eorum interdicti non ualeant, a sede apostolica sit indultum, inuocato ad id, si necesse fuerit, auxilio brachij secularis. Datum Perusij II. kal. Decembris, Pontificatus nostri Anno Nono.

Bulla e filis cannabeis pendet. Orig. exesum in Arch. Primat. eccl. vet. Nr. 12. — Edit. ad a. 1250. Fejér I. c. IV. II. 76.

### 503.

1251. — Maria Regina quosdam de Epel iobagiones exercitiales constituit, eisdemque terram in villa Kövi confert.

Nos M. dei gracia Regina Hungarie, omnibus, quibus presentes ostenduntur, volumus fieri manifestum, quod nos inspicientes seruicia et fidelitates fidelium nostrorum Symonis et Oltumerani (?), filiorum Nicolay, Miko, <sup>1)</sup> de Epel, hanc duximus eisdem gratiam faciendam, quod ipsos Jobagiones exercitiales ordinauimus; donantes eisdem in villa Kuuy triginta duo iugera terrarum de terra Reginali, ubi melius inuenitur, et eorumdem filijs et filiorum successoribus perpetualiter et inreuocabiliter possidendam. Datum in wisegrad per manus Akus prepositi. Anno domini M<sup>o</sup>.cc<sup>o</sup>.L<sup>o</sup> primo.

Fragm. sigilli e rubro serico pendet. Orig. litteris minutis cursivis exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. II. 61., Wenzel I. c. VII. 325.

1) Vox haec ab alia coeua manu alio atramento addita.



## 504.

1251. — Stephanus Vanchai Archiepiscopus Strigon. particulam terrae Macskásorma Abbati de Grón restituit.

Nos Stephanus dei gracia Strigon. Archiepiscopus, significamus omnibus, presentes litteras inspecturis, quod Georgius abbas sancti Benedicti de Grana requisivit a nobis quandam particulam terre super Machkazormv, quam eciam testimonio proborum uirorum suam esse comprobauit et nos inquisita et cognita rei ueritate a iobagionibus Strigon. ecclesie et alijs, dictam terram eidem abbati restituimus perpetuo possidendam, ita quod portus pertinet ibi eidem abbati, ubi est meta, et inferius descendendo est meta alia, ubi est rubus, deinde tertia meta est secus uiam, quarta et quinta est, ubi due uie conterminantur in unum. Preterea nos habemus terram ibidem in latitudine trium iugerum uersus montem ad usus populorum nostrorum de uilla Scevleus. Vt autem huius rei series durare queat in posterum, ad instanciam predicti abbatis presentes litteras concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. quinquagesimo primo.

Sigillum e roseo serico pendeat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 12. Fasc. 1. Nr. 1. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 81.

## 505.

1251. — Philippus Praepositus et Capitulum Strigon. super venditione terrae in Zuhá pro octo marcis argenti, quae summa pecuniae „in hominibus, uidelicet una ancilla, nomine Neste, et filio suo Michaelé, et in equo, pecudibus et argento“ soluta fuit, testimoniales edunt.

Fejér Cod. dipl. IV. II. 122.

## 506.

1251. — Conuentus Cruciferorum Strigon. Christophorum de Lucen partem terrae suae Lucen Stephano Archiepiscopo Strigon. vendidisse testatur.

A

B

C

D

Nos magister Jacobus Hospitalis sancti Regis de Strigonio, vniuersique eiusdem loci fratres, significamus omnibus, presentes litteras inspecturis, quod constitutis in nostri presencia Damiano comite, homine scilicet ve-

nerabilis Patris, domini Stephani, archiepiscopi Strigon., ex una parte, et Xpoforo de Lucen, ex altera; idem xpoforus quandam particulam terre sue hereditarie de Lucen, ad duo aratra sufficientem, sitam in Comitatu Neugradiensi, per Ladizlaum pristaldum nostrum certis metis undique circumductam et consignatam, contigvam terre eiusdem domini archiepiscopi, Hothwon nuncupate, de beneplacito et consensu cognatorum suorum, et ysov commetanei sui, eidem Domino archiepiscopo pro Duabus marcis et dimidia argenti vendidisse, et se precium terre predictae ab eodem Domino archiepiscopo plenarie recepisse et habere est confessus. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo primo.

Fragm. sigilli e rubro serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 49. Fasc. 1. Nro. 3. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 117.

### 507.

1252. 26. Mart. — Bela IV. Simoni ac sociis pro terra eorum, in Kerd et Keszi habita, ab iisque ablata, ac hospitibus de Szalka collata, terram Husan confert.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croachie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cwmanieque Rex, Wniuersis, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium saluatore. Cum culmen nostre deceat maiestatis, ea, que a nobis acta sunt uel concessa, sic effectui mancipare, ut processu temporis valeant minime Renocari: duxit nostra serenitas omnibus declarandum, Quod cum terras hereditarias Symonis, Stephani, atque Petri, filiorum Temer, et Alexandrj, filij Pwke, necnon et Elie terram empticiam ad duo aratra, quas in terra Kerd et in terra Kezyv pacifice possidebant, eisdem duximus auferendas; terram Hwsan arabilem ad tria aratra existentem, cum silua et feneto, nemore et cum aliis omnibus suis pertinenciis, exemptam a castro Hwntensi, carentem habitatoribus, in permutacionem, sev concambium predictarum terrarum, quas hospitibus nostris de Zalka fecimus assignari, concessimus, contulimus, dedimus atque tradidimus Symoni, Stephano, Petro, Alexandro et Elie supradictis, heredibus, heredumve successoribus, perpetuo possidendam, fecimusque predictos viros introduci per fidelem nostrum Baach magistrum in corporalem possessionem terre memorate. Mete Igitur seu termini dicte terre, sicut idem fidelis noster magister Baach nobis retulit, hoc ordine distinguntur. Prima meta incipit a fluuio, qui potok dicitur, et tendit ad duas arbores vlni, que zylfa dicuntur, et ibi sunt due mete; inde procedit ad siluam in Ozowpotok; Inde uadit ad locum, qui Harsandiur dicitur, et inde ad vnam

arborem Tylie, sub qua est meta; Inde procedendo per siluam, venit ad vnum Berch, vnde descendit ad Kyraltme et ibi sunt due mete, et deinde uenit ad oscewpotok et transit per medium illius et vbi transit illud apud locum, qui Gyznowfyrtes dicitur, iuxta vnam quercum sunt due mete et inde transit vnum oscewpotok et venit ad quoddam Berch, in cuius medio sub duabus ylicibus sunt due mete; inde vadit ad duas metas, que separant ipsam terram a terra Mowka et Crystofori, et incipit tenere metas cum Azaria et Samuele; Inde per duas metas procedendo, venit inferius ad illum fontem, vbi inceperat et sub qudam (sic) salice terminatur. Vt igitur Huiusmodi acta, aut concessa processu temporis salua semper permaneant et illesa: presentes concessimus litteras, sigilli nostri duplicis munimine consignatas. Datum anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. Quinquagesimo Secundo, Septimo kalendas aprilis, Regni autem nostri Decimo octauo.

Sig. e rubro et flauo serico pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 34. fasc. 1. Nro. 2. — Extr. Fejér l. c. IV. II. pag. 170. — Ed. Cod. Strig. II. 62; Wenzel l. c. VII. 341.

## 508.

1252. 2. Jun. — Bela IV. confirmat Nrum. 476.

Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Rame, Seruiae Galliciae, Lodomeriae, Comaniaeque Rex, Universis Christi fidelibus, praesentium notitiam habituris, salutem in eo, qui Regibus dat salutem. Caueri solet, ut contractus inter subditos et sub lege factus, Legislatoris auctoritate prouide confirmetur, ne obliuionis subrepente caligine, iniuria iuri fiat, cum acciderit machinamento calumniae ueritatem succumbere falsitati. Proinde ad uniuersorum, tam praesentium, quam posterorum notitiam harum serie uolumus pervenire, Quod accedentes ad nostram praesentiam fideles nostri Matthacus et Wyd, filij Marci, de Villa Vrs; Chone, Lampertus, Nog et Othuz, filij Nogus, nobis humiliter supplicarunt, ut Contractum inter ipsos ex una parte, et Andream filium Olthuman de Ecly, Janum filium Posa et suos socios uenditores, quorum nomina inferius exprimuntur, ex altera, legitime celebratum, sicut in litteris fidelium nostrorum, Capituli Gewr, vidimus contineri, dignaremur auctoritatis Regiae litteris confirmare. Nos igitur iustis petencium desiderijs assensum facilem adhibentes, litteras ipsius contractus uerbo ad uerbum praesentibus inseri fecimus, hanc formam habentes:

Sequitur Nrus. 476.



Quem contractum auctoritate Regia confirmauimus. In cuius Confirmationis perpetuam stabilitatem praesentes tradi iussimus litteras, duplicis Sigilli nostri munimine in ius perpetuum roboratas. Datum apud Posonium in Castris. Anno Dominicae incarnationis Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo secundo, quarto Nonas Junij, Regni autem nostri anno decimo octauo.

E trans. Capituli Jauriensis a. 1376., ac Steph. Fejérkövy Locumt. R. de a. 1592. In Arch. Prim. Sec. Lad. T. fasc. 8. Nro. 226. ac Lad. T. fasc. 19. Nro. 440. — Ed. Cod. Strig. I. 36.

### 509.

1252. ante Jul. — Stephanus Vancsai archiepiscopus Strigon. villam Úrkuta, a Benedicto Archiepiscopo Colocensi, ne litem quandam ultro prosequeretur, sibi cessam, Altariae s. Luciae, per ipsum in porticu ecclesiae Strigon. fundatae, confert.

Stephanus dei gracia Strigon. archiepiscopus, Vniuersis, presentes litteras inspecturis, salutem in auctore salutis. Ad uniuersitatis uestre noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum nos olim contra Jurk, filium Othuz Bani, questionem quandam mouissemus, et venerabilis Pater Benedictus, Colocensis archiepiscopus, qui pro eodem Jurk causam ipsam contra nos defendebat, in multis iudicijs fuisset condempnatus, exigente iusticia; tandem idem dominus archiepiscopus, ne amplius in prosecutione eiusdem litis procederemus, quandam villam suam, que uocatur Wrkutha, iuxta Strigonium, in qua habuit terram empticiam, et eciam aliam, a domino Rege sibi donatam, cum omnibus eiusdem ville pertinencijs et utilitatibus, nobis cessit, iure perpetuo irretractabiliter possidendam <sup>1)</sup>; in corporalem possessionem eiusdem ville, sine contradictione qualibet, nos induci faciendo, quod est tam domino Regi, quam Capitulo Ecclesie nostre, et plurimis alijs de Regno Hungarie manifestum. Tandem nobis in quietam et pacificam eiusdem ville possessionem diucius permanentibus; cum tempore procedente nos in porticu maioris Ecclesie nostre Strigon. altare in honore beate Lucie virginis erigi fecissemus, pro remedio anime bone memorie Comitis Orbazij, Patris nostri, cuius corpus in ipsa porticu in domino requiescit, statuimus et ordinauimus, ut sacerdos aliquis instituatur ibidem, qui assidue debeat ipsi altari obsequium suum impendere, et quanto frequencius potest, salua honestate sua et debita deuotione missarum in eodem sollempnia celebrare. Et quia solus

1) Confer Num. 498.

Sacerdos sine ministri suffragio missam celebrare non potest, statuimus similiter, ut aliquem sacerdotem, quem elegerit sibi in subsidium, ex necessitate assumptum teneatur, cum quo et missarum celebrare sollempnia et qui, utpote sibi subiectus, defectum ipsius supplere debeat, cum fuerit oportunum, cui etiam ipse sacerdos institutus de sustentacione competenti debeat prouidere; ita tamen, quod ipsum, si inhoneste conuersatus fuerit, uel si in officio, sibi inposito, negligens extiterit uel remissus, possit et debeat remouere, et in locum ipsius alium ydoneum aduocare. Verumptamen, quia ecclesia sine rebus corporalibus in nullo proficit, sicut nec anima sine corpore corporaliter uiuit, et qui altario seruit, uiuere debet de altari, et non debet a mercede repelli, qui ad honus electus fuerit et assumptus; predictam villam cum feneto et alijs suis pertinencijs, ac utilitatibus, nec non cum duabus uineis, quarum una est sita iuxta puteum Wrcutha, et alia in monte Bala, quas emimus ab archiepiscopo supradicto, in ius et proprietatem ipsius basilice, seu altaris, contulimus, concessimus et donauimus ad usum et sustentacionem sacerdotis, qui ad ministerium ipsius altaris fuerit pro tempore institutus. Statuentes, ut cum ipsa basilica, seu altare, sacerdote uacauerit, unus sacerdos de Capitulo Strigon., uel de prebendarijs ipsius, ad eiusdem altaris ministerium per ipsum Capitulum perpetuo instituat, qui possessiones predictas cum omni industria seu diligencia possit et debeat gubernare et ibidem sacerdotale officium, quemadmodum premisimus, exercere. Quod si Capitulum in instituendo ibidem sacerdotem negligens inuentum fuerit, uel remissum, archiepiscopus Strigon., qui pro tempore fuerit, id propter deum exequi non moretur. Item statuimus, quod idem sacerdos institutus in die anniuersario obitus predicti Patris nostri et in festo Sancte Lucie virginis, Capitulo Strigon. generalem et sollempnem collacionem debeat propinare. Et ut hec nostra ordinacio, collacio, seu donacio robur optineat perpetue firmitatis, presentes litteras in testimonium sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Strigonij Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. Quinquagesimo Secundo, Pontificatus nostri Anno Nono.

Sigillum e serico roseo et flauo pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 51. Fasc. 1. Nro. 7. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 148. — Cum Stephanus, ut uidimus, 7. Iulii 1243. confirmatus fuit, nonus Pontificatus sui annus, 7. Jul. 1251. incipiebat, adeoque diploma hoc ante mensem Jul. exarari debuit.

## 510.

1252. a. 14. Oct. — Bela IV. Rex villarum, fundatae a se Praepositurae de Thurócz donatarum, metas per discretum virum Nicolaum Archidiaconum de Neograd et Canonicum Strigon. revideri curat. — Regni a. 17.

Fejér Cod. dipl. VII. V. 297.

## 511.

1252. 20. Oct. — Stephanus Archiepiscopus Strigon. in synodali congregatione decimas quasdam Abbati de Zala contra Episcopum Vesprimiensem adiudicat.

Nos Stephanus — — Archiepiscopus Strigon. significamus, — — quod in synodali nostra congregatione, in die festi s. Lucae Evangelistae universis Abbatibus, Praepositis et Clero nostrae Dioecesis solemner celebrata, — — frater Blasius Abbas monasterii de Zala, de medio aliorum surgens, — — nobis et universis Abbatibus atque clericis retulit, — — Quod — — Zlandus Episcopus Vesprimiensis tam decimas frugum, quam vini singulis annis sibi et ecclesiae suae provenire debentes, ex donatione sanctissimi regis Stephani eis donatas, — — per exactiones decimarum suarum defalcaret et pro seipso occuparet, necnon quosdam sacerdotes et capellanos suos, sub obedientia sua in decimatione et obedientia sua contentos, — — molestare et aggravare — — non cessaret. Quibus sic auditis, — — Dominus Zlandus Episcopus Wesprim., similiter in eadem congregatione coram nobis astans, — — respondit — —, quod ipse decimas suas et ecclesiae in nullo occupasset — —, sed idem Abbas — — quosdam sacerdotes in Dioecesi sua existentes, sibi et ecclesiae suae applicasset. — — Hoc percepto, praedictus Abbas Zaladiensis quosdam suos Sacerdotes, Capellanos et Plebanos, — — scilicet Plebanos villarum Eulicz, Komar, Karos, Kolon, Galambok, Rodna, Zabar, Rokolyan, Pacha, Yggricz et Rayk, eodem die ibidem existentes, in presentiam nostri praesentavit et statuit obviantes, — — — huiusmodi praescripti sacerdotes — — tam in suis, quam etiam universorum sociorum suorum sub obedientia praefati Domini Abbatis ubilibet existentium — — personis, — — sub obedientia et disciplina praenotati Abbatis Zaladiensis et suae Ecclesiae semper, — — et nunquam Episcopi Vesprim. se mansisse et stetisse affirmarunt. Ac ipse Abbas — — singulis annis in die sive termino ipsis deputato, Capitulum sive congregationem generalem ipsis celebrasset, necnon divini sermonis praedicatione ad spiritualia informasset instituta. — — Vnde nos — —, cum etiam idem Abbas et conventus in spiritualibus et temporalibus ad nos refugium habeat speciale ac sub nostra existat legitima protectione, Sacerdotibus praedictis iniungit, ut Abbati Zaladiensi obedientiam „tamquam personae nostrae, prout iusto Praelato vestro“, exhibeant ac decimas extradari procurent. „Episcopus vero Vesprim. molestandi et aggravandi omnino nullam in vobis habeat et super vos potestatem. — — Haec vero praemissa ubilibet solenniter et pure in Ecclesiis vestris diebus Dominicis volumus per vos proclamari. Datum tertia die congregationis nostrae annotatae.“



## 512.

1252. Oct. — Bela IV. ad preces Stephani Vanchai Archiepiscopi Strigon. et Cardinalis filios Marcelli de Modor, Jobagiones Szolgagyörienses, ab Andrea II. Nobilitatis praerogativa condecoratos, in eadem libertate confirmat.

(B)ELA dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Vniuersis, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod venerabilis Pater Stephanus, archiepiscopus Strigon., per sedem apostolicam in Episcopum Prenestinum et Ecclesie Romane Cardynalem assumptus, nobis litteras nostras memoriales exhibuit, quod Marcellus de Modor, de Comitatu Camariensi, de iobagionibus Comitatus Zulugageuriensis existens, ab inclite memorie Domino Rege Andrea, Patre nostro, ob suorum seruiciorum merita optinuisset, quod a debito, in quo predicto Castro ipse et eius filij, uidelicet Benedictus, Marcellus et Elyas tenebantur, penitus essent exempti et inter seruientes Regis censerentur, et eadem in omnibus libertatis praerogatiua fruerentur; petens, quod cum sibi filij prefati Marcelli, multa seruicia, ac nobis impendissent, et Elyas, eiusdem Marcelli filius, ad Romanam Curiam intenderet cum ipso proficisci, Priuilegium Patris nostri, quod super libertate sua habentes, per incursus amiserant Thartharorum, renouare dignaremur. Nos igitur iustis eiusdem domini archiepiscopi precibus inclinatj, prefatam libertatem eis auctoritate presencium confirmamus, ut deinceps Castro de Zulugageur nullo seruicio seu debito sint astricti, sed seruientum nostrorum ipsi et eorum heredes perpetuis temporibus gaudeant libertate. Vt autem huius libertatis series irreuocabilis permaneat in posterum et inconcussa, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno domini Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Secundo. Regni autem nostri anno decimo septimo.

Fragm. sigilli e rubro et flauo serico pendet. Orig. pulchre exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 49. Fasc. 1. Nro. 4. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 138. — Cum 14. Oct. anni huius iam 18-us regiminis annus incipiebat; diploma hoc ante diem hunc edi, sicque etiam Stephanus Archiepiscopus Strig. iam ante diem hunc in Cardinalem assummi debuit; quare ergo Stephanus ipse 20. adhuc Oct. se tantum Archiepiscopum Strigon. scribit? (Vide Nrum. 511.) Probabilius exaratum fuerit diploma hoc circa finem mensis huius, ac scriba in assignando regiminis anno aberrauerit.

## 513.

1252. ineunte Nov. — Stephanus Vanchai, Cardinalis Episcopus Praenestinus creatus, Archiepiscopatum Strigon. resignat.

Mense Novembris anni huius Stephano Vancsai, e Praelatis Hungariae om-

nium primo, dignitatem Cardinalatus collatam fuisse, inde patet, quia 20. Oct. ipse se adhuc Archiepiscopum nominat (Nr. 511.), 13. autem Nov. Papa illum iam „nuper“ ad dignitatem hanc assumptum scribit, simulque illi, ne ab ecclesia Strigon. „prorsus“ avellatur, decimas Csallóközienses addicit. (Nr. 514.) Iam vel ex his Papae verbis clarum est, Stephanum reipsa Archiepiscopatum resignasse; sed certissime hoc litterae Belae regis docent, e quibus discimus, quod Canonici Strigon. e mandato Papae ad electionem faciendam intra praescriptum terminum processerint, electionemque hanc ipse Stephanus, qui eidem personam interfuit, auctoritate Papae adprobaverit et ore proprio orationes consuetas absolverit. (Nr. 530.) Imo anno hoc illum etiam Romam reipsa discessisse, Nr. 512. ostendit. Ob fluctuationem tamen Stephani, successor eius Archiepiscopatum ante a. 1254., ut mox videbimus, obtinere non potuit.

Romae constitutus, negotia Ecclesiae praecipue Hungaricae dirigebat, am-  
plaqua hunc in finem a Papa potestate provisus fuit. Sic a. 1259. Cruciferi Strigon. eius interventione a praestandis decimis eximuntur (Nr. 601.). A. 1262. causam postulationis Philippi Archiepiscopi Strigon. examinabat (Nr. 614.). A. 1264. causam inter Episcopum et Irenaeum Canonicum Jauriensem componit <sup>1)</sup>. A. 1263. 23. Sept. Urbanus Papa IV. eius volens honorare personam et per honorem ei exhibitum aliis providere, conferendi per se vel per alios omnia beneficia ecclesiastica, quae Timotheus Zagrabiensis Electus promotionis suae tempore in Hungaria obtinuit, liberam ei concessit facultatem. Stephanus beneficia haec pluribus distribuit; et quidem Capellano suo Roberto, Cantori de Posega, dedit Archidiaconatum de Walko in Ecclesia Quinqueecclesiensi; alteri Capellano suo Eventio Canonicatum Zagrabiensem; nepoti suo Joanni, Archidiacono Jauriensi, Archidiaconatum Zaladiensem in Ecclesia Vespriemiensi; tandem Givoldo de Owad, clerico Jauriensis Dioecesis, nepoti episcopi Zagrabiensis, capellas de villis Files, Boron, Nigwan et minori Mortin contulit. Litteras suas super collationibus his edidit apud Urbem veterem in hospitio suo a. 1264. die 1. et 8. Jan. <sup>2)</sup> — A. 1266. 31. Jul. Viterbii, qua Curator Eremitarum ordinis s. Guilelmi, a Papa constitutus, quasdam domos huius ordinis, in Germania et Hungaria sitas, ab unione huius ordinis, cum ordine s. Augustini facta, excipit ac Priori Generali, ordinis s. Guilelmi submittit, quam ordinationem 29. Sept. eiusdem anni Papa confirmat, <sup>3)</sup> quo die Stephanum adhuc in vivis exstitisse, litterae Papales docent; sed paulo post vita functus fuerit, cum ultra diem hunc nullibi memoretur. Schmitthius quidem eum ultra a. 1269. vixisse, ex idoneis auctoribus constare scribit, <sup>4)</sup> sed idoneos hos auctores non pro-

1) Theiner Mon. Hung. I. 255.

2) Theiner ib. 258. 260. 263. 268.

3) Fejér Cod. dipl. IV. III. 347.

4) Archiepisc. Strig. I. 124.

ducit. Desericius quoque idem asserit. <sup>1)</sup> Szvorényi autem a. 1266. aut 1269. vita functum ait. <sup>2)</sup> Iam si sub Clemente IV. e vivis sublatus est, ut Ughelli <sup>3)</sup> et Eggs <sup>4)</sup> testantur, ultra a. 1268. 29. Nov., quo die Papa hic obiit, vivere non potuit. Nos Ughellium secuti, a. 1266. emortualem eius asserimus. E litteris supra allatis apparet, illum ab a. 1253. constanter in Italia commoratum fuisse; errat proin Péterffy, dum illum a. 1256. synodo nationali Strigonii interfuisse, actisque eius post Benedictum Archiepiscopum Strigon. subscripsisse asserit. <sup>5)</sup> Péterffium hic graviter lapsum fuisse, Nrus. 511. ostendit, qui synodum hanc a. 1252. a Stephano adhuc Archiepiscopo Strigon. celebratam fuisse docet. Sed aberrasse videtur etiam Eggsius, dum Stephanum „senio gravatum et annis, apoplexia e vivis sublatus,“ Strigonii in Ecclesia Cathedrali sepultum scribit; <sup>6)</sup> vix enim credibile est, Stephani, certocertius in Italia defuncti, corpus huc translatum fuisse. Iuxta Ughellium et Eggsium <sup>7)</sup> legationes plurimas gessit, „Hungaricam praecipue et Sclavonicam, in qua Belam Regem ob violatam immunitatem ecclesiasticam (iuxta Ughellium: ob eius perfidiam) anathemate percussit; unde Bela sanior factus, per supplices litteras Innocentium IV. rogavit, ut se ac regnum suum a censuris et anathemate Episcopi Praenestini solveret; quod et factum est.“ Sed nobis tota haec narratio suspecta, imo penitus conficta videtur; Stephanus enim legationem hanc, ut Nr. 528. testatur, 1253. 5. Maii suscepit, Innocentius autem IV. mortuus est 1254. 13. Dec. Intra hoc igitur tempus excommunicatio haec ferri et solvi debuisset. Iam autem litterae papales, toto hoc tempore exaratae, nihil prorsus de violata per Belam immunitate ecclesiastica commemorant. A. quidem 1253. Bela bellum cum Austriacis et Moravis gessit, cui Innocentius IV. modis omnibus finem imponere satagebat. Attamen principum animos conciliandi provinciam non Stephano Vanchai, sed Velasco poenitentiario papali commisit, dans „ei cogendi contradictores et rebelles per excommunicationis in personas et terras ipsorum interdicti sententias plenariam potestatem.“ <sup>8)</sup> Sed Belam a legato hoc excommunicatum fuisse, nullibi legitur; Continuator Cosmae Pragensis haec tantum refert: „Interea legatus domini Papae superveniens ad regem Ungariae, compescuit eum et ad propria redire coegit.“ <sup>9)</sup> Narratio ergo illa nullam fidem meretur.

---

1) Hist. Episc. Vac. Catal. Episc. 5.

2) Purpura Pann. 5.

3) Italia s. I. 241.

4) Supplem. Nov. Purpurae Doctae 100.

5) Conc. I. 87.

6) Suppl. ad Purp. 100.

7) L. c.

8) Theiner l. c. I. 222.

9) Ad a. 1253. pag. 384.



## XXVI.

## VACAT SEDES.

1252. Nov. — 1254. 25. Febr.

Mox ac Stephanus Vanchai Romam advenit, factae illum mutationis poenituit; idcirco ne omnem sibi Strigonium redeundi viam penitus occluderet, eo adlaboravit, ut ipse Administrator Ecclesiae Strigon. constitueretur. In Hungaria interim Ecclesia Strigon., ut e litteris Capituli Agriensis, a. 1252. exaratis, videmus, <sup>1)</sup> vacare censebatur. Rex quidem Bela post celebratam Benedicti Archiepiscopi Colocensis per Capitulum Strigon. in Archiepiscopum Strigon. electionem, licet eam, irrequisito se, a Stephano Vancsai auctoritate Papae confirmatam fuisse aegre tulerit, pro confirmatione electionis huius litteris suis, quae, pro dolor, ad nos non pervenerunt, sedem romanam supplex adiit, ast repulsam est passus (Nr. 530.); Papa enim precibus Stephani Vancsai deferens, illum 30. Dec. 1252. Administratorem Ecclesiae Strigon. denominavit (Nr. 517.), disertis id verbis a. 1253. 15. Febr. denuo enuncians. (Nr. 524.) Hanc tamen Papae dispositionem neutra partium probavit. Rex enim Bela consiliis et auxiliis Archiepiscopi Strigon. in omnibus arduis et secretis regni negotiis uti assuetus, eius praesentia „vix in brevi“ carere potuit (Nr. 530.), cumque hac Papae dispositione absens Archiepiscopus tantum „spiritu et utilitate“ — ut Papa scribit — sibi praesens extitisset; <sup>2)</sup> confirmationem Benedicti 1253. 11. Maii denuo vehementer postulavit. (Nr. 530.) Sed ipse quoque Stephanus Vanchai, natalis soli dulcedine captus, ac aëris inexpertum metuens intemperiem, ut sibi licentia in Hungariam reverendi concederetur, serio institit. Quare ut desiderio eius satisfaceret, quin tamen latere Papae, cui ob eximia merita nimium charus exstitit, penitus avelleretur, eidem officium Legati de latere 1253. 5. Maii commissum fuit. (Nr. 528.) Stephano tamen nondum contento, Pontifex tandem 7. Jun. licentiam illi ad Strigon. ecclesiam redeundi concessit, illa tamen conditione adiecta, ut si usque 1. Nov. possessionem huius ecclesiae habuerit, Praenestina ecclesia et Cardinalatus statim vacent; si autem ecclesiam Strigon. ad terminum praedictum non obtinuerit, redire ad Praenestinam libere possit, usque 25. tamen Dec., ultra quem diem ecclesia Praenestina vacare censebitur. (Nr. 532.) Tum mutata sententia, 9. Jun. relicta illi Cardinalatus dignitate, provocat illum, ut ad Ecclesiam Strigon. accedat.

1) Fejér Cod. dipl. IV. II. 168.

2) Theiner Mon. I. 215.

Eodem die iniungit Capitulo Strigon., ut Stephanum hunc in Archiepiscopum recipiat. Tandem Regi Belae pariter illum commendat. (Nr. 533.) Ast Stephanus in Hungariam redux, omnium iam a se animos penitus alienatos invenit, Rexque 11. Oct. expresse Papae intimavit „quod nec nos, nec Capitulum Strigon., nec barones, nec ceteri homines Regni nostri, in aliquem alium (praeter Benedictum nempe) consentimus, et si quispiam, quantacumque dignitate praefulgens (hic manifeste ad Stephanum alludit), etiam si Angelus, aliud suggesserit, nullo modo credatis.“ Una nuncios suos confirmationis urgendae causa Romam expedit. (Nr. 535.) Sic Stephanus spe sua frustratus, ne simul ecclesiam Praenestinam amittat, in Italiam rediisse videtur. Papa tandem litteris regis nunciorumque eius ac procuratorum Benedicti propositionibus flexus, Benedictum, quem a. 1254. 20. Febr. iam Archiepiscopum Strigon. nominat, (Nr. 538.) 25. eiusdem mensis e sede Colocensi ad Strigoniensem transtulit (Nr. 539.) eique 11. Mart. pallium submitit (Nr. 542.); sicque diuturnae contentioni et exinde enatae Ecclesiae Strigon. viduitati finem imposuit. Nam Ecclesiam hanc durante hac contentione reipsa vacasse, discimus e litteris Capituli Agriensis a. 1253. et 1254. exaratis <sup>1)</sup>, in quibus Benedictus, quia nondum confirmatus, Colocensis tantum Archiepiscopus appellatur, talemque ipse se scribit a. 1253. 11. Apr. <sup>2)</sup>

1) Fejér Cod. dipl. IV. II. 210. 260.

2) Fejér l. c. VII. V. 310. Eadem litteras Fejér VII. I. 300. erronee ad a. 1254. ponit.



## 514.

1252. 13. Nov. — Innocentius PP. IV. Stephano Episcopo Praenestino decimam de insula Csallóköz assignat.

Innocentius — — Stephano Episcopo Prenestino. -- — Videri non debet indignum, te, quem ad supportandum nobiscum laboriosam orbis sarcinam Romana ecclesia evocavit, cum ad maiorum negotiorum certamina, quam pridem humeris tuis in regimine Strigon. ecclesie, de qua te nuper assumpsimus, imminabant, apud sedem apostolicam pro quiete omnium sis ascriptus, ab eiusdem Strigon. ecclesie non avelli prorsus uberibus, cui laudabiliter prefecisti, nec minus, donante domino, prodesse poteris in futurum. Hac igitur rationabili nos consideratione movente, cum decimationes, ad Strigon. Archiepiscopatum spectantes, distinguantur in tredecim, sicut accepimus, portiones, que cultelli secundum regionis consuetudinem nuncupantur, illam earundem decimationum portionem, sive cultellum, que vel qui Collocuz, sive minus Posonium <sup>1)</sup> dicitur, tibi pro tua sustentacione presentium auctoritate concedimus, — — quamdiu vixeris, libere retinendam. — — Datum Perusii Id. Nov., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 213. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 202. erronee ad a. 1253. et Papae 11. ponit.

## 515.

1252. 25. Nov. — Rolandus Palatinus terram Chondol, a Nicolao filio Tpuz receptam, eidem restituit.

Nos Rolandus palatinus et comes Posoniensis omnibus presentes literas inspecturis duximus significandum, quod cum ex precepto regio omnes terras, a castro Posoniensi alienatas, ad ipsum Castrum per Registrum domini Bele Regis, super terris dicti castri confectum, ab omnibus reuocasemus et Castro posoniensi restituissemus, et inter cetera quandam terram nomine Chondol, que fuit de iure castri, a Nicolao filio Tpuz receptam, Castro restituissemus, postmodum idem Nicolaus domino Regi est conquestus, ut seruicium domino Regi et castro memorato debitum propter paucitatem terre sue non posset exhibere; cuius conquestionem dominus rex benigne exaudiens, per litteras suas nobis dedit in mandatis, ut eidem Nicolao terram Chondol memoratam, uel consimilem, in qua agriculturas posset facere, redderemus. Nos autem precepto regio, ut debemus, obedientes, ipsam terram Chondol, que habitatoribus carebat et omnino

1) Theiner: p o s s o m i u m.



uacua fuit, per nostrum pristaldum, Joanka nomine, fecimus assignari Nicolao memorato perpetuo iure possidendam et sicut per eundem pristaldum nostrum didicimus, memorata terra Chondol Hiis metis circumuallatur. Prima meta incipit ab oriente iuxta terram uille Zemch et uadit ad plagam meridiāalem et metatur cum quodam castrense, nomine Morodek, Hinc protenditur iuxta terram Peech ad quoddam flumen, quod dicitur Beleder, Hinc transit sub quodam molendino, Hinc vadit ad aliud flumen, quod uocatur Zijlod, Hinc ipso flumine transacto, uadit ad flumen, quod dicitur Gelengus, Inde uadit ad occidentem iuxta terram Bocorus, Hinc protenditur ad septemtrionem ad predictum flumen Zilod, Hinc uadit ad terram udwarnicorum de Zwnech, Hinc uadit ad quendam fluuium nomine plaza, Hinc regreditur ad orientem ad metam priorem iuxta terram uille Zemch et ibi terminatur. Vt ergo hec donacio robur perpetue firmitatis optineat et nullius temporis curriculo in irritum ualeat reuocari, literas presentes predicto Nicolao concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Posonij in festo sancte Katherine, anno domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> L<sup>o</sup> secundo.

E Nro. 527.

---

516.

1252. 3. Dec. — Innocentius PP. IV. ad preces Belae Regis indulget, „ut nulla ecclesiastica secularisue persona regni tui possit per litteras Apostolicae sedis vel legatorum eius extra regnum ipsum a quopiam in iudicium evocari, absque speciali mandato sedis eiusdem.“ — Datum Perusii III. Non. Dec., P. a. 10. — Archiepiscopus Strigon. datus est ei super hoc Conservator. —

Fejér Cod. dipl. IV. II. 128., Theiner Mon. I. 214.

---

517.

1252. 30. Dec. — Innocentius PP. IV. administrationem Archiepiscopatus Strigon. Stephano Episcopo Praenestino committit.

Innocentius — — Vesprimiensi et Waciensi Episcopis — —. Dudum erga personam — — episcopi Prenestini, tunc Archiepiscopi Strigon., multorum meritorum titulo decoratam, apostolice considerationis oculos dirigentes, — — digne providimus, ut ipsum, tamquam stellam nobilem et insignem, in firmamento generalis ecclesie radiantem, in Romana ecclesia poneremus, cuius splen-

dore multipliciter illustrata clarius eniteret, et nos suo nobis assistente suffragio, incumbencia nostris humeris onera possimus levius supportare. Hinc est, quod nos nolentes, ut Strigon. ecclesia, cui hactenus idem episcopus utiliter pre-fuit, eam spiritualiter et temporaliter per suam industriam non modicum augmen-tando, pro tanto ac tali pastore, sibi subtracto, diutius ingemiscat, sed potius sub suo regimine de bono in melius — — salubriter dirigatur; curam et admi-nistrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus ei auctoritate apostolica ple-narie duximus committendam. — — Quocirca — — mandamus, quatenus eidem — — faciatis de omnibus redditibus et proventibus archiepiscopalibus eiusdem ecclesie integre responderi. — — Datum Perusii III. kal. Jan., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 214., Fejér Cod. dipl. IV. II. 132.

---

518.

1252. 30. Dec. — Innocentius PP. IV. idem notificat Regi, adiiciens: „quod tue voluntati et putamus acceptius, quod idem episcopus (Prenestinus) circa exaltationem tui nominis et honoris sollerter invigilans, per sortem maioris ministerii, quam sortitus existit, potiora prefate ecclesie ac Regno tuo, unde generosam duxit originem, commoda poterit procurare.“ — Datum ut supra.

Eodem etiam die Capitulo Strigon. idem perscribens, ad obedientiam eidem exhibendam provocat.

Theiner Mon. Hung. I. 215., Fejér Cod. dipl. IV. II. 133—134.

---

519.

1252. — Philippus Praepositus et Capitulum Strigon. Belam IV. Regem Martino filio Zuerd, pro porcionibus terrarum in villa Busan et Ludan, terram Walkaz in Comitatu Barsiensi contulisse testantur.

Wenzel l. c. II. 230.

---

520.

1253. 13. Jan. — Innocentius PP. IV. indulget Smeraldo (sic) preposito Posoniensi, „ut Posoniensis et Hantensis ecclesiarum Preposituras — —, quas curam animarum habentes, canonice te proponis adeptum; ita

quod si aliam preposituram, vel dignitatem ecclesiasticam offerri sibi contigerit, liceat tibi, dimissa altera praepositarum ipsarum, quam malueris, eam recipere, ipsamque cum priore libere retinere, — Datum Perusii Id. Jan., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 216., Fejér Cod. dipl. IV. II. 177.

---

521.

1253. 14. Jan. — Innocentius PP. IV. Innocentio Canonico Strigoniensius duo habendi beneficia ecclesiastica datis ad Stephanum Praenestinum Episcopum litteris concessit. — Datum XIX. kal. Febr., P. a. 10.

Sic Fejér Cod. dipl. IV. II. 178. Sed suspicor Fejérium hic textum Nri. 523. erronee extraxisse.

---

522.

1253. 18. Jan. — Episcopus Praenestinus, tunc Strigon. Archiepiscopus, in monasterio s. Nic. de Erche, ordinis Carthusiensis, sibi subiecto, Vespriemiensis dioecesis, per Tartaros penitus destructo, quosdam monachos et conversos monasterii de Toplica Cisterciensis ordinis collocavit, quod Papa ad preces Abbatis de Toplica confirmat. — Datum Perusii XV. kal. Febr., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 216.

---

523.

1253. 22. Jan. — Innocentius PP. IV. mandat Episcopo Jauriensi, ut magistro Gerardo Canonico Strigon., Consobrino Alberti notarii papalis et Capellano Episcopi Praenestini, de aliquo beneficio provideat; „faciens exnunc ipsum in ecclesia, in qua sibi provideri acceptaverit, si cathedralis vel alias collegiata fuerit, in canonicum recipi et in fratrem.“ — Datum Perusii XI. kal. Febr., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 216., Wenzel l. c. II. 234.

---



## 524.

1253. 15. Febr. — Innocentius Episcopo Praenestino indulget, ne alicui in pensionibus providere invitus teneatur.

Innocentius — — Stephano Episcopo Prenestino. — — Cum curam et administrationem Strigon. ecclesie tibi duxerimus committendam, — — indulgemus, ut ad receptionem vel provisionem alicuius in ipsa ecclesia in pensionibus seu prebendis, vel dignitatibus aut beneficiis ecclesiasticis non tenearis invitus. — — Datum Perusii XV. kal. Mart., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 218., Fejér Cod. dipl. IV. II. 181.

## 525.

1253. 12. Mart. — Crachynus sacerdos sancti Petri de Galla, homo Capituli Poson.

Occurrit in litteris Rolandi Palatini „in festo b. Gregorii Pape“ datis. Wenzel l. c. II. 243.

## 526.

1253. 13. Mart. — Bela IV. metas terrae Gémes describens, ait: „hinc vero tenens terminos cum eadem terra Koztulan, procedit in longum per Berch et descendit in vallem usque ad terram Lendoch, villae videlicet Archiepiscopi Strigon., ubi sunt duae metae de terra fundatae. Ibi autem adiacens eidem terrae Leduch (sic) extenditur ulterius — —.“ Datum III. Id. Mart.

Fejér Cod. dipl. IV. II. 208.

## 527.

1253. Apr. 16. — Bela IV. Rex transcribit et confirmat Nrum. 515.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex omnibus, presentes litteras inspecturis, Salutem in domino. Iustis petencium desideriis principis aurem inclinari et ordo iuris et uigor exiuit equitatis; Humane siquidem rationi consonum estimamus, dum id prosequimur, quod nulli preiudicet et a iuris tramite non oberret. Ad vniuersorum igitur noti-

ciam uolumus peruenire, quod accedens ad nostram presenciam Nicolaus, filius T p u z, a nobis postulauit instanter, ut assignacionem cuiusdam terre per Dilectum et fidelem nostrum Rolandum palatinum et comitem Posoniensem ex nostro mandato sibi factam, Chondol nomine, conterminatam terre sue, secundum continenciam litterarum patencium ipsius palatini nostro dignaremur priuilegio confirmare, quarum siquidem litterarum palatini comitis tenor talis est: — —

Sequitur Nrus. 515.

Nos itaque iustis petencium desideriis quantum de iure possumus concedere cupientes, peticioni eiusdem N. gratum adhibentes fauorem, assignacionem per palatinum factam de terra predicta litterarum nostrarum duximus patrocinio confirmandam. Ad hec cum nos quoddam molendinum ipsius Nicolai in fluuio palasa situm recepissemus et per ipsum palatinum castro posoniensi assignari mandassemus, attendentes tamen, quod inde non debet nasci iniuria, vnde consuevit gracia pululare, in concambium ipsius molendini dicto Nicolao et per ipsum suis heredibus heredumve successoribus quandam terram Chundol nomine, triginta sex iugera arabilia continentem, que condam fuit cuiusdam castrensis posoniensis p e e c h nomine, vacuum omnino, cum metis veteribus et antiquis per ipsum palatinum fecimus assignari perpetuo possidendam. In cuius rei testimonium presentes litteras concessimus, Dupplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> quinquagesimo tercio, Sextodecimo Kalendas Maij. Regni autem nostri anno decimo octauo.

Sigillum e flavo, rubro et violaceo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Poson. priv. Capsa D. fasc. 8. Nr. 73. — A. 1255. terra haec Nicolao praedicto per eundem palatinum denuo adiudicatur. Wenzel I. c. II. 260.

## 528.

1253. 5. Maii. — Innocentius PP. IV. Episcopo Praenestino officium Legati de latere committit.

Innocentius — — Archiepiscopis et Episcopis, necnon — — prelatis, ac uniuersis Christi fidelibus in regno Ungarie ac ducatu Slavonie — — — —. Venerabilem fratrem nostrum Episcopum Prenestinum, magnum quidem et honorabile membrum ecclesie, virum morum honestate conspicuum, predictum scientia litterarum et providentia circumspectum, quem inter ceteros fratres nostros admodum carum habemus pro suorum excellentia meritorum, in regnum Ungarie et ducatum Slavonie, commisso sibi plene legati-

onis officio de latere nostro, providimus destinandum. — — De quo utique cum ei adsit puritas conscientie, et presto sit iudicium rationis, malitiam odiat et innocentiam tueatur, speramus firmiter, — — ita regia via curabit incedere, ut — — plus crescat conversationis laude, quam etiam profecerit dignitate. — — Districte precipimus, quatenus ipsum apostolice sedis legatum, tamquam personam nostram, vel potius nos in eo recipientes cum debita reverentia et honore, illius monitis et mandatis plenarie ac humiliter intendere procuretis. — — Datum Asisii III. Non. Maii., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 218., Katona Hist. Crit. VI. 195., Fejér Cod. dipl. IV. II. 184.

---

529.

1253. 8. Maii. — Innocentius PP. IV. Archiepiscopo Strigon., ut episcopum Quinqueecclesiensem ad persolvendas annue centum marcas argenti pro parte antecessoris sui Bartholomaei, sub poena excommunicationis compellat. — „Volumus itaque, ut vacante sede Strigon., vel absente Archiepiscopo, maior, qui fuerit in Strigon. Ecclesia, mandatum super his Apostolicum exequatur.“ Datum Asisii VIII. Id. Maii., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 220., Wenzel l. c. II. 236.

---

530.

1253. 11. Maii. — Bela IV. Rex confirmationem postulationis de archiepiscopo Colocensi in Strigoniensem factae, vehementer petit.

Sanctissimo in Christo patri, domino I. — — summo Pontifici, Bela de gracia Rex Hungarie. — — Pro admittenda postulacione canonica, consona et concordi, et quasi per inspirationem, communiter ab omnibus de persona — — B. archiepiscopi Colocensis, aule nostre Cancellarii, in Strigon. metropoli celebrata, una cum ecclesia postulante, tociusque regni clero ac populo, quorum omnium utilitati publice in ipsius translacione salubriter consulitur, affectuosissime nuper supplicantes, non summus — — exauditi, quamquam consilium et assensus domini S. Cardinalis Episcopi Prenestini <sup>1)</sup> — — exinde nobis supplicantibus amminiculum, ymo potius felicem affectum prestitisse debuerint in

---

1) Stephani nempe Vanchai praedecessoris immediati.



hac parte. Confusione quippe ac rubore afficimur, quod tam legitime ac sollemniter facto negotio consensum regium, sicut de iure decuit, adhibentes, repellimur ut indigni — —; presertim cum non solum ob postulancium vota concurrencia, sed et propter postulati merita, quibus idem multipliciter effulgens, se deo et hominibus reddidit graciosum, consensus noster debitus fuerit et merito approbandus. Cum enim Strigon. antistes sit primus inter ecclesiasticos et seculares principes, quinobis consilio et auxilio in omnibus arduis et secretis regni nostri negocijs debet assistere, cuius eciam presencia carere possumus vix in brevi, talis merito assumi debuit in dictam ecclesiam, (qui) omnibus amabilis pro sua reverencia habitus, ab omnibus approbari meruerit ex condigno. Talis autem est iste venerabilis pater, de quo nunc est nobis sermo; et ideo non in privato, sed in publico, non in angulo, sed in tecto est utique collocandus, ut tamquam lucerna super candelabrum posita, cunctis luceat in exemplum, et ex sue bonitatis affluencia locupletentur largius universi. In ecclesia enim Strigoniensi idem constitutus, tamquam in medio stans, omnem suam communicat utilitatem publice circumquaque. Preiudicium quoque ex translatione ipsius nec Colocensi ecclesie, nec cuiquam alii generatur, cum et dicte ecclesie Colocensi et quibuslibet aliis idem in Archiepiscopum Strigon. assumptus, possit utilius consulere, efficacius prospicere, ac propensius providere. Nec istud tamquam novum hiis attemptatur temporibus, sed et iam in transactis huiusmodi translacio celebrata reperitur et pariter approbata, nec sine causa, cum utilitas publica private sit merito preferenda. Memoratus eciam dominus S. Cardinalis, cum de gremio fuerit ecclesie Hungarice, et earum statum ad plenum agnoverit, nullatenus ex certa sciencia consensisset tali postulacioni, eam dictis et factis approbando, cui et consilio affuit et postmodum reddendis domino laudibus interfuit et ore proprio oracionem consuetam in talibus dixit, si exinde cuiquam fieri preiudicium inspexisset, vel aliquialiter credidisset. Ad hoc cum de mandato nostro infra certos dies ad eleccionem seu postulacionem faciendam Canonici Strigonienses processerint et auctoritate vestra dominus S. Cardinalis, sicut in vestro mandato continebatur, quamquam nobis irrequisitis, eandem approbaverit, patet evidenter, quod postulato ius extitit acquisitum; consequens ergo est, quod sine preiudicio et confusione postulati et pariter postulancium, ut salva reverencia vestre paternitatis loquamur, tam legittime factum non debuit vel potuit immutari; quia etsi ex plenitudine potestatis omnia possitis, potestati tamen vestre renunciassse videmini in hac parte: sicut et ipse deus, cuius vices geritis in terris, non omnia facit potencia ordinata, seu <sup>1)</sup> condicionata, licet possit omnia potencia

---

1) Fejér: sed

absoluta. Hoc igitur tantum <sup>1)</sup> posse debetis, ut fiducia filiali dixerimus, quod de iure potestis; <sup>2)</sup> non enim debet inde iniuriarum nasci occasio, unde iura prodierunt. Supplicamus itaque, quatenus — — — nos ab expectatione nostra et petitione iustissima, pater sancte, non confundatis, quin potius, ut nos et principes regni nostri, promptos ad omne beneplacitum vestrum, faciatis merito promptiores, postulacionem tam legitime factam, cum omni integritate iurium Archiepiscopalium paternaliter admittatis: alioquin non solum nostre, sed etiam videremini in hac parte divine resistere voluntati; quia omnis clerus, principes et populus, tam pauperes, quam divites, a maiori usque ad minorem, petunt et desiderant venerabilem patrem nostrum B. in patrem et pastorem ecclesie Strigon. promoveri, et ut laicaliter seu vulgaliter loquamur, vox populi, vox dei et fama vulgi speciem obtinet prophecie. Datum in Insula Leporum V. lb. Maii.

Theiner Mon. Hung. I. 232. annum non exponens, is in Originali deesse videtur. Péterffy Conc. I. 71., Katona Hist. Crit. VI. 174., Fejér Cod. dipl. IV. II. 141. ad a. 1252. ponunt; ast cum Stephanus non ante mensem Nov. a. 1252. Ecclesiam Praenestinam obtinuerit, anno autem 1254. 25. Febr. Benedictus in Archiepiscopum Strigon. iam confirmatus fuerit; litterae hae, cum 11. Maii exaratae sint, nonnisi a. 1253. exarari potuerunt.

---

531.

1253. 27. Maii. — Bela IV. Rex „terram Georgij, filij Valentini, existentem in villa Vngyney, qui ob crimen furti suspendio patibuli uitam finiuit, Ecclesie S. Michaelis, site in insula nostra Budensi, in qua fratres ordinis Premonstratensis commorantur,“ conferens, metas eiusdem, „sicut per litteras fratris Jacobi, Magistri Domus Hospitalis Sancti Regis de Strigonio, fidelis nostri, cui inspeccionem eiusdem terre ac metarum commiseramus, nobis constitit,“ describit. „Commetanei uero eiusdem terre sunt Capitulum Ecclesie S. Adalberti (Strigon.), Capitulum Ecclesie S. Petri Budensis et fratres S. Regis de Teluky.“ — — Datum VI. kal. Jun., Regni a. 18.

Wenzel l. c. VII. 351. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 173., tum extr. in litteris Palatini a. 1399. ib. X. II. 712. utrobique villa Uj-Jenő appellatur.

---

1) Theiner: tamen.

2) Ib. possitis.

## 532.

1253. 7. Jun. — Innocentius PP. IV. Stephano Vanchai Episcopo Praenestino ad ecclesiam Strigon. redeundi licentiam, cum cessione tamen ecclesiae Praenestinae et Cardinalatus, concedit.

Innocentius — — Episcopo Prenestino. — — Vacante olim Prenestina ecclesia, nos personam ydoneam pro ipsius gubernatione consideratione sedula perquirentes, te tandem, tunc Strigon. Archiepiscopum, inter ceteros virtutum tuarum suadentibus meritis, preeligentes et advocantes, velut ex nimia probitate famosum, ad ipsius ecclesie Romane collegium, dicte Prenestine ecclesie — — in episcopum prefecimus et pastorem, te ad illam de Strigon. ecclesia transferendo. Demum ipsius ecclesie Prenestine suscepto regimine, metuens postmodum aeris intemperiem inexerti et nonnulla impedimenta, multasque necessitates exponens, propter que tue non expediebat persone in ytalicis partibus commorari, cum instantia petivisti super hoc — — provideri. Licet autem nobis — — tua plurimum sit cara presentia, nec ea, multa utilitate perspecta, quam ex ipsa predicta Romana consequebatur ecclesia, ullatenus carere vellemus; pensato tamen, quod sic velle debemus te nobis adesse, ut abesse huiusmodi assistentia tibi non possit, nec ob id personam tuam periculis subesse contingat; — — licentiam tibi, quamquam inviti, concedimus ad prefatam Strigon. ecclesiam redeundi, et te ipsi ecclesie in Archiepiscopum et pastorem preficimus. — — Verum quia indempnitati memorate Prenestine ecclesie nos convenit precavere, — — sic te volente ac petente, duximus providere, ut quamcito usque ad festum omnium Sanctorum, proxime venturum, predictae Strigon. ecclesie possessionem habueris, prefata Prenestina ecclesia et Cardinalatus tui dignitas statim vacent, quodsi usque tunc possessionem huiusmodi non obtinueris, et post festum ipsum, vel etiam ante, possessione ipsa non habita, reverti ad apostolicam sedem elegeris, redire tibi liceat cedendo eidem Strigon. ecclesie; — — ita tamen, quod infra festum Nativitatis dominice, proxime futurum, ad nostram presentiam sis reversus. Sive autem in Ungarie remanere partibus potius acceptaveris, sive non, dummodo ad nos infra predictum Nativitatis festum reversus non fueris, nichilominus utroque casu vacent ecclesia Prenestina et dignitas memorate. Datum Asisii VII. Id. Jun., P. a. 10.

Theiner Mon. Hung. I. 221., Vghelli Italia Sacra I. 209., Kollár Hist. Dipl. 166., Katona Hist. Crit. VI. 196., Fejér Cod. dipl. IV. II. 191.



## 533.

1253. 9. Jun. — Innocentius PP. IV. Capitulo Strigon. Archiepiscopatum Strigon. Episcopo Praenestino denuo collatam significat.

Innocentius — — Capitulo Strigon. — — Olim fama nominis — — Episcopi Prenestini ad aures nostras crebra fide dignorum insinuatione perlata, ipsum propter hoc ad Romanam ecclesiam non indigne providimus evocandum, et quamvis ad ipsam accedens, honorabilem locum, exigentibus suis meritis, sortitus fuerit in eadem, eo tamen asserente, propter insveti aeris intemperiem, tum ob hoc, tum etiam propter alia, que in Ungarie partibus sollicitudini sue imminere proponit, licentiam redeundi ad partes easdem, natali eum ad hoc attrahente dulcedine, a nobis et fratribus nostris non absque importuna instantia postulavit. Verum licet sua petitio in hac parte, quamvis et molesta nobis non modicum videatur, maxime cum nos et fratres predicti sua grata et votiva presentia defraudemur inviti, suis tamen desideriis super hoc, urgente nos ad id suarum impressione precaminum, acquiescere cupientes, Archiepiscopatum Strigon. ecclesie — — sibi de speciali gratia duximus conferendum. — — Ipsum ergo ad eandem ecclesiam — — cum plenitudine nostre gratie remittentes, — — mandamus, quatenus eandem recipientes hilariter, — — sibi — — exhibeatis obedientiam. — — Datum Asisii V. Id. Jun., P. a. 10.

Eodem die Regi commendatur.

Item Episcopus ipse Praenestinus provocatur, quatenus ad Ecclesiam ipsam accedat.

Eidem in e. m. cum additione: Celebri Cardinalatus nomine tibi nichilominus reservato, ut ad Archiepiscopalis apicem dignitatis assumptus, ipsius preclaro nominis titulo iugiter decoreris. Datum ut supra.

Theiner Mon. Hung. I. 221., Katona Hist. Crit. VI. 198., Fejér Cod. dipl. IV. II. 193.

## 534.

1253. 1. Jul. — Capitulum Poson. super terra Monar litteras edit „in octavis festi B. Johannis Bapt. — — magistro Smaragdo Ecclesie nostre Preposito, Jacobo Cantore, Sixto Decano existentibus.“

Wenzel l. c. VII. 358.

## 535.

1253. 11. Octobr. — Bela Rex IV. causam Benedicti, in Archiepiscopum Strigon. postulati, instantius urget.

— — I. — — Summo pontifici B. dei gracia Rex Hungarie. — — Non adicientes paternitatem vestram, pluribus occupatam, diucius detinere, ecce breviter et laicaliter et tamen veracissime coram deo dicimus, quod si vultis salvare ecclesiam Strigoniensem et exaltare Colocensem, et universis Regni nostri ecclesiis providere, postulacionem de persona — — B. Archiepiscopi Colocensis, aule nostre Cancellarii, viri utique omni bonitate preclari et experti, ad ecclesiam Strigon. factam, pro qua vobis semel et secundo supplicavimus, et nunc — — instantissime supplicamus, — — admittere dignemini, — — certo cercius tenentes, quod per solam ipsius providenciam eminentem dicta Strigon. ecclesia in spiritualibus et temporalibus reformari poterit et reformata salubriter gubernari. Hoc quoque in verbo veritatis, teste Deo, dicimus et adicimus ad cautelam, quod nec nos, nec Capitulum Strigon., nec barones, nec ceteri homines Regni nostri in aliquam aliam consentimus, et si quispiam, quantacumque dignitate prefulgens, <sup>1)</sup> etiam si Angelus, aliud suggesserit, nullo modo credatis. Exaudite pater benignissime tot vota supplicancium et salvate totam ecclesiam Ungaricam, dando tam nobile speculum et exemplar. — — Ecce uno corde et pure, una voce et veraci, salutem nostram et nostrorum attendentes in hac parte, post vos clamamus cum summa fiducia, pie pater. Cetera nuncii, quos paternaliter expedite. Datum in Kamar <sup>2)</sup> V. idus Octobris.

Annus non exponitur. Litteras has Péterffy (Conc. I. 70.) X. idus Oct. signatas ait, ast errorem hic subversari, cum non plures, quam octo dies, idus antecedunt, iam Katona advertit. Fejér (Cod. dipl. IV. II. 145.) hunc errorem post Katona novit et tamen 15. idus apposuit! Theiner (Mon. I. 230.) exmissa voce idus, ad. 5. Oct. ponit. Nos numerum e Theiner et idus e Péterffy sumentes, V. idus Oct. exaratas asserimus. Theiner et Péterffy litteras has Nro. 530. praemittunt; ast tunc anno 1252. emanare debuissent, cuius anni mense Oct. Archiepiscopatus Strigon. nondum vacavit. Ceterum, ut Katona observat, post Nrum 530. exaratas esse, textus ipse clare ostendit. Litterae hae ex iisdem rationibus eodem ac Nrus. 530. anno datae fuerunt.

## 536.

Ca. 1253. — Bela IV. Strigonii commorans, servientes Regios Ura et Zombat in partem terrae Szilvan reponi iubet.

Fejér Cod. dipl. VII. I. 298., pag. autem 144. Belae II. tribuit!

1) Hic manifeste ad Stephanum Vanchai episcopum Card. Praenestinum alludit.

2) Reliqui erronee: Zamar.

## 537.

1253. — Michael Sárosiensis et Michael Zoliensis Comites terram Apáti Monasterio s. Benedicti assignant et metis provident.

Nos Michael comes de Sarus, singulis, quibus scire expedierit, significamus, quod nos una cum Michaele, comite de Zovlum, filio Mikonis, ex precepto domini regis, terram Apátj ecclesie sancti Benedicti de Grana, quam olim ex donacione regia possidebat, de iure eidem ecclesie assignaremus (sic); cuius meta ascendit ad Soulumku, et inde descendit ad fluuium Tepla, et inde adit ad fluuium Grana; super quam terram uidimus domos seruorum Wincencij et Petri comitum, fratrum quondam S. Archiepiscopi Strigon.; et iuxta preceptum domini regis, ecclesie ipsam terram assignauimus coram bonis testibus; et pro alia uero terra, que iacet sub castro <sup>1)</sup> W. et P. comitum a plaga orientali, quia in dato die predicti W. et P. comites non comparuerunt, distulimus diem utrique parti usque Octauam Epifanie, ut pro terra, que iacet sub castro, sepedicti W. et P. comites dabunt concambium conuenientem; si uero concambium dare noluerit; ipsam terram Ecclesia antedicta obtinebit De terra uero prius dicta questio aliqua oriri non potest, et serui sepedictorum comitum usque festum sancti Georgij debent de illa terra abire. In cuius rei testimonium litteras nostras concessimus, nostro sigillo impressas. Datum anno Gracia M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. tercio.

E corrigiis duo sigilla pendebant, alterius fragmenta adhuc supersunt. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 7. Fasc. 5. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. IV. II pag. 205; extr. pag. 211; pag. autem 170. erronee ad a. 1252. commemorat.

1) Hic vox: Susol est deleta.





## XXVII.

## BENEDICTUS II.

1254. 25. Febr. — 1261. post. 2. Jul.

Prima vice a. 1239. occurrit ut Praepositus Budensis et Aula Regiae Vicecancellarius.<sup>1)</sup> Bartholomaeus Episcopus Vesprimiensis ob favorem amicitiae specialis quasdam decimas territorii Budensis illi concessit, quas dein a Capitulo Budensi occupatas, Bela IV. a. 1269. Ecclesiae Vesprimiensi restituit.<sup>2)</sup> A. 1240. 18. Jun. adhuc Praepositus Budensis et Subcancellarius vocatur.<sup>3)</sup> Sed 25. eiusdem mensis iam Cancellarius Regius et Praepositus Albensis nominatur,<sup>4)</sup> confirmatus a Gregorio IX. 1241. 25. Febr.<sup>5)</sup>, qui illum virum appellat „utique litteratum, providum et honestum, per cuius industriam creditur eadem (Albensis) Ecclesia de bono in melius in temporalibus et spiritualibus reformanda.“ Qua Praepositus Albensis et Cancellarius litteras quasdam de terra Erd edidit.<sup>6)</sup> A. 1241. 17. Jun. Papa illi indulget, ne super Praepositura Albensis ecclesiae et suis iuribus, persecutione Tartarorum in Ungaria durante, auctoritate apostolica, seu ordinaria, in causam trahi valeat.<sup>7)</sup> A. 1242. Regem in Dalmatiam secutus iam electus Colocensis, sed una etiam Praepositus Albensis et Cancellarius regius vocatur;<sup>8)</sup> male ergo Rogerius, licet coevus, scribit, populum per Tartaros „reperto sigillo regis penes cancellarium, cuius caput a corpore diro mucrone demerant,“ deceptum fuisse<sup>9)</sup>; Sigillum quidem in fuga perdere potuit, caput tamen suum salvavit; nec de alio fors Cancellario haec intelligi possunt, cum a. 1240 — 1242. nemo alter praeter Stephanum Vanchai et Benedictum hunc Cancellarii aut Vicecancellarii munere functus fuerit. 1243. 15. Jul. Innocentius IV. Benedictum nostrum a Capitulo Colocensi unanimiter et concorditer electum, „cum ipse — — sit in spiritualibus et temporalibus circumspectus, se deo et hominibus reddendo vite laudabilis et con-

---

1) Fejér Cod. dipl. IV. I. 110., Wenzel l. c. II. 93.

2) Fejér l. c. IV. III. 497.

3) Wenzel l. c. II. 102.

4) Fejér l. c. IV. I. 201.

5) Ib. 215.

6) Codex Zichy I. 27.

7) Theiner Mon. Hung. I. 185.

8) Thomas Archidiac. c. 39.

9) Carm. mis. c. 31.

versationis bone studio gratiosum“, in Archiepiscopum Colocensem confirmat (Nr. 439.)

A. 1246. exstirpandis penitus Patarenis Bosnensibus, quos iam Colomannus rex, Belae IV. frater, praecipuus Bosnensis episcopatus auctor, utcumque repraesentat, qui tamen post eius obitum, clademque Tartaricam impune denuo grassari coeperunt,<sup>1)</sup> modis omnibus intentus, ante omnia Ecclesiam Bosnensem Colocensi subiici a Papa postulavit<sup>2)</sup>, tum contra eosdem assumere signum crucis proposuit, quod Papa probans, ei 3. Aug. „idem signum de Archivio nostro receptum“ transmisit, simulque illi concessit, ut possessiones haereticorum, quas a fidelibus occupari contigerit, possit concedere eisdem fidelibus eorumque haeredibus, prout viderit expedire. A. autem 1247. 26. Aug. idem Papa episcopatum Bosnensem ecclesiae Colocensi subiici mandat<sup>3)</sup>. Negotium tamen hoc per 17 annos adhaesit, a. demum 1264. terminata<sup>4)</sup>. — Eodem a. 1247. 18. Sept. eidem Papa mandat, ut super transferenda ecclesia cath. de Ku in quodam monasterium rescribat<sup>5)</sup>. 27. Sept. autem graves discordias inter Archiepiscopum Colocensem et Episcopum Quinqueecclesiensem circa limites dicecesium exortas componi iubet.<sup>6)</sup> A. 1248. 27. Mart. contra Ninoslaum banum Bosniae procedere, seu potius cruce signatos ducere a Papa prohibetur.<sup>7)</sup> A. 1251. 24. Sept. Papa illum provocat, ut praelatos Hungariae permoveat, quatenus Patriarchae Aquileiensi, durante bello, annuis 2000 marcis subveniant<sup>8)</sup>. A. 1252. 3. Febr. Michaeli clerico de beneficio providere provocatur<sup>9)</sup>. — Eodem anno terram Petul cedit pro medietate terrae Fizegh, quia pretium huius, quindecim nempe marcas argenti, nec ipse Archiepiscopus, nec Capitulum ob multas necessitates, quibus opprimebantur propter excidium Tartarorum, persolvere poterant<sup>10)</sup>. — Tandem ecclesiam s. Salvatoris ultimo certe Archiepiscopatus sui Colocensis anno Conventui de Örs contulit.<sup>11)</sup>

Archiepiscopatum, ut supra vidimus, a. 1254. 25. Febr. tandem obtinuit. Officium autem Cancellarii Regii ab a. 1240. ad finem vitae suae retinuit.

1) Katona Hist. Coloc. Eccl. I. 290.

2) Theiner Mon. Hung. I. 201.

3) Ib. 202. 204.

4) Katona Hist. Eccl. Col. I. 292.

5) Theiner l. c. I. 205.

6) Theiner l. c. I. 205.

7) Ib. 206.

8) Ib. 211.

9) Ib. 212.

10) Fejér Cod. dipl. IV. II. 156.

11) Theiner l. c. I. 234.

## 538.

1254. 20. Febr. — Innocentius PP. IV. magistro Petro Praeposito Chas-  
mensi, Octomaro Archidiacono Neogradiensi et Reynaldo Plebano de (Sel-  
mecz) Bana, procuratoribus B. quondam Colocensis, nunc Strigon. Archi-  
episcopi, contrahendi mutuum ad summam trium millium et quingentarum mar-  
carum puri argenti facultatem concedit, ne pro expensarum defectu negotia Ar-  
chiepiscopi et Ecclesiae Strigon. inexpedita remanere contingat. — Datum  
Laterani X. kal. Mart., P. a. 11.

Theiner Mon. Hung. I. 225. Wenzel l. c. II. 247.

## 539.

1254. 25. Febr. — Innocentius PP. IV. Benedictum Archiepiscopum Colocensem ad  
Strigon. Metropolim transfert.

Innocentius — — Archiepiscopo Strigon. — — Licet postulationem de  
et, tunc Colocensi Archiepiscopo, ad Strigoniensem factam ecclesiam, iustitia  
exigente, duxerimus non persone vitio repellendam; tandem ne ipsam Strigon.  
ecclesiam iacturam ex vacatione subire contigerit longiori, precaveri volentes  
eidem de tua prudentia, ex ea maxime concepta fiducia, quod Colocensi ecclesie  
laudabiliter prefuisti, te nobis et fratribus nostris tue meritis probitatis acceptum,  
predicte Strigon. ecclesie — — in Archiepiscopum et pastorem providimus  
et — — ad ipsam Strigon. ecclesiam duximus transferendum. — — Datum La-  
terani V. kal. Mart., P. a. 11.

Eodem die idem perscribitur Suffraganeis, Capitulo Strigon., Clero civi-  
tatis et dioecesis, tum populo Strigon.

Theiner Mon. Hung. I. 225. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 238.

## 540.

1254. 25. Febr. — Andreas et Mikó possessiones Fehéregyház, Tikos et Szöcsen inter  
se per arbitros dividunt.

Conuentus monasterij sancti Egidij de Simigio, omnibus xpi. fidelibus, tam  
presentibus, quam futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium sal-  
uatore. ad uniuersorum noticiam harum serie litterarum uolumus peruenire,  
Quod Andreas, filius, Petres de feirighaz, ab una parte, Mikóu, filius



Kersen de Tikus, ex altera, in nostra constituti presencia, confessi sunt oraculo uiue uocis, ut per compositionem comitis Johannis, filij Isip, et Gregorij, filij Gieel, de genere beuu, ac Chama de Huruathkut, ob dileccionem cognacionis, super causa diuisionis possessionum ipsorum, olim facte, hoc modo se reformassent, ut sicut olim predictus Kersen, pater eiusdem Mikou, et dictus andreas diuiserant inter ipsos possessiones eorum, eodem modo commisissent; uidelicet possessionem feirighaz cum omnibus utilitatibus suis, sub antiquis metis et terminis, quibus a uicinis suis separatur, dictus mikou commisisset et reliquisset andree predicto et suis posteritatibus perpetuo possidere; econuerso autem idem andreas possessionem Tikus et porcione eorum, in Zeuchen habitam, dedisset et reliquisset eidem mikou et suis heredibus similiter perpetuo possidere; tali obligacione mediante, quod si processu temporis ipsam diuisionem, aut ipsi, uel aliquis de posteritatibus ipsorum reuocaret; illi, qui ipsam diuisionem obseruaret, L (50) marcas, sine porcione iudicis, dare teneretur. In cuius rei stabilitatem et firmitatem, ad petitionem parcium, super hec premissa, ambabus partibus dedimus litteras nostras, sigilli nostri munimine communitas. Datum in die cinerum, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LIII<sup>o</sup>. Beato abbate, Benedicto decano, Iuach custode, baldino cantore, andrea bissono celerario,\*) ceterisque fratribus, ibidem existentibus.

Sigillum detritum e rubro flavo et violaceo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. fasc. 6. Nro. 1. — Ed. Cod. Strig. II. 66; Wenzel l. c. VII. 376.

### 541.

1254. 5. Mart. — Innocentius PP. IV. debitum, per procuratores Archiepiscopi Strigon. contractum, exsolvi iubet.

Innocentius — — Archidiacono Bononiensi — —. Cum, sicut — — Bonifacius Bonsignoris — — et alii socii, ciues et mercatores Senenses, nobis exponere curauerunt, iidem — — Magistris Petro Preposito Ecclesie Chasmensis, — — Octomaro Archidiacono Neogradiensi et Raynaldo Plebano Ecclesie de Bana, Strigon. Diocesis, procuratoribus venerabilis fratris nostri . . Archiepiscopi Strigon., — — — tria millia et quingentas marcas argenti puri et fini ad pondus Ungarie, apud sedem Apostolicam pro expediendis ipsius Archi-

\*) Cellerarius=Cellarius, cuius agenda Lanfrancus (Deer. Ord. S. Ben. c. 8.) sic describit: „Ad Cellarii ministerium pertinent omnia, quae in pane et potu et diversis ciborum generibus fratribus sunt necessaria, — — procurare, omnia vasa cellarii et coquinae et cyphos et iustas (pocula) et cetera vasa refectorii, et omnem horum trium necessariam suppellectilem ministrare.“ (Du Cange II. 1012.)

episcopi et Ecclesie mutuarint, certis loco et terminis ipsis mercatoribus persol-  
uendas, — — mandamus, quatenus si predictus Archiepiscopus et successores  
ipsius in statutis loco et terminis — — de pecunia non satisfecerint memora-  
ta, ut extunc dictum Archiepiscopum, vel successorem suum — — excommu-  
nicatos tamdiu publice, nunties et facias per alios — — nuntiari, — — donec  
prefatis mercatoribus — — fuerit satisfactum. Si vero idem Archiepiscopus in  
huiusmodi excommunicatione per duos menses steterit, ab administratione spi-  
ritualium et temporalium suspendas eundem, prefixo ei nichilominus perempto-  
rio termino competenti, quo personaliter nostro se conspectui representet pro  
meritis recepturus. — — Datum Laterani III. nonas Mart., P. a. 11.

Theiner Vet. Monum. Slavorum Merid. I. 81., Wenzel l. c. VII. 362.

---

542.

1254. 11. Mart. — Innocentius PP. IV. Benedicto Archiepiscopo Stri-  
gon. per Magistrum Petrum Praepositum Chasmensem et Raynaldum pleba-  
num de Bana, nuncios suos, pallium mittit. — Datum Laterani V. Id. Mart.,  
P. a. 11.

Theiner Mon. Hung. I. 226. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 244.

---

543.

1254. 1. Apr. — Innocentius PP. IV. e proventibus Archiepiscopatus Strigon. Stephano Vanchai Episcopo Card. Praenestrino annuas 300 marcas argenti addicit.

Innocentius — — S. Martini de Monte Pannonie — — et de Bocon — —  
Abbatibus. — — Cum venerabilem fratrem nostrum . . Episcopum Pene-  
strinum de Strigoniensi Ecclesia, cui olim prefuisse utiliter, ac laudabiliter pro-  
fuisse dinoscitur, ad Penestriensem duxerimus transferendum; — — — persone  
ipsius Episcopi trecentas marcas argenti puri et fini ad pondus Ungarie de  
prouentibus et redditibus Archiepiscopalibus eiusdem Strigon. Ecclesie — —  
concessimus percipiendas ab ipso integre annuatim; statuentes — — et preci-  
pientes districte, ut Archiepiscopus Strigon., qui pro tempore fuerit, — — tre-  
centas marcas de redditibus et prouentibus ipsis, sibi vel procuratori suo — —  
annis singulis in festo Omnium Sanctorum apud Venetias, sine diminutione  
qualibet — — persoluat. — — — Discretionis uestre — — mandamus, quate-  
nus — — litteras ipsas, quas super hoc eidem Archiepiscopo destinamus, sibi

assignare cum cautela et diligentia studeatis. — Datum Laterani kal. Apr., P. a. 11.

Orig. in Arch. Montis Pann. Fejér Cod. dipl. IV. II. 251. et Wenzel l. c. II. 249.

## 544.

1254. 24. Apr. — Innocentius PP. IV. Archiepiscopo Strigon. mandat, ut magistro Gerardo de Parma, Canonico Strigon., qui in magnis et arduis ecclesiae Romanae negociis se obsequiosum et devotum exhibuit, in uno vel pluribus beneficiis, quae acceptanda duxerit, usque ad summam 40 marcarum argenti providere procuret. — Datum Laterani VIII. kal. Maii, P. a. 11.

Theiner Mon. Hung. I. 228. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 247.

## 545.

1254. 7. Jun. — Conventus Cruciferorum Strigon. partem terrae Ságh venditam testatur.

A

B

C

Conuentus cruciferorum domus hospitalis sancti Regis Stephani de Strigonio, Sygnificamus, quibus expedit, vniuersis, presencium per tenorem, Quod Gyarmán et Thomas, filij Cysar, ac valentinus et Pete, consanguiney eorundem, ab vna parte, Item Egidius filius Rugas, nobilis de Saagh, parte ex altera, personaliter coram nobis constituti, Gyarmán et Thomas, ac Valentinus et Pete primo nominati retulerunt oraculo viue uocis, quod Ipsi quandam particulam terre in eadem Saagh, Sexaginta et tria Jugera in se continentem, tria videlicet Jugera iam dicta in fine ville Saagh pro fundo Curie, a predicto Egidio filio Rugas recepissent Jure hereditario Possidendam, sub tali conuencione, quod quandocunque exercitus Regis inmineret, Ipsi in personis cum pretacto Egidio ad Officium exercitus properare omni tempore essent astricti. Si uero hoc in processu temporis facere et dictum seruicium adimplere eidem Egidio negligerent, aut contumaciter et nequiciose ab huiusmodi officio se retraherent et sepedictus Egidius aut sui heredes in hoc facto deciperentur; extunc predicta particula terra sepedicto Egidio, vel Ipsius heredibus conuerteretur possidenda cum plenitudine sui Juris. In Cuius rey memoriam et perpetuam firmitatem concessimus presentes, Sigillo nostro munimine roboratas. Datum In Octauis Pentecostes, Anno Ab Incarnacione domini M. CC<sup>mo</sup>. L. . quarto.

Sigillum e corrigia dependet. Orig. in Arch. Cap. Strig. publ. Capsa 69. Fasc. 15. Nr. 14. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 259.



## 546.

1254. 30. Aug. — Bela IV. hospitibus de Dobroniva et Bábaszék inter alias libertates concedit, „ut sacerdotem sibi de communi civium eligant voluntate, cui omnes suas decimas dare debeant ex integro; et idem sacerdos de quinquaginta mansionibus Strigon. Archiepiscopo solvere debeat unam marcam.“ Datum III. kal. Sept., Regni a. 19.

Fejér Cod. dipl. IV. II. 229.

## 547.

1254. 16. Sept. — Magister Smaragdus Praepositus Poseniensis, per Belam Regem super quibusdam negotiis, praecipue pro contrahendo inter neptem Papae et filium Regis Belam matrimonio, legatus ad Papam mittitur. — Datum in Zoulum XVI. kal. Oct.

Theiner Mon. Hung. I. 229., Fejér Cod. dipl. IV. II. 243. — Smaragdus hic eodem anno iam Electus Albensis et Aulae Regiae Vice-Cancellarius nominatur. Ib. 242.

## 548.

1254. 2. Oct. — Innocentius PP. IV. indulget, ut nullus Delegatus, Executor, vel Conservator possit in Ecclesiam Strigon. poenas ecclesiasticas absque speciali mandato sacrae sedis promulgare.

Innocentius episcopus, servus servorum dei, Venerabilj fratri, . . Archiepiscopo et Dilectis filijs Capitulo Strigoniensi Salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis benignitas sincere obsequentium vota fidelium favore (beniuolo) prosequi consuevit et personas illorum, quos in sua deuotione promptos inuenerit et feruentes, quibusdam (titulis) decencius decorare. Vt igitur ex speciali deuotione, quam ad nos et Romanam Ecclesiam habere noscimini, sentiat is uobis (fauo)rem apostolicum non modicum accreuisse; auctoritate uobis presencium indulgemus, ut nulli Delegatus, (uel) Subdelegatus, Executor, aut etiam conseruator, auctoritate sedis apostolice, uel legatorum ipsius, in uos, uel ecclesiam uestram excommunicationis, suspensionis, uel interdicti sententias promulgare, aut interdicere uobis ingressum ecclesie (ua)leat, absque speciali mandato sedis eiusdem, faciente plenam et expressam de hac indulgentia mentionem.

Nulli ergo omnino hominum — — — cet. consuete. Datum Anagnie VI. Nonas Octobris, Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

Sig. plumb. e flavo et rubro serico pendet. Orig. exesum et lacerum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44, fasc. 1. Nro. 7. — Ed. Cod. Strig. II. 64., Wenzel l. c. VII. 368.

---

549.

1254. 2. Oct. — Innocentius PP. IV. Ecclesiam Strigon. in privilegiis, Nro. 548. exhibitis, per Abbates de Pilis et Bakony manuteneri praecipit.

Innocencius Episcopus, seruus seruorum dei, Dilectis filiis, . . de Pelys et de Boccon abbatibus, Cysterciensis ordinis, vesprimiensis dyocesis, salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis benignitas sincere obsequencium uota fidelium fauore beniuolo prosequi consuevit, et personas illorum, quos in sua deuocione promptos inuenerit et feruentes, quibusdam titulis decencius decorare. Vt igitur ex speciali deuocione, quam venerabilis frater noster, . . Archiepiscopus et Dilecti filij Capitulum Strigoniense ad nos et Romanam ecclesiam habere noscuntur, senciant sibi fauorem apostolicum non modicum accreuisse; eis per nostras duximus litteras indulgendum, vt nullus delegatus, uel subdelegatus, executor, aut eciam conseruator auctoritate sedis apostolice, uel legatorum ipsius, in eos, uel ecclesiam ipsorum excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sentencias promulgare, aut interdicere ipsis ingressum ecclesie ualeat, absque speciali mandato sedis eiusdem, faciente plenam et expressam de Indulgencia huiusmodi mencionem. Quocirca Discrecioni vestre per apostolica scripta mandamus, Quatenus dictos archiepiscopum, Capitulum et ecclesiam non permitattis super Hijs contra concessionis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestare; molestatores Huiusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; non obstante, si aliquibus, quod excommunicari, suspendi, vel interdicti, aut conueniri extra certa loca non valeant, a sede apostolica sit indultum, et constitucione de duabus dietis, edita in concilio generali. Datum anagnie VI. Nonas octobris, Pontificatus nostri anno XII.

E transunto a. 1333. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. Fasc. 1. Nro. 8. Tum in litteris Abbatum de Bakony et Pilis sec. 14. In Arch. Primat. eccl. vet. Nr. 13. — Ed. Cod. Strig. I. 37., Wenzel l. c. VII. 368.

---

## 550.

1255. 25. Jul. — Bela IV. tributum fori Castri Pestiensis Monialibus de Insula Leporum conferens, distinctim statuit, ut nominatim Strigonien-  
ses, Albenses et breviter omnes, qui ad forum causa mercandi venerint, de  
mamoniis suis — — ad solutionem tributi teneantur. Excipimus autem fabros  
nostros de Strigonio illos, qui tempore novae monetae domi in  
fabrica laborarunt, si cum uxore et familia sua in castro superius mo-  
rabuntur. Cum autem ab opere praedictae monetae fuerint expediti, statui-  
mus, quod de mamoniis suis tributum solvant, sicut alii. — Datum VIII. kal.  
Aug., Regni a. 20.

Fejér Cod. dipl. IV II. 312.

## 551.

1255. 25. Jul. — Bela IV. coenobio monialium de Insula Leporum a se  
constructo ius fori et etiam patronatus, „quod in ecclesia s. Mariae, in ipso Ca-  
stro (Budensi) construenda, nobis, utpote vero patrono compete-  
bat“, contulit „volentes ut omnis honor et emolumentum, qui et quod nobis, vel nostris filiis  
vel nepotibus debetur, ex hac nostra concessione, cui in ipsius ecclesiae primaria  
et ante omnem consecrationem fundatione, Strigon. Archiepiscopi con-  
sensus accessit, in ipsum coenobium transferatur“. — Datum VIII. kal. Aug. —

Katona Hist. Crit. VI. 235. — Schier Buda S. 101. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 320;  
pag. autem 453. a. 1258. assignat.

## 552.

1255. 10. Aug. — Bela IV. medietatem terrae Szelepcsény, Dobrina et filiis suis, qui  
eam tempore famis a Pósa et sociis pretio comparaverant, edicto generali conformiter, re-  
linquendam sancit.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chrowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lo-  
domerie, Cumanieque Rex, vniuersis, presentes litteras inspecturis, salutem in  
omnium saluatore. Vigerent lites et regnaret materia iurgiorum, nisi ea, que iuris  
ordine terminantur, per eterni scripti memoriam reciperent firmitatem. Proinde  
ad uniuersitatis uestre noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum  
Pousa filius Bala, Buc filius Balasey, Georgius filius Bud, Juanc filius  
Sctayzlai (sic), a Dobrina, Miko et Woyn, filijs eiusdem, et Woyzla o,



ac Thoma iobagionibus monasterij sancti Benedicti de Grana, qui prius de seruiantibus nostris fuerant oriundi, medietatem terre ipsorum iobagionum, nomine Scylipche, videlicet ad duo aratra, repeterent in iudicio coram nobis, utpote indebite occupatam; iidem Dobrina, Miko, Woyn, Woyzlaus et Thomas ex aduerso responderunt, quod ipsi predictam terram a Bud, patre dicti Georgij, et fratre eiusdem Georgij, nomine Gurganus, Egydio fratre dicti Juanc, Legk filio Mykuna et Doncus fratre dicti Pouse coram Nitriensi Capitulo, famis tempore comparassent, super quo per litteras eiusdem Capituli nobis fecerunt fidem plenariam adhiberi. Cum ergo per totum regnum nostrum edicto generali duxerimus statuendum, ut possessiones alienate famis tempore nequeant reuocari; decreuimus, ut medietatem dicte terre Scylipche, usui duorum aratrorum sufficientem, prefati Dobrina, Miko, Woyn, Woyzlaus et Thomas debeant perpetuo pacifice possidere, sicut in litteris Nitriensis Capituli continetur, cum easdem dictus Pousa et socij sui nullatenus dixerint esse falsas. Ceterum cum unicuique ex debito regiminis simus in sua iusticia debitores, decreuimus, ut medietas dicte terre Scylipche, existens extra litem, ipsis Pouse, Buc, Georgio et Juanc cedere debeat, cum uendicioni partis relique facte coram Nitriensi Capitulo, eos in nullo penitus constiterit consensisse. Vt igitur sepedicti Dobrina, Miko, Woyn, Woyzlaus et Thomas medietatem dicte terre Scylipche, emptam coram Nitriensi Capitulo, ualeant pacifice possidere, in testimonium huius rei presentes litteras dari fecimus, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Smaragdi Albensis ecclesie prepositi, Aule nostre vicecancellarij, Dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo, Ducentesimo, Quinquagesimo quinto, Quarto Idus Augusti, Regni autem nostri anno vicesimo.

A tergo manus sec. 15. adnotavit: „Super possessione Kyszelepchen, super terra duorum Aratrorum, in eadem Kyszelepchen habita. Item terra, Andavocata, pertinet ad Nagzelepchen et non ad Zelepchen. Item Insuper in kyszelepchen etiam super aliam terram similiter duorum aratrorum que est, quam nunc kyssoka vocant“. — Fragm. sigilli e rubro et flavo serico pendet. Orig. nitido calamo exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 9. Fasc. 2. Nro. 2. — Extr. Fejér l. c. IV. II. 360. — Ed. Cod. Strig. II. 67.

### 553.

1255. 16. Aug. — Bela IV. in congregatione, Vacii celebrata, profugos Nobiles exercitantes et alios conditionarios Ecclesie Strigon., ad Vadkert in pristinam conditionem reduci curat.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Omnibus xpi. fidelibus, tam presentibus, quam

futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam Harum serie uolumus peruenire, Quod cum nos post insultus tartarorum statum Regni nostri deformatum in melius reformare uolentes et unicuique, quod suum est, restituere, occupationesque possessionum, per diram necem tartarorum Herede carencium, iuris ordine reintegrare, congregationem in Wacia tribus Comitatus, videlicet Neugradiensi, Huntensi et Gumuriensi, de consilio regni nostri fecimus proclamari et cum ipsa proclamacione (sic) tam de possessionibus occupatis, quam de iniurijs illatis satisfacere uoluissimus; inter cetera dominus Benedictus archieppus Strigon. per modum querimonie nobis significare curauit, quod Quidam nobiles iobagiones ecclesie Strigon. exercitantes et alii condicionarij eiusdem a seruicio ipsius ecclesie fugientes, liberys nobilibus regni se conformassent; petens nos idem dominus Archiepiscopus humiliter et deuote, ut huiusmodi seruitores ecclesie sue ad officia, eis a sancto Rege ordinata, redire compelleremus. Cuius precibus inclinati, deliberacione prelatorum et Baronum Regni nostri deliberantes decreuimus, ut Comes Tekus, Fulkus de Zechen, et Lorandus de Zihig, dilecti et fideles nostri de Comitatu Neugradiensi, ad eorum fidelitatem scirent et inquirerent in dicto Comitatu Neugrad., qui et quales essent seruitores dicte ecclesie Strigon., a sanctis Regibus ordinati, qui se a seruicio dicte ecclesie retraxissent. Tandem memorati fideles nostri ad nos post plurima tempora uenientes, nobis taliter redixerunt, quod Lukam filium Echen, Halad cum filio suo Moka, vonunto cum filio suo Bulchu, ac Donkus, filium dominici, de seruicio dicte ecclesie fuisse reperissent, quorum seruicia inferius distinguuntur, qui propter malam conseruacionem de suis terris recessissent, qui se in uodkert propriam terram habere dixissent, quos ipsi Comites Tekus, Fulkus et Lorandus ad propriam terram eorum uodkert reduxissent ad utendum et ipsi ecclesie Seruiendum in seruicio consueto, quibus ipsam terram sub hijs metis diuisissent, quod primo incepissent a parte semptrionis (sic) terminos uodkert, ubi inuenissent tres metas, quarum una fuisset pertinens ad uodkert, secunda ad uillam Dehter, tertia ad terram Scenleurent. Inde egressi fuissent uersus orientem a parte septemtrionis per rubetum, simplices et duplices metas currendo, usque ad magnam uiam, per quas metas separatur uodker (sic) a terra scentleurent, inde uenit iuxta uiam ad rubetum, ubi essent due mete et exinde reflecteretur ad anticum (sic) pontem, qui pons pro meta haberetur seperatiua et ibi transiret lulkus et iungeretur terre hakara, per planiciem parum eundo seperaret terram uodkert a terra Hakara et iret per metas terreas et distinciones antiquas usque ad finem terre Hakara. Deinde separando iungitur terre Chestue dicte a parte orientis et reflecteret se ad meridiem et distingueret per antiquas metas et distinciones

possessionem vodkert a terra Chestue, includendo tamen magnam Silluam possessioni vodkert; inde iungitur terre nobilium Zendi per metas, deinde terre nobilium Zatuk uocate. Inde iungitur terre monasterij Triske per metas, inde iungitur terre Tottriske <sup>1)</sup> per distinciones antiquas; deinde in decluium meridiei iungitur terre Bohna; inde descendit in uallem fluminis potok et transit potok ad occidentem ad duas metas, inde ad uillam potok per metas; deinde reflectitur iterato ad flumen potok, ibi transit, uadit usque ad montem uinearum; deinde ad tres metas capitales. quam quidem terram vodkert sic inter ipsos diuisissent, quod a parte terra Scentleurent cum Sillua unam partem Donkus decimatori assignassent, aliam partem Luka exercituant, Terciam partem vonunto et filio suo, Item Halald <sup>2)</sup> Quartam partem; residuas tres partes alijs seruatoribus; et sic ipsam terram, per septem partes diuisam, eisdem reliquissent. Nos autem auctoritate Regia ordinauimus, vt ipsi condicionarij dictam terram eorum nec uendere possint, nec alienare, sed semper domino Archiepiscopo seruire de eadem teneantur. In Cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes dedimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Smagrardi (sic) albensis ecclesie electi, dilecti et fidelis nostri. Anno domini M<sup>o</sup>. c<sup>o</sup>c Lmo quinto, Regni autem nostri anno vigesimo primo <sup>3)</sup>, XVII. kal. Septembris.

Fragm. sigilli e flavo et rubro serico pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. F. Fasc. 1. Nr. 1. — Extr. Fejér l. c. IV. II. 292. et 359. — Ed. Cod. Strig. I. 38.

#### 554.

1255. 23. Sept. — Philippus Prepositus et Capitulum Strigon. super uenditione particulae terre Sarov litteras „per manus Magistri Syxti Lectoris Ecclesie nostre“ expedit.

Wenzel l. c. VII. 401. — Idem Philippus in aliis quoque huius anni Capituli Strigon. litteris memoratur. Ib. 402.

#### 555.

1255. a. 14. Oct. — Bela IV. cives Strigon. de omnibus mercibus Capitulo Strigon., pro quo testes iuramentum eatenus deposuerunt, tributum solvere compellit.

Bela, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, vniuersis xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis,

1) In transs. a 1308. T o u t t r i s k e.

2) Ibid. H a l a d.

3) Ibid. exmissum.



salutem in salutis largitore. Ea, que regali iudicio terminantur, scriptis inseri provide decreuit antiquitas, ne aduersancium maliciosa caliditas lites sopitas denuo valeat suscitare. Hinc est, quod vniuersorum noticie declaramus, quod cum tributum in ciuitate Strigon. diuine pietatis intuitu fuisset a nostris progenitoribus Capitulo Strigon. collatum et ex antiqua et approbata consuetudine continue persolutum; Ciues eiusdem Civitatis post Tartarorum introitum id impedire nitebantur, dicentes, quod de pannis et reliquis mercimonijs, que de alijs regnis et prouincijs Strigonium deferuntur, tributum consuetum soluere tenerentur; sed de hijs, que albe, uel Bude, aut alijs locis Hungarie emerent, tributum soluere non deberent. Super quo inter Capitulum Strigon., ac ciues eosdem coram nobis lite diucius uentilata, prepositus et Capitulum per prelatos et multarum ecclesiarum Capitula, per comites, qui Strigon. comitatum pro tempore tenuerunt, quandam ex eodem tributo percipientes porcionem, ac alios regni magnates et quosdam ciuitatis Strigon. ciues probauerunt euidenter, quod undecumque pannos uel alia mercimonia, de quibus prius Strigonij tributum solutum non fuisset, illuc portari contingeret, tributum ex hijs deberent soluere consuetum. Nos igitur auditis et intellectis parcium rationibus, decreuimus, secundum eleccionem et uoluntatem ciuium predictorum, quod sex de testibus Capituli Strigon., quorum nomina sunt hec: Thomas lector agriensis, pro se; Farcasius archidiaconus de Borsua, pro Capitulo agriensi; Stephanus comes, filius Martini; J a k o comes, frater Martini bani; S e y f r i d u s de Sceuden, comes albensis. Item sex alij de eodem Capitulo Strigon.: Phylippus prepositus, magister Paulus lector, vyncencius Archidiaconus Nitriensis, Bense Cantor, Andreas prepositus sancti Thome et Nicolaus sacerdos, pro fundanda super premissis intencione Capituli memorati, prestare deberent apud ecclesiam sancti Regis de Strigonio sacramentum; omnes loco et termino ad hoc statutis, iuramentum huiusmodi, presentibus partibus, mediante dilecto fideli nostro Lorando palatino et comite poson., prestiterunt, quod uidelicet Latini et ciues Strigon. de pannis et alijs mercimonijs, que de Alba, de Buda et de Pest et vndecumque de alijs locis Hungarie Strigonium deferunt, uel deferent, de quibus scilicet prius Strigonij tributum solutum non fuerat, ipsi Capitulo tributum soluere tenerentur, et quod soluerunt illud ante aduentum Tartarorum, secundum modum premissum. Adiecerunt eciam ipsi testes iurati, quod cum tempore felicis recordacionis Roberti, scilicet archiepiscopi Strigon., tributum huiusmodi dicto Capitulo soluere denegarent, ipsi latini et ciues per eundem Robertum archiepiscopum fuissent propter hoc excommunicacionis uinculo innodati, et non prius absoluti, donec iurassent, id de cetero soluere, quod et postmodum soluerunt. Habito itaque super premissis cum baronibus nostris tractatu, ex consilio eorundem statuimus et decreuimus per definitiuam sentenciam, quod deinceps inantea, quicumque pannos, uel alias res uenales, siue intra siue extra regnum empta, Strigonium attu-

lerint, consuetum exinde tributum Strigon. Capitulo soluere teneantur; sed si res aliquas, tributo prius ibidem ex hijs persoluto, exportari de Strigonio, et postmodum denuo reportari illuc contigerit, tributum exinde nullatenus exigatur. Vt autem prenarrata series robor inconcussum optineat, nec possit in posterum per quempiam retractari, seu in dubium reuocari, presentes tradidimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine in perpetuum communitas. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. quinquagesimo V-to, Regni autem nostri anno vicesimo.

E transumpto Ladislai IV. vide ad a. 1288. 18. April. — Katona Hist. Crit. VI. 219. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 304.

### 556.

1255. a. 14. Oct. — Bela IV. hospites de nova villa Bisztricz libertatibus ornat, ac territorium villae metis circumscribit.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crouacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus xpi. fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presentes litteras inspecturis, Salutem in Omnium saluatore. Circumspectio Regum prouida solet suos libertatum Tytulis adhornare, vt merito possit numerus sibi famulancium augmentari; cum ex hoc honor excellencie Regie conseruetur. Proinde ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, Quod Nos hospitibus nostris de noua villa Bystrice, prope Lypcham, hanc ad eorum supplicationem concessimus libertatem: vt plebanum de Comuni eligant voluntate, qui per ipsos venerabili patri archiepiscopo Strigon. presentabitur, in ipsorum Ecclesiam confirmandus. Preterea villicum, seu Judicem inter se eligant de uniuersitatis consilio et consensu, per vnus anni spacium permansurum, qui eos in omnibus causis suis Iudicabit, nec per totum Regnum nostrum coram alio Iudice poterunt conueniri. Item aurum, argentum et omnia alia metalla per totum Comitatum de Zolum infra metas suas exquirere poterunt, tam in terris, quam in nemoribus, Siluis et aquis, ac liberi sint infra subscriptas metas in omnibus vtilitatibus suis, excepta uenacione et piscium capcione. Item de aurifodina soluent decimam, de argento vero, et de alijs omnibus metallis Octauam partem soluere teneantur. Item in omni causa, que ad examen duelli Iudicatur, si personona (sic) illa, que ipsos impetit, sit de ipsis, uel libertatis ac nacionis ipsorum, illud Duellum cum scuto rotundo et gladijs debet pugnare; prout saxonum optinet consuetudo. Si uero extranee condicionis persona fuerit, tunc modus duelli in Regis arbitrio remanebit. Item ad nullius citacionem in Curiam venire tenebuntur, nisi per nostras specialiter litteras fuerint citatj, et in nostri pre-

sencia, vel illius, cui ex certa concesserimus licencia, astare tenebuntur. Super hec predictis hospitibus nostris de Bystirce (sic) concedimus, vt preter nostram excellenciam nullus possit descensum facere super ipsos, nisi quos ipsi de propria receperint voluntate. Adicimus eciam, vt ab omni Iurisdicione et Iudicio Comitum de Zolum, pro tempore constitutorum, sint penitus liberi et exempti. Volumus eciam, vt nullam exaccionem, sew Censum ratione terragij aliqui soluere teneantur. Item circa renouacionem monetarum numularij ad eos uenientes septem diebus pretextu noue momete (sic) nullam in ipsos habebunt potestatem; elapsis vero ipsis septem diebus, omnem habebunt iurisdicionem, quam habent in Strigonio vel in Buda. Preterea ad exercitum vel expedicionem, ad quem nos personaliter ire continget, et ipsi decenter armati sub nostro vexillo ire tenebuntur. Insuper concedimus prenominatis hospitibus nostris de Bysterce, (sic) Quod ea gaudeant libertate super tributo, qua hospites nostri de Schebnyzbana gratulantur, nec ultra id per totum Regnum nostrum ipsis aliqua molestia inferatur. Preterea, ut multa breuiter concludantur, sepedictis hospitibus nostris conferimus terram arabilem, Siluas et prata, ad usus ipsorum necessaria, in quibus nullus eos audeat molestare. Ne autem super metis seu terminis dubium, lis, aut error in posterum oriatur, per fidelem nostrum Magistrum Baas, distingui fecimus et in hoc scripto poni nominatim, prout suo ordine distinguitur: Prima meta incipit a fluuio Goron in loco, vbi fluuius (sic) Vdurna intrat in fluuium (sic) Gron, et ascendit in ipso fluuio Vdurna vsque ad viam, que ducit in Turch,<sup>1)</sup> Et in ipsa via tendit versus Septemtrionem. Inde venit sub latere magni montis vsque in fluuium, qui vocatur Chelnice,<sup>2)</sup> in quo descendit vsque in fluuium Gron antedictum, et transit eundem fluuium per quandam Insulam et ascendit altum montem et inde reuertitur in uertice montis ad priorem metam, vbi fluuius Vdurna cadit in fluuium Gron et ibi terminantur. Insuper contulimus ipsis pratum, quod vocatur Castri, Jure perpetuo et libere possidendum. Vt igitur hec premissa robur perpetue firmitatis optineant, nec possint processu temporum in irritum aliquatenus retractari, presentes litteras dedimus, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus dilecti et fidelis nostri, Magistri Smaragdi, Albensis prepositi, aule nostre vicecancellarij, Anno domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C<sup>o</sup>. Quinquagesimo V<sup>o</sup>. Regni autem nostri anno X<sup>o</sup>X<sup>o</sup>.<sup>3)</sup>

E transumto Capituli Strigon. a. 1338. In Arch. Cap. Strig. publ. Capsa 34. Fasc. 6. Nr. 1. Idem Capitulum denuo transumit a. 1519. In Arch. Primat. Sec. Lad. T. Nr. 84. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 296.

1) In altero transumto: Th r w c z.

2) Ib. Th e l n y c z e.

3) Ib. anni regiminis desiderantur.



## 557.

1255. 17. Oct. — Bela IV. Rex Strigonii litteras in favorem Traguriensium edit, in Crastino s. Galli.

Fejér Cod. dipl. VII. IV. 112. et IV. II. 308.

## 558.

1255. 24. Nov. — Lambertus de genere Vancha, terram suam in Kürth Magistro Pousa archidiacono Nitriensi vendit coram Capitulo Strigon.

A                      B                      C                      D

PHilippus prepositus et Capitulum Ecclesie Strigon., Omnibus, ad quos presentes littere peruenerint, salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam uolumus peruenire presencium per tenorem, quod Lampertus, filius Benedicti de genere Bancha, consanguineus domini Stephani Cardinalis, Episcopi Pene-strini, coram nobis constitutus, terram suam empticiam, quam habuit in Curth, in comitatu Strigon., vendidit Magistro Povse, archidiacono Nitriensi, nostro concanonico, pro septem Marcis argenti decime combustionis, sibi in nostra presencia plenarie persolutis, iure perpetuo possidendam; assumens, quod quicumque predictum archidiaconum ratione dicte terre decetero inpeteret, uel molestaret, ipse eum defendere teneretur. Nos ergo ad instanciam dicti archidiaconi ad cognoscendam ueritatem de consensu commetaneorum, et ipsam terram inspiciendam, Bethleem archidiaconum Gumuriensem, nostrum concanonicum, et Eusebium ecclesie nostre prebendarium, viros utique fide dignos, duximus transmittendos, qui ad nos redeunt, dixerunt, quod vicini ac commetanei dicte terre, scilicet Paulus decimator de Curth, cum duobus filiis suis, videlicet Pouka et Zeke, Item Mortunus et vgrinus, frater eius, de villa Curth, que est prope ecclesiam Sancti Thome apostoli, et Laurencius de eadem villa, huic contractui coram ipsis assensum plenissimum prebuerunt; et postmodum predicti Paulus et Pouka, filius eius, ac Mortunus, tam pro se, quam pro vgrino fratre suo, et alijs cognatis suis coram nobis personaliter constituti, plenum assensum prebuerunt. situs autem dicte terre, secundum quod predictis socijs nostris, per nos ad hoc missis, referentibus intelleximus, talis est, quod incipit ab oriente a metis suis capitalibus, situs in silua supra ecclesiam Sancti Thome apostoli de Curth, et descendit directe ad pratum, deinde protenditur et uadit usque fines terre Kezu, ibique terminatur metis finalibus assignata. In cuius rei testimonium ad instanciam et petitionem partis utriusque presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Actum anno

domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> Quinquagesimo quinto, Octauo kalendas Decembris. Datum per manus Magistri Sixti Lectoris Strigon.

Sigillum e serico caeruleo, nigro et roseo pendebat. Orig. pulchre exaratum in Arch. Prim. Sec. Lad. U. Fasc. 3. Nro. 62. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 330.

---

559.

1255. — Jacobus et Zup terram quatuor aratrorum in Muzsla Stephano, mercatori de vico Strigon., coram Capitulo Strigon. perpetuo vendunt.

A B C D

Philippus prepositus et Capitulum Strigoniensis ecclesie, Omnibus xpi. fidelibus, presencium noticiam habituris, salutem in domino ihu. xpo. Ad vniuersorum noticiam, tam presencium, quam posterorum, harum serie uolumus peruenire, quod constitutis in nostra presenciam Jacobo et Zup, filijs Bartholomei de villa Musla, ex una parte, Stephano institore de vico Strigoniensi, ab altera, presentibus Bene filio Zene, Phile et Ambrosio, cometanais et consanguineis suis de eadem villa, ex porcione terre sue hereditarie, quam habent in ipsa villa Musla, terram ad quatuor aratra sufficientem, cum feneto, aquis et alijs utilitatibus, dicte terre pertinentibus, uendiderunt Stephano prenotato, perpetuo iure possidendam, pro sex marcis argenti, quas se confessi sunt plenarie recepisse; obligantes se coram nobis, ut si aliquid requisicionis, seu impeticionis per quempiam hominum in posterum incubuerit ratione terre nominate, ipsi et sui heredes, heredumque suorum succesores ad plenum omnimodis (sic) expedire tenebuntur. Vt igitur huius uendicionis ac empcionis series salua semper et inconcussa permaneat, nec ab aliquo hominum in posterum possit in irritum reuocari, presentes litteras ad petitionem Jacobi et Zup prenominatorum concessimus, nostri sigilli munimine roboratas. Anno dominice incarnationis Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Qvinto.

Sigillum minus, bene conservatum, e rubro serico pendet. Orig. pulcherrime exaratum, in Arch. Prim. Sec. Lad. J. Fasc. 1. Nro. 3. — Ed. Cod. Strig. I. 42.

---

560.

1255. — Sdelin partem terrae suae Tótriska prope Vadkert, Benedicto Archiepiscopo Strigon. vendit coram Cruciferis Strigon.

A B C D

Nos frater Jacobus, Magister Domus Hospitalis sancti Regis de Strigonio, et Conuentus eiusdem loci, significamus vniuersis, quod Sdelyn, filius Jovbus

de Touttriska, constitutus coram nobis, dixit se uendidisse Domino Benedicto, dei gracia archiepiscopo Strigon., commetaneo suo iuxta Vodkert, ex parte terre eiusdem domini archiepiscopi, terram quinque aratrorum et dimidij de terra sua, nomine Touthtriska, pro septem marcis et dimidia argenti, quam terram sibi dominus Rex contulit pro concambio terre sue hereditarie, exceptam de Castro Neugradiensi, quod terram suam hereditariam contulerat dominus Rex cuidam Bors nomine de Morus, similiter pro concambio terre illius, quam dominus Rex ad Castrum suum de Wysagrad ab illo recepit; et predictam summam pecunie, scilicet septem marcas et dimidiam, predictus dominus archiepiscopus plene sibi coram nobis persoluit de argento ponderato, et ita confessus est post receptam pecuniam prefatam, sibi satisfactum esse de precio terre sue, et predictum dominum archiepiscopum penitus absolutum. In cuius rei testimonium ad petitionem utriusque partis, presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. Quinquagesimo Quinto.

Sigillum e rubro serico pendebat. Extus legitur: Super terra Tothtriska penes vodkerth. — Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. F. fasc. 8. Nro. 152. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 332.

---

561.

1255. — Cruciferi Strigon. vineam in Kirva Simeoni seruianti conferunt.

Nos frater J. diuina miseracione Magister Hospitalis Domus sancti Stephani Regis de Strigonio, et conuentus eiusdem, Significamus omnibus xpi. fidelibus, tam presentibus, quam futuris, noticiam presencium habituris, quod vineam Alberti (?) sitam in kirva, iuxta vineam Marcelli comitis, que iure nos contigit, quam Eheche libertino ecclesie nostre commisimus, propter multiplicem infidelitatem ipsius ab eodem auferendo, Pari voluntate et comuni consilio commisimus, dedimus et confirmauimus Symeoni fidei seruienti nostro pro stipendio sui fidelis seruicii, nobis exhibiti, duorum annorum, propter indigenciam aliarum Rerum nostre ecclesie, in filios filiorum perpetuo possidendam. Ne ergo talis commissio in posterum per quempiam fratrum, seu nostrorum successorum aliquo tempore possit in irritum reuocari, presentes concessimus litteras sigilli nostri munimine Roboratas; Anno dominice Incarnacionis M<sup>o</sup> cc<sup>o</sup> L<sup>o</sup> quinto

Fragm. sigilli e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Poson. publ. Capsa 14. Fasc. 17. Nr. 6. — Ed. Wenzel l. c. II. 263.

---



## 562.

1255. — Uxor Mathei de suburbio Strigon., infirmitate coacta, terram suam Capitulo Strigon. vendit, coram Magistratu Civitatis.

Nos Jakmynus, maior ville, ceterique ciues de vico Strigonien-  
si, tenore presencium significamus vniuersis, quod filia Mathei, uxor Job, de  
sancto Paulo extra fossatam, dum infirmitate uexaretur, exoptans cu-  
ram medicorum, pro necessariis expensis terram suam extra et prope eandem  
fossatam, terre Capituli Strigoniensis ecclesie contiguam et conterminalem, sub  
nostro testimonio perambulata et mensurata, cuius longitudo est centum viginti  
quatuor ulnarum et latitudo eius nonaginta duarum ulnarum, cum ulna de vico,  
que uulgo Reyf uocitatur, de uoluntate et consensu omnium cognato-  
rum suorum, necnon omnibus conterminalibus, seu vicinis dicte terre consenci-  
entibus et nullo contradictore existente, uendidit prefato Capitulo, perpetuo iure  
possidendam, pro duabus marcis et fertone, quas plene et integre persoluit Capi-  
tulum memoratum. Vt igitur huius vendicionis, ac empcionis series salua sem-  
per et inconcussa permaneat, nec possit per quempiam hominum in irritum re-  
uocari, in perpetuam stabilitatem rei geste, presentes concessimus litteras, du-  
plices nostri sigilli munimine roboratas. Datum anno dominice incarnationis Mil-  
lesimo Ducentesimo Quinquagesimo Qvinto.

Sig. e serico rubro pendebat. Orig. excellenti calamo exaratum in Arch. Cap.  
Strig. priv. Lad. 24. Fasc. 1. Nro. 12. — Extr. Fejér l. c. IV. II. 362. Ed. Cod. Strig.  
II. 69., Wenzel l. c. VII. 415.

## 563.

1255. — Occurrit inter Barones Regni Comes Jako, frater Martini Ba-  
ni, Comes Strigon.

Muszka Palatini R. Hung. 44., Fejér Cod. dipl. IV. II. 343., Katona Hist. Crit.  
VI. 223. — Ubique, certe erronee, pro voce Comes, ponitur: Canonicus Strigon.

## 564.

1255. — Coram Magistro Pousa, decimatores de minori Nittra Do-  
mini Archiepiscopi Strigon, videlicet Herug, Dama, fabianus et  
socii eorum, convenerant — Drag filium Bethleem, et Mauritium, filium

Echa de Krus, requirentes ab eis descensus decimationis; dicendo, quod ipsi Draag et Mauritius singulis annis descensus decimationis dare tenentur.“

Fejér Cod. dipl. IV. II. 357.

### 565.

1256. 9. Jan. — Bela IV. Petro de Visk pro terra sua haereditaria, in Visk habita, medietatem terrae Ságh confert.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Vniuersis christi fidelibus, presentem paginam inspecturis, Salutem et omne bonum. Regalis benignitas erga statum subiectorum, pia sollicitudine promouendum, manum consuevit porrigere adiutricem, ut subiecti quiete uiuant, Regie Serenitatis gracia fomentati. Proinde ad uniuersorum noticiam, tam presentium, quam futurorum, harum Insinuacione uolumus peruenire, Quod cum Nos petiuissemus a Petro, filio Mochwarka de Wysk, Jobagione Castri nostri Hunthensis, ut porcionem suam hereditariam, quam habet de terra Wysk uocata, Videlicet Dimidiam Partem totius terre Wysk, ab alijs Cognatis suis Recisam et seperatam, ad se solum pertinentem, in Comitatu Honthensi, circa fluuium Ipolsitam, Nobis daret et conferret pro Concambio alterius terre; Idem Petrus de Bona sua uoluntate et propria fidelitate, pro nostra dileccione et ob remuneracionem nostre graciae, cupiens satisfacere Regie uoluntati et desiderans impendere Regali Corone fidelitatem; prefatam Terram suam Wysk Nobis concessit, permisit et dedit possidendam et conferendam, cuicumque uellemus, cum omnibus utilitatibus et pertinencijs suis, quibus ipse possidebat. Et quia Nobis et Corone tantam fecit fidelitatem; Nos Econuerso pro Concambio medietatis dicte Terre sue, Medietatem cuiusdam Terre Castri nostri hunthensis, Saag uocate; circa fluuium Corpona adiacentis, quam homo noster dixit ad octo aratra esse sufficientem et ad nostram collacionem de iure spectantem, cum Eisdem Metis, terminis, utilitatibus et pertinencijs suis, quibus ad nos pertinebat, absque porcione cognatorum suorum, tam sibi, quam eius heredibus, heredumque suorum successoribus, dedimus, donauimus et contulimus, iure perpetuo et irreuocabiliter ad habendum et quiete possidendum, a Nemine successore nostre posteritatis seu aliorum, post elapsum longi temporis aliquis (sic) repetendam aut requirendam. Nos autem insuper Regia inducti Benignitate, visa et cognita ipsius grata et magna fidelitate, quam nobis prebuit in hac parte, Et quia tante fidelitatis Exhibitorum Regiam decet Maiestatem diligere et remunerare; supradictum Petrum et omnes successores sue posteritatis Excepimus et Excimus a seruicio et condicione Jobagionatus Castri nostri Hunthensis, collocando, constituendo et ordinando ipsum et eius heredes, heredumque succes-

sores in collegium et numerum Regalium Seruientum nostrorum, ad nostram recipiendo gratiam et proteccionem specialem. In eius terre possessionem eundem Petrum per dilectum et fidelem hominem nostrum, Magistrum Bach, auctoritate Regia fecimus Introduci. Cuius Prima et Capitalis meta inchoatur sub Scissura cuiusdam montis Hradyscha uocati, ubi est eciam alia meta Ecclesie de Saag, Tercia oduornicorum; Deinde procedit supra uersus Aquilonem sub eodem Monte, per spacium duarum Sagittarum, et ibi est una Meta, postea circuit eundem Montem per quoddam fossatum, que dicitur fossa Gigancium, et in capite illius fossati sunt due Mete. Abhinc descendit de eodem monte directe ad unum locum, in quo uadit supra et circuit unum pratum et in fine illius pratri est meta; Post hec uadit ad quandam uelociorem portum fluuij Corpona et ibi transit et iuxta unam uiam est meta. Et per eandem uiam uadit supra uersus orientem ad magnam uiam, que venit de Saag, Juxta quam est una meta inter paruas Spinas; Deinde ascendit per spacium unius Jugeris et similiter inter spinas est meta; Posthec uadit ad quandam Arborem piri, sub qua est una Meta circa magnam uiam; Deinde intra siluam per modicum spacium ad quandam Arborem Vlmi, que wlgari nostro dicitur Magolffa, et ibi est meta; Postea ascendit per unam uiam, circa quam sub Arbore quercus est meta; Deinde uadit per eandem uiam et cum ascendit montem, exit de ipsa Via et descendit in uallem Lypolchpathaka et ibi sub quadam Arbore Tilie est meta; Posthec descendit uersus Villam Olwar et exit de ualle ad dexteram partem et circa uiam sub Arbore Ilicis, scilicet Thwlffa, est Meta; Deinde descendit uersus terram Ecclesie de Saag, sub quadam arbore Vlmi est meta. Postea descendit uersus occidentem in uallem Siccam, in cuius Capite est una meta. Post hec descendendo ad magnam uiam, iuxta quam sub Arbore Ilicis est meta; Deinde descendit directe ad quoddam Nemus, Juxta Kwrthws pathaka sub arbore laticis Scylffa, est meta, et ibi intrat in pothok et descendendo per Modicum spacium, exit et uadit ad aquam Corpona, ultra quam sub Salicis Arbore, fyzffa, est meta; Postea in uno Nemusculo sub Arbore Aceris, seu Juhor, est meta; Deinde iuxta pratum sub Arbore piri est ultima meta; Posthec peruenit ad priores tres metas, unde processerat et ibi terminatur. Vt igitur hec nostra donacio et constitucio, tam sepedicto Petro, quam ipsius successoribus robur obtineat perpetue stabilitatis, in Argumentum maioris firmitatis litteras nostras concessimus, dupplicis sigilli nostri Munimine Roboratas. Datum Per Manus Magistri Farkasij prepositi Albensis Aule nostre Vice Cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo sexto, quinto Idus Januarij, Regni autem nostri Anno Vicesimo septimo.

E transunto Judicis Curiae, vide ad a. 1297. 20. Aug. — Ed. Cod. Strig. II. 70., Wenzel l. c. VII. 418.



## 566.

1256. 30. Mart. — Alexander PP. IV. ad preces nobilis viri Dionysii patroni ecclesiae s. Elisabeth, per ipsum in Villa P o l o s a n, Strigon. diocesis, fundatae, et Episcopi Praenestini, cuius idem Dionysius nepos erat, eandem Ecclesiam a iure Archidiaconi loci eximit. — Datum Laterani III. kal. Apr., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 235., Wenzel l. c. II. 273.

## 567.

1256. a. 14. Oct. — Bela IV. terram Némethi hospitibus de Zabrád confert.

(B)ela, dei gracia, Vngarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus xpi. fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in omnium saluatore. Vt ea, que per excellenciam regiam suis subditis conferuntur, perpetuo robore solidentur, litterarum solent testimonio communiri, ne processu temporum in irritum aliquatenus reuocentur. Proinde ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod nos ad supplicationem hospitum nostrorum de Zabrád, qui cum hospitibus nostris de Dyuche nobis seruire tenentur, cum terra nimium indigerent, eisdem terram, Nemet y nomine, quam a Bolizlao, filio Mortunus et fratribus suis Mikus Stephano, Bena, Tywan, Guruzk et Wom receperamus pro concambio, perpetuo duximus conferendam, sub eisdem antiquis metis et terminis, quibus idem Bolizlaus et fratres sui prenotati antea ipsam dinoscuntur possedisse. In cuius terre possessionem corporalem ipsos per fidelem nostrum Detricum, Comitem de Scepus et de Zolum, fecimus introduci. Ad cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes litteras dedimus, Dupplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus dilecti et fidelis nostri, magistri Smaragdi, Albensis Electi, aule nostre Vicecancellarij. Anno domini Millesimo, Ducentesimo Quinquagesimo Sexto. Regni autem nostri anno Vicesimo primo.

Sigillum e rubro et caeruleo serico pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 18. Fasc. 1. Nro. 11. — Memorat Fejér l. c. IV. II. pag. 413. — Ed. Cod. Strig. II. 76.

## 568.

1256. 18. Oct. — Communitas Sibenicensis oratores suos, Romam destinatos, Stephano Vanchai Episcopo Praenestino commendat. Datum in festo s. Lucae Evang.

Katona Hist. Crit. VI. 242., Fejér Cod. dipl. IV. II. 396., tomo autem VII. IV. 110. ad a. 1254. ponit.

## 569.

1256. 8. Nov. — Conventus de Zobor Abbatem et Conventum de Gron contra iurium suorum usurpatores protestationem interposuisse testatur.

Nos Conuentus Monasterij Beati Ipoliti martiris de Zoborio, Memorie commendamus per presentes, Quod venientes nostram In presenciam frater Jacobus Ordinis nostri Monachus, Vice et nominibus religiosi viri domini fratris Georgij abbatis et Conuentus Monasterij s. Benedicti de Grana, vti procurator eorundem legitimus, nobis per modum protestacionis dixit, Quomodo quamplures Ecclesiastici viri et Nobiles, necnon alij seculares homines post grauem plagam et seuissimum insultum gentis Tartarorum, in hoc Regno Hungarie proh dolor tempore non dudum elapso habitis, Nonnulla Jura ipsius Monasterij s. Benedictj, videlicet possessiones, villas, predia, Terras, decimas, Item piscinas, saltim Juxta Thyzyam sitas, necnon Tributa et porciones tributorum tam in terris, quam in aquis in isto Regno Hungarie in diuersis Comitatibus et districtibus existentes et habita, Item in parte Transsiluana Tributum salium circa Aranyas habitum, et alia quamplura Jura, que litteralia munimenta ipsius Monasterij continent, a pijssimis Regibus, ac ab alijs xpi. fidelibus ipsi Monasterio pro eorum salute collata et legatas, indebite sibi ipsis occupassent et vsurpassent, ac contra Jura ipsius Monasterij potencialiter detinere intenderent, Non aduertentes anime eorum salutem. Vnde habita ipsa protestacione, ipse frater Jacobus vice et in personis predictorum domini abbatis et Conuentus cunctos et singulos tam Ecclesiasticos viros et Nobiles, quam alios seculares homines, cuiuscunque conditionis existant, ab occupacione premissorum Jurium prefati Monasterij s. Ben. de Grana, videlicet tam in possessionibus, quam in villis, predijs, Terris, decimis, piscinis, necnon Tributis et porcionibus Tributorum, tam hic in Regno, quam in parte Transsiluana Vbicunque habitis, et quouis nomine nunccupatis, sibi ipsisque Vsurpacione et contra Jura ipsius Monasterij potenciali conseruacione prohibuit et super hoc litteras nostras in testimonium dari postulauit, quas et nos dare curauimus communem Justiciam seruando. Datum feria quarta proxima post festum Omnium sanctorum. Anno gracie M<sup>mo</sup> CC<sup>mo</sup> quinquagesimo sexto.

E transunto Conventus de Sagh a. 1509. Ex Arch. Aerarii Reg. Hung. Acta Eccl. Fasc. 25. Nro. 38. — Fejér Cod. dipl. IV. II. 405.

## 570.

1256. 18. Nov. — Bela IV. Comiti Sigfrido terram Örs, ac partem terrarum Queztev et Wért, necnon tributum de Udvard confert.

BELA dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodo-

merie, Cumanieque Rex, Vniuersis, presentes litteras inspecturis, salutem in eo, qui est salus omnium. Cum in multitudine plebis Regum gloria et regni potentia attendatur, dignum est et consentaneum rationi, vt principes terras, iurisdictioni eorum subiectas, populare studeant et eos, quos adduxerint, munificencia R(egia) gratuitis prosequi donatiuis. Proinde ad universorum tenore presencium uolumus noticiam peruenire, quod cum comes Sebritus de (Medlek — — hostium re)diisset, videntes ipsum ad nostra et Regni nostri negocia admodum esse utilem et acceptum, eidem terram ville vrs, castri Camariensis, et aliam terram, similiter vrs nominatam, cum una vinea, a fratribus Sancti Lazari iusto precio comparatam, Item quandam partem terre Queztev, ad castrum de Bana et Zulgueur pertinentem, necnon et unam partem terre Werth, que ad memoratum castrum Bana pertinebat, de plenitudine nostre gracie duximus conferendam, in sua et heredum suorum potestate perpetuo duraturam. Hoc adiecto, quod nobis irrequisitis uendendi non habeat potestatem. Preterea ut commodius et honestius nobis possit deservire, eidem tributum de Vduord, quod ad nos immediate dinoscitur pertinere, perpetuo duximus conferendum. Super quo eciam sibi priuilegium dedimus speciale. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes litteras dedimus, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Smaragdi, Albensis ecclesie prepositi, Aule nostre Vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo sexto, XIII<sup>o</sup>. kalendas Decembris, Regni Autem nostri Anno vicesimo Secundo.

Fragm. sigilli e flavo et caeruleo serico dependet. Orig. lacerum in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. Fasc. 4. Nro. 67. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 367.

### 571.

1256. 16. Dec. — Bela IV. iura et priuilegia Ecclesiae Strigon., a sanctis Regibus concessa, confirmat.

Bela dei gracie Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanieque Rex, Omnibus xpi. fidelibus, ad quos presens scriptum peruenit, salutem in omnium saluatore. Etsi petitiones iustas singulorum ex officio celsitudinis regie tenemur admittere, maxime tamen eorum debemus precibus inclinari, per quos precipue Corone nostre insignia extolluntur; proinde ad universorum, tam presencium, quam posterorum noticiam harum serie uolumus peruenire, quod accedens ad nostram presenciam venerabilis in xpo. pater B. eadem gracia Archiepiscopus sancte matris ecclesie Strigon., propo-



suit nobis querulose, quod cum eadem ecclesia Strigon. a prima sui fundacione multis libertatibus, beneficijs diuersis, pluribusque priuilegijs exempcionis super omnes ecclesias katedrales tocius Regni Hungarie, **velut omnium ecclesiarum primas**, sit decora, a sede eciam apostolica et a sanctis Regibus, nostris progenitoribus gloriosis, donis mirabiliter fulcita, specialiter super eo, quod nullus Iudicum Curie nostre, palatinorum, baronum et Comituum (sic) quorumlibet Comitatum Ciues, nobiles exercitantes, condicionarios, Hospites, rusticos, villanos, Inquilinos, eidem ecclesie Strigon. subiectos, possit, vel valeat iudicare, nec descensus facere uiolentos super ipsos, vel collectam exigere nomine Regio aliqualem; similiter in decimis percipiendis regalium prouentuum ex parte Sicularum et olacorum, in pecudibus, pecoribus et animalibus quibuslibet, exceptis terragijs Saxonum, sed ex parte olacorum eciam ubique et a quocunque proueniencium, in regno Hungarie persolui consuetorum, necnon super decimis exigendis de urbaris (sic), regi persolutis et exactis in quibuslibet argenti fodinis et aurifodinis. Item de lucro Camere, quod dicari in Regno Hungarie est constitutum, saluo eo, quod de qualibet marca in Camera, ubi denari (sic) cudentur, vnum pondus argenti fini sibi persolui deberet nomine sue ecclesie et quod ferramenta cudencia et sculpta non alias seruari deberent, nisi sub hominis ipsius custodia, ad hoc per eum deputati. Nunc autem quidam Iudices Regni nostri et collectores censuum nostrorum, ac exactores vrbararum, necnon Comites Camerarum nostrarum sibi et ecclesie sue fraudem facere conarentur, occupando, Iurisdictionem prorogando,olucionem quandoque diminuendo; super quibus omnibus a nobis iusticiam sibi fieri postulauit et sanctam Strigon. ecclesiam in suis Iuribus et libertatibus indemnem et illesam conseruari, ac omnia premissa et singula munimine dupplicis sigilli nostri in formam priuilegij consignari, ne in posterum, per quemcumque posterorum, seu successorum nostrorum eiusdem ecclesie libertas valeat aliquualiter inpugnari. Nos igitur deum pre oculis habendo, salutem anime nostre et progenitorum nostrorum consequi volentes, consideratis eciam iustis petitionibus prefati domini B. archiepiscopi Strigon., fidelis nostri, pro eadem ecclesia sancta, matre nostra, a qua nos sumus et nostri progenitores fuerunt coronati, uncti et regium honorem consecuti et adepti, que eciam nobis et nostris successoribus, corde humiliatis, transgressis diuinis mandatis, absolucionis beneficium et remissionem peccatorum, vice dei, impertitur, ac infideles nostros et sancte Corone per censuram ecclesiasticam arcet et compellit ad nobis et sancte Corone obediendum, Cui nedum sua Jura illesa debemus conseruare, ab antiquo a sanctis regibus, nostris progenitoribus, condonata et optenta pacifice usque modo et possessa, ac a sancta sede Romana confirmata; Verum eciam a nostra regia benignitate, ipsius

*ecclesie Strigon. excellencia considerata, ampliora condonare, cui quidem ecclesie gratuita pietate sumus alligati; omnia premissa uniuersaliter et singillatim, tam super libertatibus, quam eciam super exactione decimarum de omnibus superius annotatis, habito tractatu et deliberacione matura cum omnibus prelatiis, Baronibus et Comitibus nostris, de consensu eorundem et ex certa sciencia edocti, perpetuo ualitura confirmacione roboramus; imponentes omnibus nostratibus, quod in premissis libertatibus uidelicet et decimacionibus, tam animalium, quem vrbararum et lucro Camere, nec non ponderibus exigendis et custodia ferramenti Camerarum nostrarum non presumant in aliquo ipsam sanctam matrem nostram, ecclesiam Strigon., aut suos officiales molestare, uel eciam defraudare. Si qui autem molestare seu defraudare presumpserit, pena debita eos puniemus, ne mercede eternali, quam speramus optinere, propter offensam ipsorum carere ualeamus. In cuius rei testimonium, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus dilecti nostri et fidelis magistri Smaragdi, albensis ecclesie prepositi, aule nostre vicecancellarij. Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. VI<sup>o</sup>. XVII<sup>mo</sup> kalendas Januarij. Regni autem nostri anno XX<sup>mo</sup>II.*

E transumpto Caroli Regis a. 1332. In Arch. Prim. sec. Capsa A. Fasc. 1. Nr. 4. et 5. Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 384.

### 572.

1256. 16. Dec. — Bela IV. recognoscit, Archiepiscopo Strigoniensi decimam e Camera de Pucruch competere.

Nos B. dei gracia Rex Hungarie et Dux Stirie, tenore presencium omnibus uolumus fieri manifestum, quod Magister Benedictus, canonicus Zagrabiensis et Archidiaconus de Gercha, in Camera de Pucruch non resedit ut homo Episcopi Zagrabiensis, sed tanquam homo bani Stephani, per ipsum banum ad hoc specialiter deputatus; ne uero ex eo, quod dictus Magister Benedictus in dicta camera permansit, Strigon. ecclesie et venerabili patri B. archiepiscopo eiusdem preiudicium aliquod generetur, vel Zagrabiensis Episcopus in dicta camera ius aliquod in posterum sibi ualeat uendicare; eidem venerabili patri B. archiepiscopo Strigon. presentes dedimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus dilecti et fidelis nostri, Magistri Smaragdi, Albensis ecclesie prepositi, Aule nostre vicecancellarij. Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. sexto. X<sup>o</sup>VII<sup>o</sup> Kalendas Januarij. Regni autem nostri Anno vicesimo secundo.

Sigillum e rubro serico pendebat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. B. Fasc. 11. Nro. 113. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 371.

## 573.

1256. 16. Dec. — Bela IV. agnoscit ius Archiepiscopi Strigon. quoad decimam Camerae de Ultra Drava.

Nos B. dei gracia Rex Hungarie et dux Stirie, tenore presencium omnibus fieri volumus manifestum, quod Magister Benedictus canonicus Zagrabiensis et archidiaconus de Gercha, in camera de ultra Drawa non resedit ut homo Episcopi Zagrabiensi, quamvis idem Episcopus unacum bano Stephano uice nostra procurauerit cameram ultra Drawam, sed tamquam homo bani Stephani, per ipsum banum ad hoc specialiter deputatus, quod et idem Episcopus coram nobis presencialiter recognouit; ne uero ex eo, quod dictus Magister Benedictus in dicta camera permansit, Strigon. ecclesie et venerabili patri B. archiepiscopo eiusdem, ad quem et eius ecclesiam supradicte camere decimacio, sicut et aliarum, in quacumque prouincia camera constituatur, vel moneta cudatur, pertinet et pertinuit, et quam decimacionem ipsius archiepiscopi et ecclesie Strigon. homo in camera prefata de ultra Drawa residens, plene et pacifice ipsorum nomine percepit semper et percipit, preiudicium aliquod generetur, vel Zagrabiensis Episcopus, aut quiuvis alius in dicta camera ultra Drawam ius aliquod in posterum sibi ualeat uendicare; eidem venerabili patri B. archiepiscopo Strigon., ac eius ecclesie, presentes dedimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus dilecti et fidelis nostri Magistri Smaragdi, praepositi albensis, Aule nostre Vicecancellarij. Anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> L<sup>o</sup>. VI. X<sup>o</sup>VII<sup>o</sup> Kalendas Januarij. Regni autem nostri Anno vicesimo secundo.

Fragm. sigilli e membrana pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. B. Fasc. 11. Nro. 112. — Katona Hist. Crit. VI. 249., Fejér l. c. IV. II. pag. 370. et 393.

## 574.

1256. 17. Dec. — Bela IV. incolas Strigonienses, quibus Nro. 485. facultatem domos in arce Strigon. aedificandi dederat, ob enatas discordias revocat, eisque antiquum locum pro aedibus ponendis assignat. Palatium autem regium et totum antiqui Castri circuitum Archiepiscopo perpetuo donat.

(B)ELA DEI GRACIA, HUNGARIE, DALMACIE, CHOROUACIE, RAME, SERUIE, GALLICIE, LODOMERIE, CUMANIEQUE REX. Omnibus xpi. fidelibus, presencium noticiam habituris, salutem in domino sempiternam. Diuine caritatis ignita connexio illos sibi precipue nectit intimius, quos do-



no misericordie et iuste miseracionis affluentia in elemosinarum largicione, ecclesiarum dotacione et ipsarum deffensione cernit prompiciores. Quis enim in isto flebili et fluctuanti mundo existens, hoc non attendit, quod omnis princeps per mortis euentum nudus de sua gloria exhibit, nichil secum portans, nisi bona opera, si qua fecit, et mala, que ipsum secuntur connexiue, in examine diuini Iudicij bene ex bonis et male ex malis mercedem repensando. Inde est, quod si quis ecclesiam, deo dedicatam, ubi filius suus pro humani generis redempcione immolatur, omnibus (?) insistendo, donacionibus decorando, pulcritudine pacis confouendo, reueretur et deffendit, non immerito in eterna domo dei et gloria celesti iocundus una cum dei filio poterit gloriari. Proinde ad uniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, Quod nos consideratis periclitacionibus et confusionibus, quas fuimus perpessi per insultus Tartarorum, combustionibus, cedibus et uastacionibus populorum nostrorum, in Regno nostro commorantium usque modo; in locis fortibus et inexpugnabilibus incepimus post nostram reuersionem, municiones et forticia (sic) constuere pro deffensione populi et certitudine nostri status, ex feruore eciam charitatis feruenter operari, ut ab insultibus inimicorum, tam Tartarorum, quam Scismaticorum protelato tempore deffendamus et pacis tranquillitate perfruamur, nos et nostrorum successorum in persona. Vnde cum nos predictis inuasionibus consideratis, una cum venerabili in xpo. patre domino Stephano, archiepiscopo Strigon. quandam fecissemus commutationem, si commutacio dici potest, quod pallacium, in fine curie archiepiscopalis constructum, uersus meridiem super lapidem antiquatum et discoopertum, perpetuo eidem archiepiscopo et per eum archiepiscopatu Strigon. traderemus, quemadmodum Andreas Rex, felicitis memorie, pater noster karissimus, absolute ad nostrum scitum, ob dei amorem, propter uitandam discordiam, eidem archiepiscopatu inantea tradiderat in perpetuum; et idem archiepiscopus propter huiusmodi concambium, imo ad nostram instanciam, nostris Ciuibus de Strigonio, qui remanserant de inuasionem Tartarorum, et qui de terra latina ex post facto superuenerant, Castrum suum magnum in parte, cum Cappella archiepiscopali, in honore beati Stephani prothomartiris constructa, uersus septemtrionem, saluis tamen turribus, a sanctuario incipiens, usque ad Palacium predictum, et saluo Cimiterio, in ambitu ex omni parte Monasterij, archiepiscopo et Capitulo remanentibus. Sed cum quibusdam temporibus paucis elabentibus, quidam Ciues de Strigonio Pallacia in castro magno in monte kathedrali incepissent construere, ubi sperabatur mater pacis confoueri, ibi nouerca pacis et discordia incepit dominari. Ita uidelicet, quod ubi diuine laudis resonabat melodia, ibi per ciues nostros clangor gladiatorum et ensium strepitus resonabat in inmensum, dicentibus inter se: Tu mihi das breuiorem sessum edificandi et tibi eligis ampliorem, nec uolumus commorari cum clericis in artis locis

et contiguis morituri.<sup>1)</sup> Propter quod una cum nostris Baronibus considerantes, quod predicta commutacio nec erat fructuosa, neque utilis pro regia fundacione, propter breuem ambitum et loci paruitatem; quod idem archiepiscopus suburbium uersus Danubium et portum transitus, scilicet Danubij, in toto possidendum sibi retinuerat, et nos eciam in nostris prioribus litteris priuilegialibus fundandi ciuitatem et forum ibi in portu Danubij fieri in perpetuum concessimus. Quibus uisis et consideratis, uolentes deum habere pre oculis, predictam commutationem reuocamus, cassamus et nullius firmitatis de cetero pronunciamus, et predictum pallacium, quemadmodum predictus pater noster karissimus archiepiscopo et archiepiscopatu Strigon. tradidit, ita et nos beato Adalberto, pro nomine domini nostri ihu. xpi., et suo archiepiscopo perpetuo condonamus, cum omni plenitudine sui Juris et tota antiqui Castri circuncione; Ita, ut nullo unquam tempore predictum pallacium, aut magni Castri medietatem nostri successores nomine Regie proprietatis, uel commutationis repetere ualeant et in prophanos usus amplius reuocare, quod deo et suis seruatoribus est ipsum pallacium Regium cum suis pertinencijs condonatum. Ciuibus autem nostris dedimus auctoritatem fundandi ciuitatem in loco suo antiquo et consueto, propter discordie eliminacionem cum Strigon. ecclesia et burgam euitandam. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam presentes concessimus, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus dilecti nostri et fidelis magistri Smaragdi prepositi albensis. Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. L. sexto. Decimo sexto kalendas Januarij. Regni autem nostri anno vigesimo secundo.

Fragm. sigilli e caeruleo serico pendet. Orig. uncialibus litteris exaratum, in Arch. Prim. Sec. Lad. J. Fasc. 1. Nro. 4. — Edidit Fejér I. c. IV. II. pag. 374. et extr. 413. — Ad topographiam veteris arcis Strigon. magni momenti.

## 575.

1256. — Nobiles de Kural terram trium aratorum vendunt.

|            |                                                                                 |          |
|------------|---------------------------------------------------------------------------------|----------|
|            | Item Nobiles de Kural, videlicet romanus, Sylvester, Akus, In anno domini 1256. |          |
| Venditores | Marcellus, Kural et Anni vsque modo 175.                                        | Emptores |
| res        | Thomas, frater eiusdem                                                          |          |

Wrko, filio Baas, terram trium aratorum pro octo marcis argenti, decime combustionis. Mete autem ipsius terre continentur in littera prepositi et Capituli Strigon.

E regesto membran. a. 1431. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. K. Fasc. 5. Nro. 52. Ed. Cod. Strig. I. 45.

1) Rectius: mortuis, alludendo ad vicinitatem coemeterii.

## 576.

1257. 5. Mart. — Alexander PP. IV. Benedicto Archiepiscopo Strigon. iniungit, ut monasterium monialium, a Bela IV. Rege in insula Leporum constructum, ac Ecclesiae Romanae immediate subiectum, a sua et successorum suorum iurisdictione eximat.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri . . Archiepiscopo Strigon. Salutem et apostolicam benedictionem. Inducit nos claritas meritorum Carissimi in xpo. filij nostri . . Illustris Regis Vngarie, quod sedem apostolicam in hijs inueniat graciosam, que pia sue mentis desideria adimpleant paterne exaudicionis effectum. Sane idem Rex celestibus allectus premijs, que potissime proueniunt ex operibus pietatis, quoddam Monasterium Monialium in proprio fundo intra Insulam Leporum, tue diocesis, sicut accepimus, fecit studiose construi et unam de filialibus suis collocans in eodem, illud de bonis proprijs iam ita dotauit et adhuc dotare proponit, quod persone ibidem diuinis laudibus insistentes, possint ex dotibus huiusmodi perpetuis temporibus comode sustentari. Quia uero in affectu ipsius Regis feruenter haberi dicitur, ut dictum Monasterium in ius et proprietatem ecclesie Romane perpetuo admittatur; nos tam laudabile tanti Regis propositum non solum arbitantes attollendum fore apostolici dono fauoris, sed per te et alios, nobis in partem sollicitudinis deputatos, totis mentis affectibus promouendum, ut eiusdem Regis imitatione uirtutis orbis terrarum Principes reddantur in timore domini uirtuosi; fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus predictum Monasterium ab omni iurisdictione tua et successorum tuorum pro apostolice sedis et nostra reuerencia eximas, ipsumque plena et perpetua munias libertate; iure patronatus dicto Regi ac ipsius heredibus reservato. Preces uero et mandatum nostrum in hac parte sic adimpleat tua sinceritas, quod et dicti Regis affectio circa te ac Strigon. ecclesiam propter hoc augeri ualeat, et nos tibi gratiosi fauoris premia compensemus. Datum Laterani III. Nonas Martij, Pontificatus nostri Anno Tercio.

Orig. bulla munitum, in Arch. Aerarii Reg. Hung. Acta Mon. Bud. Fasc. 68. Nro. 1.

## 577.

1257. 17. Jun. — Alexander PP. IV. Benedicto Archiepiscopo Strigon. dandi in Ecclesia sua Cathedrali indulgentiam unius anni omnibus vere penitentibus et confessis in solemnitate s. Adalberti, ac festiuitatibus nativitatis et resurrectionis domini, facultatem concedit. Datum Viterbii XV. kal. Jul., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 235., Wenzel l. c. II. 286.



## 578.

1257. 18. Jun. — Alexander PP. IV. Benedicto Archiepiscopo Strigon. omnibus uere penitentibus et confessis, qui ad missas suas, ubicumque eas solemniter celebraverit, causa devotionis accesserint, largiendi 40 dierum indulgentiam, obtenta prius dioecesani loci indulgentia, facultatem concedit. Datum Viterbii XIV. kal. Jul., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 235., Wenzel l. c. II. 286.

## 579.

1257. 7. Jul. — Alexander PP. IV. Benedicto Archiepiscopo Strigon. obtentu precum Nicolai Camerarii papalis, indulget ad quinquennium, ut per litteras in forma commissionis vel executionis seu conservationis, super quibuscumque rebus ab apostolica sede obtentas vel obtinendas, quae de hoc indultu expressam non facerent mentionem, coram Episcopo Zagrabiensi, cum ipsum habeat certa ratione suspectum, conveniri non valeat, nec respondere teneatur invitus. Datum Viterbii Non. Jul., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 236., Wenzel l. c. II. 287. — Episcopus hic Zagrabiensis, Philippus, Benedicti huius successor evasit.

## 580.

1257. 27. Jul. — Magister Paulus Praepositus Posoniensis, „cum ex speciali mandato domini Bele quarti Regis iura Castri de Karkou, que per quosdam dicebantur indebite fuisse occupata, renocare deberet;“ recognoscit 60 iugera terrae esse hereditaria nobilium Detrici et Nicolai. — Sexto Kal. m. Aug.

Wenzel l. c. II. 296.

## 581.

1257. 24. Sept. — Hippolytus terram suam Szodó, Benedicto Archiepiscopo Strigon. coram Capitulo Strigon. vendit.

A

B

C

Philippus Prepositus et Capitulum Strigon. ecclesie, omnibus, presentes

litteras inspecturis, Salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod Ipolitus, filius Petri, in nostra presencia constitutus, terram suam totam, Zoudou nomine, metis vndique circumdatam, quam uiri inspectores, ad hoc, ut dicitur, destinati, Sex aratrorum esse dixerunt, confessus est se vendidisse venerabili patri et domino nostro, Benedicto Archiepiscopo Strigon., pro viginti marcis argenti, sibi coram nobis per certos nuncios eiusdem domini nostri, nomine ipsius plenarie persolutis. Vt igitur huius vendicionis et empicionis, coram nobis legitime et sollempniter, sine contradicione aliqua celebrate, series imposterum nequeat in dubium reuocari, ad instanciam et petitionem parcium presentes concessimus litteras, Sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Septimo, per manus magistri Sixti Lectoris Strigon. Octauo Kalendas Octobris.

Sigillum e rubro serico pendeat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. Fasc. 1. Nro. 6. -- Fejér Cod. dipl. IV. II. pag. 441., pag. autem 285. erronee a. 1254. assignat.

## 582.

1257. — Capitulum Vesprimiense Rad, filium Emerici, Gregorio Sacerdoti, quondam Vice Archidiacono Strigon. „quandam particulam terrae suae, nomine Buchmala, in territorio villae Tord, iuxta terram ipsius Gregorii sacerdotis a parte orientali existentem, — — pro duabis marcis argenti ponderati“ vendidisse testatur.

Fejér Cod. dipl. IV. II. 442.

## 583.

1257. — Capitulum Budense Alexandrum et cognatos terras suas in Muzsla ac versus Béla existentes, Benedicto Archiepiscopo Strigon. vendidisse testatur.

Vniuersis, presens scriptum inspecturis, Budense Capitulum salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam presencium, ac posteriorum volumus peruenire, quod Alexander, Ambrosius, Bene, Jacob et Zup, omnes de Musla, de comitatu Strigon. vltra Danubium, ad nostram presenciam personaliter et pariter accesserunt, et prefati Alexander, Ambrosius proposuerunt et dixerunt, quod de terra Musla, ipsos contingente, uendidissent venerabili patri, domino Benedicto, Archiepiscopo Strigon., aule Regis cancellario, ui-

cino suo, terram ad decem et octo aratra cum omnibus vtilitatibus suis, sicut ad ipsos pertinebat, pro triginta sex marcis argenti boni, albi et fini, quam prius Bechem bano vendere intendebant, certis metis undique distinctam et assignatam eodem modo, quo predicto bano assignarant, et confessi sunt, se totum precium plenarie recepisse; cui vendicioni et empcioni prenominati cognati ipsorum fauorabiliter consenserunt, dicentes, hoc de ipsorum libera et bona voluntate processisse et factum esse. Insuper prefati Bene, Jacob et Zup dixerunt, se eidem domino Archiepiscopo vendidisse de sua portione de prefata terra Musla, terram quinque aratrorum, pro decem Marcis argenti boni, regalium denariorum in pondere, et confessi sunt, precium integraliter recepisse, quam prius Vtod comiti vendiderant, sed ipso Vtod comite alijs vendere intendente, ad se redemerunt, precio illi restituto; asserentes, eodem modo et sub eisdem condicionibus dicto domino Archiepiscopo vendidisse, quo modo prefato Vtod comiti vendiderant; eo salvo, quod adiecerunt quandam particulam terre versus Bela, cum vineis, que particula protenditur usque ad metas ville domine Regine, que Bela appellatur; Ita, quod equaliter procedat cum terra, a supradictis Alexandro et Ambrosio comparata. Promiserunt eciam omnes supradicti, prefatum dominum Archiepiscopum contra omnes homines in supradictis terris, sibi venditis, defendere et expedire; dixerunt eciam omnes supradicti, quod prefatus dominus Archiepiscopus haberet partem in Danubio usque ad medietatem Danubij, et piscaturam vsonum et aliorum piscium, secundum quod sue terre in ipsum Danubium contingebant; et huic similiter vendicioni omnes supradicti benigne et beniuole consenserunt. In cuius rei testimonium presentes dedimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. septimo. Aaron Cantore, Thoma tercio Custode, Matheo Decano, Jurk sacerdote, Hysce et Nycolao Magistris, ceterisque canonicis existentibus.

A

B

C

Sigillum e roseo serico pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 49, Fasc. 1. Nro. 5. — Edidit Fejér l. c. IV. II. pag. 434.

## 584.

1257. — Andreas, filius Nicolai Hadnagy, terram Hakara Archiepiscopo Strigon. vendit coram Cruciferis Strigon.

A

B

C

D

Magister Jacobus <sup>1)</sup> domus hospitalis Sancti Regis de Strigonio et eiusdem

1) Rectius: Jacobus magister.



loci Capitulum, vniuersis, quibus presentes littere patuerint, salutem in domino. Ad universorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod Andrea, filio Hodnog Nicolay Neugradiensis, ab una parte, et Luca comite, procuratore venerabilis patris domini archiepiscopi Strigon., aule regis Cancellarij, ab altera, coram nobis personaliter constitutis; dictus Andreas est confessus, quod terram suam quandam, nomine Hakara, iuxta fluvium Lulkus, ad se solum pertinentem, sub certa meta terre Archiepiscopatus Strigon. adiacentem, uidelicet vodkerth uocate, predicto domino Archiepiscopo pro duabus marcis et fertone vendidisse iure perpetuo possidendam et ipsam summam pecunie se habere plenarie est confessus; obligando se ad hoc, quod si per quempiam ipse dominus Archiepiscopus super ipsa terra impeteretur et molestaretur, ipse defendere in omnibus et penitus expedire teneretur proprijs laboribus et expensis. Vt autem hec empcio et nendicio robur perpetue firmitatis obtineat, presentes litteras, per alphabetum diuisas, et sigilli nostri munimine roboratas, ad petitionem parcium duximus indulgendas. Anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. Septimo.

Sigillum e flavo et rubro serico pendebat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. F. Fasc. 8. Nro. 151. — Edidit Fejér l. c. III. II. pag. 115., qui inter reliquos errores Datum diplomat. ad a. 1227. ponit; deceptus probabilius forma litterae L., quam in superiori parte iusto longius reflexam, pro numero arabico 2. habuit.

---

585.

Ca. 1257. — „Frater Jacobus miseratione Diuina Magister Hospitalis Domus Sancti Stephani Regis de Strigonio et Conuentus eiusdem“ venditionem cuiusdam terrae per Mete, filium Elus, de uilla Mortund, de parrochia Huntiensi, factam attestantur.

Wenzel l. c. VII. 541. — Annus in fine diplomatis sic exponitur: A. D. M. CC. XL<sup>o</sup>. Scriptorem hic aberrasse, inde patet, quia Tartarorum in textu mentio occurrit. Wenzel diploma hoc a. 1260. exaratum putat; sed cum Jacobus Magister Domus ultra a. 1257. non compareat (Vide Nrum. 584.), a. autem 1259. Magistratum Domus iam Laurentius gesserit (Vide Nrum. 603.); diploma hoc post a. 1257. expediri non potuit.

---

## 586.

1257. — Filii Ladislai de Kural pro dote et quarta puellari terram in Divék assignant.

|  |                                                                                                                                                        |                                                      |                    |                                                                                                                                                                                                       |
|--|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------|--------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
|  | Item Thomas, filius<br>ladislai et Kural,<br>frater eiusdem de<br>Kural, pro dote<br>et quarta vxoris<br>Chepanij dede-<br>runt et assignaue-<br>runt. | In anno domi-<br>ni 1257. Anni<br>vsque modo<br>174. | Accepta-<br>tores. | . . . et phylippo<br>fratri suo de uilla<br>dyuegh terram<br>duorum aratorum<br>cum medio. Mete<br>autem ipsius terre<br>assignate continen-<br>tur in littera pre-<br>positi et Capituli<br>Strigon. |
|--|--------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|------------------------------------------------------|--------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

E registro membran. a. 1431. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. K. Fasc. 5. Nro. 52. — Ed. Cod. Strig. I. 45.

## 587.

1258. 27. Jan. — Benedictus Archiepiscopus Strigon. quandam partem terrae Szebeléb, a Rubino et Joanne Civibus Strigon. indebite occupatam, Capitulo Strigon. readiudicat.

Benedictus, diuina miseracione archiepiscopus Strigoniensis, aule regie Cancellarius, Vniuersis xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, Salutem in vero salutarj. Ad uniuersitatis vestra noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum ecclesie nostre Capitulum Rubinum et Johannem filios Petri Collicaponis, ciues Strigonienses, ad nostram presenciam fecissent in iudicium euocari, contra ipsos fecerunt proponi, quod cum predicti Rubinus et Johannes haberent quandam terram in comitatu Huntensi, nomine Domonig, contiguam et confinem terre de Scebehleb, que est Capituli antedicti, ipsi antiquos fines egressi, quandam partem de dicta terra de Scebehleb clam, auctoritate propria, contra iusticiam occupant. Quare petebant eosdem Rubinum et Johannem a prefata terra ipsorum, taliter occupata, per nos auctoritate iudiciaria remoueri. Cumque prefati Rubinus et Johannes litem contestando respondissent, narrata non esse uera et petita fieri non debere; Tandem iidem R. et J. uoluerunt et consenserunt spontanea uoluntate, quod Philippus prepositus ecclesie nostre et vnus canonicus Strigoniensis unacum homine nostro, ad hoc specialiter deputato, ad terram, que occupata dicebatur, accederent et eam, presente parte aduersa, fide inspicerent oculata et si in prefata terra consti-

tuti, deprehenderent illam non esse de terra Rubini et Johannis predictorum, sed potius occupatam, quemadmodum est premissum; idem homo noster, recepto iuramento ab ipso preposito et Socio suo, super eo, quod prefata terra, quam occupatam dicebant, sit de iure Capituli antedicti, eam Strigoniensi ecclesie restitueret, iustas metas ibidem presentibus partibus erigendo; Alioquin ipsam relinqueret dictis Rubino et Johanni, ab eis pacifice possidendam. Nos ergo secundum uoluntatem et beneplacitum predictorum Rubini et Johannis clericum nostrum fide dignum, magistrum videlicet Benedictum, ad inspiciendum terram ipsam duximus cum partibus destinandum; Qui ad nos rediens, presentibus partibus dixit, quod predicti prepositus et socius suus, scilicet Petrus presbiter, canonicus Strigoniensis, presente parte altera, super prefatam terram constitutj, eam diligencius inspexissent et tandem iurassent, illam esse de terra ville de Scebehele, ad Strigoniensem ecclesiam pertinente, prout superius est pretactum. Vnde idem clericus noster metas in eadem terra, que, prout inspectores conicere potuerunt, circa quantitatem centum et decem iugerum protendebatur, presentibus partibus erigens, eam auctoritate nostra ecclesie restituit antedictae. Mete autem erecte hoc ordine distinguuntur: Prima meta incipit a septemtrione iuxta uiam in loco, ubi sunt due mete antique; Deinde vergit superius ad montem ad duas metas in planicie, quarum una est ecclesie, sub arbore Quercus, altera Rubini et Johannis; Abhinc directe uadit ad duas metas, in Berch positas et inde similiter uadit ad alias duas metas prope uiam sub arbore Quercus, ibique transit uiam ad antiquam metam, terra et lapidibus cumulatam, et uadit in Berch versus meridiem ad duas metas terreas, in planicie positas; Inde directe uadit iterum ad duas metas, quarum vna est ecclesie, altera Rubini et Johannis sub arbore Quercus; Abhinc in Berch eundo, peruenitur ad duas metas, quarum vna est ecclesie antiqua et alia nova Rubini et Johannis; Deinde per medium vallis transuolat ad alium montem, vbi sunt due mete, et inde vadit iterum ad alias duas metas, in planicie positas; Abhinc descendit in magnam vallem ad duas metas terreas; Deinde ascendit iterum ad montem lapidosum, ubi sunt due mete terree; Inde ad arborem Tvlf a, sub qua est meta in monte excelso; Abhinc descendit in magnam vallem similiter ad duas metas; Dein vergit superius ad magnum montem lapidosum, ubi sunt due mete, et inde in Berch eundo, peruenitur ad antiquam metam ecclesie, iuxta quam est alia meta noua; Abhinc similiter ad duas metas, quarum una est ecclesie, altera Rubini sub arbore Tulf a; Dein per eundem Berch eundo, peruenitur ad duas metas antiquas, quarum vna est ecclesie, altera Rubinj sub arbore Quercus et tertia posita est ex parte terre ville Pyr, ibique terra Rubinj terminatur et incipit terra ecclesie tenere metas cum dicta villa Pyr



ex parte meridionali. Vt ergo huius facti series perpetuo perseueret, nec umquam per quempiam possit in irritum reuocari; nos predictis Rubino et Johanne non refragantibus, sed hec omnia ita esse affirmantibus, quemadmodum est premis-  
sum, presentes tradidimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Strigonij anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>L<sup>o</sup> octauo. Sexto kalendas februarij.

Fragm. sigilli e zona membr. dependet. Orig. litteris minutis exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 15. Fasc. 2. Nro. 10. — Extr. Fejér I. c. IV. II. 484. — Ed. Cod. Strig. II. 73.

## 588.

1258. 28. Jan. — Alexander PP. IV. fidelibus, Ecclesiam Strigon. festo s. Adalberti visitantibus, indulgentias concedit.

Alexander episcopus, seruus seruorum dei, Venerabili fratri . . Archiepiscopo et dilectis filiis Capitulo Strigon., Salutem et apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere uenit, ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter seruiatur, de habundantia pietatis sue, que merita supplicum excedit et uota, bene seruiantibus multo maiora retribuat, quam ualeant promereri; nichilominus tamen desiderantes domino reddere populum acceptabilem, fideles xpi. ad complacendum et quasi quibusdam illectiuis muneribus, indulgentijs scilicet et remissionibus inuitamus, ut exinde reddantur diuine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia uestra, que in honore sancti Adalberti dicitur esse constructa, congruis honoribus frequentetur; omnibus uere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam in die festiuitatis sancti predicti uenerabiliter uisitauerint, annuatim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, unum annum de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum Viterbij V. Kalendas Februarij, Pontificatus nostri Anno Quarto.

Bulla plumb. e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. Fasc. 1. Nro. 9. — Ed. Fejér IV. II. 436.

## 589.

1258. 29. Jan. — Alexander PP. IV. Ecclesiam s. Adalberti Strigon. in die coenae Domini visitantibus indulgentias largitur.

Alexander episcopus, seruus seruorum dei, Venerabili fratri . . Archiepiscopo Strigon. Salutem et apostolicam benedictionem. Quia solet deuotio fide-

lium ad sui creatoris obsequium remissionum et indulgentiarum muneribus excitari; digne prouenit ex Romanij Pontificis prouidencia, ut fratribus et coepiscopis suis concedendi certas indulgentias, uisitantibus certis diebus ecclesias ob sanctorum reuerenciam, in quorum sunt honore constructe, gratiose tribuat facultatem. Cum igitur, sicut nobis significare curasti, ad ecclesiam Strigon., in honore sancti Adalberti constructam, in die Cene dominj fidelium multitudo deuotionis causa, quam ad sanctum habent eundem, conueniat et Laboret; Nos uolentes, ut ijdem fideles ex deuotione huiusmodi ac Labore salutaria dona reportent, tuis precibus inclinati, ut omnibus uere penitentibus et confessis, qui ecclesiam ipsam uenerabiliter uisitauerint dicta die, possis unius anni et Quadraginta dierum indulgentiam elargiri, liberam tibi auctoritate presencium concedimus facultatem. Datum Viterbij IIII. kalendas Februarij, Pontificatus nostrj Anno Quarto.

Bulla plumb. e rubro et flavo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. Fasc. 1. Nro. 10. — Ed. Fejér l. c. IV. II. pag. 437.

## 590.

1258. 28. Febr. — Philippus Praepositus et Capitulum Strigon. super cessione medietatis villae Parassa litteras per manus Magistri Sixti Lectoris Strigon. edit. Datum II. kal. Mart.

Fejér Cod. dipl. IV. II. 477.

## 591.

1258. 24. Mart. — Cel terram suam Izsép impignoratam redimere non valens, eandem Capitulo Strigon. cedit, coram Capitulo Quinqueecclesiensi.

C.

B.

A.

Yurko prepositus Quinqueecclesiensis, totumque eiusdem loci Capitulum, Omnibus, presens scriptum cernentibus, Salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam presenti conscripcione volumus deuenire, quod cum Cel, quondam filius Cel, quandam ipsius terram, Isep nominatam, Ecclesie Strigoniensi pro vigintj quatuor marcis argenti pignori obligatam, in die passce (24. Mart.) coram nobis redimere debuisset et non redemerit; ipsam itaque terram dictus Cel, receptis viginti sex marcis de argento a Ecclesia Strigon., eidem ecclesie reliquit sine recuperacione qualibet perpetuo possidendam. Nos igitur ad instanciam supradicti Cel litteras

presentes, nostri appositione sigilli roboratas, conscribi dignum duximus, reygeste memoriam perpetuam continentes. Anno gracie M<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>L<sup>o</sup> octauo, Mense Marcio. Tristano Cantore, Andrea custode, Wencezlao decano, Ceterisque quampluribus ibidem existentibus. Datum per manus magistri Petri lectoris Quinqueecclesiensis.

A tergo: „Super Isep possessione, que in concambium Nana data est.“ Sigil. e viridi et caeruleo serico pendeat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 31. Fasc. 1. Nro. 8. — Ed. Cod. Strig. II. 76.

---

592.

1258. 11. Jun. — Alexander PP. IV. Lanfrancum de Cocco canonicum Curiensem, Scriptorem suum, quia quandam summam argenti fratribus Tiburtio et Portio ordinis Praedicatorum, nuntiis Archiepiscopi Strigon. apud sedem apostolicam constitutis, furtive subtrahi procuravit, officio scriptorio et omnibus beneficiis privari curat. — Datum Viterbii V. Id. Jul., P. a. 4.

Theiner Mon. Hung. I. 237., Wenzel l. c. II. 303.

---

593.

1258. a. 14. Oct. — Bela IV. Rex Magistro Sixto Lectori Strigon. licentiam bona sua patrimonialia nepotibus suis relinquendi concedit.

Bela dei gracia Hungariae, Dalmacie, Coroacie (sic), Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, vniuersis xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. Ad universorum, tam presencium, quam futurorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum magister Sixtus, Lector Strigon., dilectus fidelis noster, neminem, prout asseruit, haberet de consanguinitate sua, qui sibi in bonis suis patrimonialibus secundum Regni consuetudinem ex testamento uel ab intestato succedere debuisset; nos ad supplicationem ipsius eidem diximus annuendum, ut terram, quam in villa Hetyn iure hereditario se habere proposuit, nepotibus suis, ex sorore dumtaxat, laicis, filijs uidelicet Laurencij, filij Arnoldi, de uilla Sceuleus, in comitatu Camaruniensi, siue inter uiuos donandi, seu in testamento relinquendi, liberam de nostra permissione et licencia habeat potestatem, quin ymmo uolumus et concedimus auctoritate presencium de gracia speciali, ut prefati filij Laurencij ipsi magistro ab intestato eciam in prefata terra succedere ualeant ut heredes et eam quasi iure necessario pacifice perpetuo possidere. In cuius rei memori-



am et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini Millesimo C<sup>o</sup>C Quinquagesimo octauo, Regni autem nostri anno vicesimo tercio.

Fragm. sigilli e flavo et rubro serico pendet. Originale litteris minusculis exaratum in Arch. Prim. eccl. vet. Nro. 14. — Ed. Cod. Strig. I. 46.

## 594.

1258. 10. Dec. — Capitulum Strigon. de testamentaria uxoris Philippi Comitis Piliensis dispositione testatur.

A

B

C

Philippus prepositus et Capitulum Strigon. ecclesie, Omnibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presentium volumus peruenire, Quod cum ad petitionem nobilis viri Philippi, Comitis de Pyllys, vnum ex nobis, scilicet Abraham, prepositum sancti Georgij, in Wissagrad misissemus ad audiendum ea, que nobilis domina uxor sua, filia Petri Comitis, filij Zubuslay, egritudine laborans, disponere et ordinare volebat. Idem prepositus retulit nobis, quod predicta domina licet graui infirmitate detineretur, compos tamen adhuc mentis sue, inter alias ordinationes suas porcionem suam, quam habebat communem cum sorore sua, uxore scilicet Jaco Comitis, ex donacione paterna in tribus villis, ad predium Myhal prope Weker pertinentibus, quarum nomina sunt hec: Wynna, Zalchka et Tyrnoa, reliquisset et donasset predictae sororis sue filijs, videlicet Andree et Jako in perpetuum possidendam, quam donacionem post mortem dicte domine, eiusdem mater, scilicet uxor Petri comitis, coram nobis personaliter constituta, ratam habuit et nostris litteris priuilegialibus pecijt confirmari. Item adiecit, quod medietatem Juris patronatus, quam ex successione paterna se habere dixit in monasterio de Kaua, eiusdem sororis sue filijs contulisset libere et pacifice possidendam. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno domini Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Octauo, quarto ydus decembris, per manus magistri Sixti Lectoris Strigon.

Fragm. sigilli e viridi serico dependet. Orig. in Archivo Comitum Sztáray in Sztára. Sexus masc. Nr. 7. Communicavit Carolus Szabó.

## 595.

1258. — Benedictus miseratione divina sanctae Strigon. Ecclesiae Archiepiscopus, Aulae Regiae Cancellarius, controversiam inter Abbatem Varadiensem et cives de novo Pech in Varadino, quam Rex ei terminandam commisit, medio compromissi decedit.

Kereszturi Descriptio Episc. Varad. 126., Fejér Cod. dipl. IV. II. 491. — Bela IV. a. 1259. confirmavit. Ib. 490.

## 596.

1258. — Magistratus Tirnaviensis Ortolfum concivem suum, terram quandam Capitulo Strigon. vendidisse testatur.

Nos C., villicus de Tyrna, ac cives eiusdem, uniuersis xpi. fidelibus, ad quos littere presentes peruenerint, salutem in domino. Nouerint vniuersi, quod constituti in nostra presencia Ortolfus, filius emberhalti, conciuis noster, ex vna parte, Vitka sacerdote et magistro Haimone canonicis strigoniensibus, nomine Capituli eiusdem ecclesie, ex altera, idem Ortolfus proposuit coram nobis, quod quandam terram Orrei sui, emptam a Haincz vngaro, conciuie nostro, extra fossatum existentem, inter terras Chonc, quondam villici de villa Megeret, et Helye vngari, ex parte noue plantacionis, vendidisset predictis V. et H., nomine capituli ad vsum Orrei pro decimis, prouenientibus ex eadem villa, pro dimidia marca et vncia fini argenti, perpetuo possidendam, et de precio confessus est, sibi plenarie satisfactum; terra autem ipsius Orrei in latitudine triginta vlnas duabus minus, in longitudine triginta quinque vlnarum continet quantitatem; assumpsit eciam idem Ortolfus coram nobis ipsos V. sacerdotem et magistrum H., sev ipsum Capitulum defendere, sev indempnes conseruare contra quemlibet, siquid racione sepe dicte terre imposterum emergerit questionis. Nos igitur ad petitionem vtrarumque parcium nostras concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>. L.VIII<sup>o</sup>.

A tergo: „Super terra de tyrna extra urbem.“ — Sig. e corrigia pendebat. Orig. negliger scriptum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 43. Fasc. 1. Nro. 3. — Ed. Cod. Strig. II. 77.

## 597.

1259. 26. Maii. — Alexander PP. IV. Archiepiscopo Strigoni. sub poena excommunicationis demandat, ut Belam regem, nisi promissas a patre suo hospitali Jerosolymitano annuas mille marcas argenti solverit, ad comparendum per procuratorem idoneum coram sacra sede provocet. — Datum VII. kal. Jun., P. a. 5.

Theiner Mon. Hung. I. 237., Katona Hist. Crit. VI. 285., Fejér Cod. dipl. IV. II. 504.

## 598.

1259. 8. Jun. — Magister Paulus Praepositus Posoniensis aulae Regiae Vice Cancellarius.

Wenzel l. c. VII. 504., Fejér Cod. dipl. IV. II. 496., V. I. 324. — Occurrit in aliis quoque, 17. Jun. datis litteris. (Wenzel ib. 505.) Memoratur etiam a. 1260. (Wenzel l. c. II. 322., et Wagner Anal. Scepus. I. 391.) Katona tamen (Hist. Crit. VI. 319.) et Fejér (Cod. dipl. IV. III. 21.) illum Albensem erronee putant; dignitatem enim hanc anno primum 1262. est assecutus, quo in diplomate Belae Regis Electus Albensis memoratur, (Wenzel III. 17.) si tamen idem hic utrobique Paulus intelligendus veniat.

## 599.

1259. 15. Jun. — „Phyllippus Prepositus et Capitulum Ecclesie Strigoni.“ super venditione terrae in Sarow litteras „per manus Magistri Syxti Lectoris Ecclesie nostre in festo bb. Viti et Modesti Mart.“ expedit.

Wenzel l. c. VII. 513.

## 600.

1259. 24. Oct. — Alexander PP. IV. Archiepiscopo Strigon. indulgentias certis festis diebus elargiendi facultatem concedit.

Alexander episcopus, servus servorum dei, Venerabili fratri . . Archiepiscopi Strigon. Salutem et apostolicam benedictionem. Pro uite perennis gloria fidelium est excitanda deuotio ad obsequia redemptoris; propter quod petentibus, per que et salus eis provenit animarum et ecclesiarum honoratior status



redditur, pronis affectibus nos donamus. Cupientes igitur, ut ecclesia Strigon., que in honorem sancti Adalberti fundata existit, deuota frequentia populi honoretur, ac uolentes, ut eam in corde contrito et humilitatis spiritu frequentantes, ab ea munera salutaria referant, te donante; concedendi annuatim indulgentiam anni unius, omnibus uere penitentibus et confessis, qui ad ecclesiam ipsam in Natiuitatis, Resurrectionis et Ascensionis dominice, Pentecostes et sancti predicti festis, ac in die Cene domini, necnon in quatuor festiuitatibus beate Marie Virginis cura deuotione accesserint, liberam tibi, tuis inclinati precibus, auctoritate presencium concedimus facultatem. Datum Anagnie VIII. Kalendas Nouembris, Pontificatus nostrj Anno Quinto.

A tergo: „Baldinus.“ — Sig. plumb. e zona cannabea pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. Fasc. 1. Nro. 11. — Ed. Fejér ad a. 1258. l. c. IV. II. 448.

---

601.

1259. 9. Dec. — Alexander PP. IV. Magistro et fratribus hospitalis sancti Stephani Regis Strigoniensis, ordinis s. Augustini, quia hospitalitatis obseruantiam, quae, ut asseritur, in hospitali ipsorum circa cunctos continuo exercetur, facultates ipsius nequeant tolerare, Tusculani et Praenestini, Stephani nempe de Vancha, episcoporum supplicationibus permotus, ut de possessionibus ipsorum, hactenus acquisitis, quas propriis manibus aut sumptibus colunt, nullas teneantur decimas exhibere, indulget. — Datum Anagnie V. Id. Dec., P. a. 4.

Theiner Mon. Hung. I. 242., In Anno Pontificatus erratum est.

---

602.

1259. — Benedictus Archiepiscopus Strigon., aulae Regiae Cancellarius, donationem terrarum de villa Termog et Keleneu, per relictam Hodus Monasterio de Saag, „ubi devote Deo famulabatur et vitam finire elegit.“ factam, rati habet et confirmat. — Datum „apud villam nostram de Vadkert.“

Fejér Cod. dipl. IV. II. 517.

---

## 603.

1259. — Cruciferi Strigon. Nobiles de Muzsla terram in Ebed, a Petro, quondam Praeposito S. Georgii, Capitulo Strigon. donatam, eidem pro una et dimidia marca cessisse testantur.

Nos frater L. magister domus Hospitalis sancti Regis de Strigonio et totus Conuentus eiusdem loci, significamus omnibus, per presentes memorie commendantes, Quod cum in vigilia Sancti Regis secundum iudicium venerabilis patris B. dei gracia archiepiscopi Strigon., Abraam prepositus, Valentinus Cantor, Farcasius sacerdos Sancti Laurentij, Petrus uillicus fabrorum et Lazarus, quondam villicus, debuissent prestare sacramentum in nostra Ecclesia, contra Ambrosium, Jacobum et Zuup de Musla, super eo, quod Petrus, quondam prepositus s. Georgij, adhuc viuens, porcionem terre sue, quam habebat in terra Ebed, contulerit et donauerit pro anime sue remedio Capitulo Strigon., cum omnibus suis pertinencijs. Tandem partes aduerse pro bono pacis, in loco sacramenti, receptis vna marca argenti et dimidia ab eodem Capitulo, predictam terram, secundum quod prefatus P. prepositus ordinauerat, reliquerunt Capitulo antedicto perpetuo possidendam. Datum anno domini M<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>. Quinquagesimo nono.

A tergo: „Littere contra Nobiles de Musla super terra magistri Petri in villa Ebed.“ — Sig. e violaceo serico pendebat. Orig. valde minutis litteris conscriptum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 27. Fasc. 2. Nro. 16. — Extr. Fejér l. c. IV. II. 522. — Ed. Cod. Strig. II. 78.

## 604.

1260. 1. Maii. — Filii Nicolai de Divék terram suam Csasztó Archiepiscopo Strigon. coram Capitulo Strigon. vendunt.

A

B

C

Philippus prepositus et Capitulum Strigon. ecclesie, Vniuersis, presentes litteras inspecturis, Salutem in domino. Ad uniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod nobiles uiri Ratoldus, Boyn et Nicolaus, filij Micou de Dyuek, in nostra praesencia personaliter constituti, confessi sunt publice coram nobis, se quandam terram suam, Chaztuh uulgariter nominatam, sitam prope Monasterium sancti Benedicti de Grana, inter terras venerabilis patris et domini nostri B. dei gracia Archiepiscopi Strigon., Aule Regie Cancellarij, quam ipsi nobiles a Stephano de Endred, empicionis titulo comparauerant, predicto venerabilij patri Archiepiscopo nostro totaliter, cum omnibus suis utilitatibus et pertinencijs, pro nouem marcis argenti ponderati vendi-

disse, sibi et suis successoribus, plene et integre, quiete pacifice, pleno iure perpetuo possidendam; quam pecuniam predicti nobiles confessi sunt, fuisse sibi plenarie persolutam. Confessi sunt eciam, se de possessione predictae terre penitus exiuisse, et sic in vacuam possessionem introduxisse venerabilem patrem nostrum archiepiscopum supradictum. Adiecerunt eciam nobiles antedicti, quod ab omnibus, qui super ipsa terra eundem venerabilem patrem impeterent, ipsi eum, tanquam auctores (sic) eius, expedire tenebuntur propriis laboribus et expensis. In cuius rei testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno Domini M<sup>o</sup>cc<sup>o</sup>LX<sup>o</sup>. Kalendas May.

Sigillum e flavo et rubro serico pendebat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. D. Fasc. 1. Nro 1. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 27.

## 605.

1260. 22. Maii. — Ratoldus et Boyn, de genere Divék, coram Capitulo Nitriensi se terram Császtó Archiepiscopo Strigon. vendidisse recognoscunt.

Vniuersis xpi. fidelibus, quibus presentes patuerint, Nitriensis ecclesie capitulum oraciones in domino. Significamus vobis, quod Ratoldus et Boyn, frater ejus, filij Mykou, de genere Dyuek, pro se et Nicholao fratre ipsorum, vt dicebant, in nostra presencia protestati sunt, Totam terram eorum Chaztuh uocatam, emptam a Stephano de uilla Endred nomine et possessione testimonio priuilegij nostri, cum omnibus suis utilitatibus et pertinencijs se uendidisse domino nostro Benedicto archiepiscopo Strigoniensi, aule Regis Cancellario, pro nouem marcis argenti, iure perpetuo possidendam; asserentes, hanc pecuniam ab eodem archiepiscopo se plenarie percepisse. Retulerunt eciam de sytu eiusdem terre, scilicet, quod ipsa terra includitur ab omni parte terris eiusdem archiepiscopi, existentibus prope monasterium sancti Benedicti de Granna (sic); hoc adiecto, quod si quis umquam dictam terram ab antedicto archiepiscopo repetere uoluerit, nominati venditores tenebuntur eandem modis omnibus expedire, cedente ipsa terra in ius irreuocabile archiepiscopi supradicti. In cuius rei testimonium litteras presentes sigilli nostri munimine concessimus roboratas. Anno Gracie M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LX<sup>o</sup>. Datum vndecimo kal. Junij, lectore ecclesie nostre magistro Demetrio existente.

A

B

C

Sig. e rubro et flavo serico pendebat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. D. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. I. 47.



## 606.

1260. a. 14. Oct. — Bela IV. Filiis Wacik pro terra Hernoch, ab eisdem ablata, terras Kelenam et Trebogost confert.

Bela de gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus, tam presentibus, quam futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Consuevit excellencia regia, ut si aliquid a suis fidelibus recipit, eisdem postmodum respondeat in consimili, uel maiori. Proinde ad uniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod cum hereditariam terram Marcelli, Bater, Supk et Hrabur, filiorum Wacik, cognatorum comitis Dubuk, Hernoch nuncupatam, ab ipsis auferendo, dilecto et fideli nostro Matheo, quondam magistro Tawarnicorum nostrorum, comiti Posuniensi, contulissemus, et eisdem terram, nomine Strogar, que wduornicorum nostrorum fuerat, dedissemus, eandem postmodum, cum wduornici nostri multiplicati, seu reducti fuissent, ab eisdem Marcello, Supk, Batur et Hrabur recipiendo, restituendam duxissemus wduornicis antedictis; ne tamen ijdem Marcellus, Supk, Bater et Hrabur uim seu molestiam ab excellencia regia paterentur, de qua omnibus gracia consuevit prestolari, quandam terram, Kelenam nuncupatam, cuius quidem medietas, a parte terre Jacou de Fedemus, ad Castrum Huntense pertinebat, ubi circa eandem terram Castri nostri, iobagiones Castri nostri, scilicet magister Micael, filius wtisk, Petrus filius Bedeech, Kaach, Sebastianus, Luka filius Leustachij, ac alij generationes eorumdem, quandam particulam terre seu porcionem habuerunt, quam quidem particulam terre ab eisdem iobagionibus Castri nostri empcionis titulo, uidelicet nouem Marcis, ipsis Marcello, Supk, Batur et Hrabur comparauimus, cuius quidem summe pecunie dimidietatem, de Nostra Camara persoluimus, residuam vero partem per eosdem Marcellum et Supk ac fratres eorumdem ex integro persolui fecimus; et aliam medietatem circa terram eorumdem iobagionum Castri nostri, a Bors et Budou de Morus et a tota generatione eorumdem habueramus pro concambio, et insuper quandam particulam terre, Trebogost nominate, similiter Castro Huntensi, duorum aratrorum subiectam, certis metis a terris aliorum distinctam, in commutationem terre ipsorum, ipsis Marcello, Supk, Batur et Hrabur et per ipsos ipsorum heredibus, heredumque successoribus perpetuo duximus conferendas, quas quidem terras ipsis per fidelem nostrum Jacou de Fedemus, nomine commetaneitatis, presente testimonio Capituli Strigoniensis, ac presentibus vniuersis commetaneis et vicinis earumdem, fecimus assignari. Quarum eciam mete, prout ipsum Capitulum Strigon. nobis in litteris Suis seriatim intimauit, hoc ordine distinguuntur: Prima meta terre Kelenam incipit a parte orientali in capite riuuli Holumna, et ibi sunt sub arbore, que dicitur Tulfam, est (sic) meta terrea, inde per eundem riuulum descendit ad locum, ubi finitur riuulus nominatus, et ibi sub duabus arboribus, que Tulfam no-

minatur, sunt due mete terree et ibi tenet metam cum Erney et Gregorio; inde juxta terram Zelchan inter duos stagnos descendit ad riuulum, qui currit per Zelchen; hinc ascendit ad partem occidentalem ad Berch, ubi est meta lapidea, et ibi tenet metam cum Jacou de Fedemus; inde tendit ad septemtrionem superius ad Berch, ubi sub una arbore, que tulgfa nominatur, sunt due mete terre; hinc descendit ad bik, et ibi est meta terrea; inde transit ad uallem, et uadit ad Sceleushyg, et ibi tenet metam cum Jacou nominato de Fedemus; hinc descendit ad tiliam, sub qua est fons, et ibi sunt due mete terree; inde per Scornapotaca uadit superius per metas plurimas usque pratum, quod Crazeov nominatur, cuius pars est Jacou de Fedemus; inde ascendit super montem, ubi sunt due mete terree; et ibi tenet metam cum Chol et Nicolao, filio Mog; inde uadit ad priorem metam et sic terminatur. Item meta terre Trebogost incipit a parte orientali de Zeppotok, et uadit ad arborem, que dicitur Tulfa, sub qua est meta terrea et ibi tenet metam cum Cholomia; hinc ascendit ad Berch ad metam terream; inde descendit ad plagam meridionalem, transit per uallem et uadit ad metam terream, inde uadit ad occidentem ad Berch et ibi sub quercu est meta terrea et ibi separantur mete de Cholomia et Inam; inde a parte Inam super Berch uadit usque metam terream; hinc descendit ad uallem, ubi est meta terrea; inde progreditur usque portam Farcasij, ubi est meta terrea; inde descendit in Zeppotok et tenendo metam cum comite Cosma, uadit ad priorem metam et sic terminatur. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem, presentes dedimus litteras, duplicis Sigilli nostri munimine communitas. Datum per manus dilecti et fidelis nostri, magistri Pauli, prepositi Posoniensis, aule nostre vicecancellarij. Anno domini Millesimo Ducentesimo Sexagesimo, Regni autem nostri anno Vicesimo quinto.

Fragm. sigilli e viridi, flavo et caeruleo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 17. Fasc. 1. Nr. 1. — Ed. Cod. Strig. II. 79. — Metas terrae Trebogost e litteris Nicolai de Gara Palatini a. 1418. ed. Wenzel l. c. VII. 522.

### 607.

1261. 30. Apr. — Capitulum Quinqueecclesiense terram Izsép, per Capitulum Strigon. pretio comparatam, iubente Rege metis distinguit.

Nos Jurko, prepositus Quinqueecclesiensis, eiusdemque loci Capitulum, Damas pro memoria, quod nos ad mandatum domini Regis et ad instanciam Andree sacerdotis, procuratoris ecclesie Strigoniensis et ad petitionem S. abbatissae de Guech, hominis domini Regis in hac parte, prout in litteris domini Regis, nobis et eidem abbati transmissis, uidimus contineri, hominem nostrum concessimus fide dignum, Qui rediens ad nos una cum dicto abbate, retulit nobis, quod terra Ceel, filij Ceel, nomine Isep, quam idem Ceel dicte eccle-

sie Strigon. pro uiginti sex marcis statuit coram nobis, ab eadem perpetuo possidendam, super qua nostrum concessimus priuilegium, et quod mete eiusdem non continebantur in eodem, ad . . . metas eiusdem duximus introscribendas, ipso eodem Ceel presente et alijs commetaneis eiusdem terre ibidem existentibus eadem terra hijs metis esset limitata: Prima meta incipit a terra Mathei, filij Chaba, ex parte meridionali, ubi sunt quatuor mete, quarum una est iuxta uiam ad sinistram partem, meta Mathei cum arbore, ad dextram meta fratrum sine arbore, iuxta quam sunt due mete antedicti Ceel, in quibus continentur arbores, scilicet tulg; inde directe uadit uersus occidentem per uiam ad terram, nomine Pynna, ubi continentur tres mete angulares et ibidem per compitam uiam primo loco una meta distinguit ad partem Ceel sine arbore, due mete distinguunt ad partem Mathei, pro terra Mark sine arbore, pro terra Pynna, in qua est arbor; iuxta eandem uiam uersus occidentem secundo loco est noua meta ex parte Pynna, ex parte Ceel ad dextrum, in qua est arbor; tercio loco sunt due mete, una sine arbore ex parte Mathei, ex parte Ceel cum arbore; quarto loco sunt due mete, quarum una Mathei noua cum arbore, meta Ceel uetus similiter cum arbore; Quinto loco sunt due mete, quarum una noua Mathei, altera uetus Ceel, in quibus sunt arbores; Sexto loco sunt due mete, noua Mathei, uetus Ceel, sine arboribus, quas uia distingit a predictis; per eandem uiam primo loco sunt due mete, quarum una distingit a Johanne filio Guug sine arbore, meta Ceel cum arbore ad dextram; secundo loco sunt due mete ad sinistram, meta Johannis sine arbore, meta Ceel cum arbore; tercio loco sunt due mete sine arboribus; Quarto loco sunt due mete, in una est pirus, alia iuxta eandem sine arbore; Quinto loco sunt due mete, una Johannis in orto, alia Ceel extra ortum; inde descendit ad fluuium Dolonch et transit aquam usque spacium sex passuum; inde directe uadit per semitam iustam, iuxta quam ad dextram sunt salices et ad sinistram est salix; inde per eandem intrat Danubium et uadit in altum et transit danubium in loco, qui dicitur almaguirenda, ibidem sunt quinque arbores, que stant pro meta; Inde descendit ad locum, qui uocatur Nizdulafuka, inde descendit ad Sarus, ibidem intrat danubium. Hee sunt mete ultra danubium, que distinguunt a filiis Balar. Datum in uigilia apostolorum Philippi et Jacobi.

E Nro. 613., unde etiam annus dati diplomatis elucet.

#### 608.

1261. 2. Julii. — Procuratores Archiepiscopi et Ecclesiae Strigon., ac Colnucearii de Letkés litem circa terram Hurti coram Cruciferis Strigon. componunt, et terram eandem inter se diuidunt.

Frater Laurencius Magister et totus Conuentus Domus Hospitalis Sancti



Regis de Strigonio, vniuersis, presentes litteras inspecturis, salutem et omne bonum. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod constitutis coram nobis Ivan comite, procuratore venerabilis Patris domini B. dei gracia archiepiscopi Strigon., et Papa Custode et Stephano magistris, Canonicis et procuratoribus ecclesie Strigon., ex una parte; Jacobo villico, Draga, Crachino, Thoma, Albeo et alijs, tam pro se, quam pro alijs Colnucearijs de villa Lethkes, ex altera, dixerunt, quod cum super terra Hurt inter predictum venerabilem Patrem B. archiepiscopum et Capitulum ecclesie Strigon. et ipsos Colnucearios fuisset orta quam pluries dissensionis et materia questionis; tandem istis temporibus, Glorioso domino nostro B., Illustri Rege Vngarie, sicut in suis litteris uidimus contineri, talis inter partes sententia fuit lata, quod super quantacumque parte terre Hurty magister A. Prepositus Sancti Georgij et Paulus archidiaconus Kamariensis pro iure Capituli, et dictus Ivan Comes pro iure dicti domini archiepiscopi, in ecclesia nostra coram nobis in octaua Pentecostes prestare presumerent iuramentum, illa pars terre cedit in ius domini archiepiscopi et sui Capituli memorati. Hoc adiecto, quod si ante prestacionem iuramenti inter Colnucearios et populos domini archiepiscopi ac Capituli, mediantibus probis uiris et Pristaldo, uidelicet magistro Aba, a domino Rege ad hoc deputato, aliqua composicio uel ordinacio interuenire poterit, firma et stabilis permaneret. Adueniente igitur die iuramenti, partibus ad nostram presenciam accedentibus, et petentibus unum ex nobis, in cuius presenciam dicte terre perambulacio deberet fieri et ordinacio pretaxata, nos socium nostrum, fratrem scilicet Bartholomeum, misimus cum eisdem, qui reuersus una cum homine domini Regis, prefato scilicet magistro Aba, et utrisque partibus personaliter comparentibus et consencientibus, retulerunt ordinacionis seu composicionis seriem in hunc modum: quod superior pars dicte terre Hurty, circa fluuium Goron, que metis, inferius annotatis, distinguetur, cedit in ius Colnuceariorum predictorum, Inferior uero pars ab eisdem metis cedet in ius et proprietatem domini archiepiscopi et sui Capituli pretactorum. Cuius distincionis seu diuisionis meta incipit ab ipso fluuio Goron iuxta fundum molendinarij, quondam ibi residentis, prefati domini archiepiscopi, a superiori parte ipsius fluuij Goron, qui fundus in modum insule, salicibus et aquis circumfertur ex utraque parte cuiusdam alueoli, qui *er* uocatur, et ibi sunt due mete, fundo ipsi domino archiepiscopo et Capitulo remanente. Inde protenditur ad montem in directum, et ibi sunt due mete. Hinc ad decliuum eiusdem montis, et ibi sunt due mete sub uirgultis pomorum. Abinde transit uallem, que *I ver* dicitur, ad monticulum, et ibi sub arboribus pirorum sunt due mete. Exhinc intersata sunt due mete, ab illis sub arboribus ulmorum sunt due mete finales, et conterminatur cum meta terre de villa Beyta. Vt igitur huiusmodi ordinacionis seu composicionis series inuiolabilis perseueret, nec ullo umquam tempore possit ali-

quatenus retractari, ad instanciam et petitionem parcium, presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> Sexagesimo primo, Sexto Nonas Julij.

A                      B                      C                      D

Sigillum e viridi et subrubro serico pendeat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. D. Fasc. 1. Nro. 3. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 53.

### 609.

1261. 5. Oct. — Urbanus PP. IV. causam Abbatis et Conventus Montis Pannoniae contra Episcopum et Capitulum Vesprimiense super certis decimis, Episcopo Vacienti, Praeposito s. Thomae Strigoniensi, et Cantori Jauriensi decidendam committit. — Datum Viterbii III. (nonas) m. Oct., P. a. 1.

Wenzel l. c. III. 8.

### 610.

1261. — Benedictus Archiepiscopus Strigon. terram Capituli sui Jenő cedit Belae IV. Regi, pro terra Szalka, de qua Capitulo praefato annuas viginti marcas addicit.

Benedictus, diuina miseratione sancte Strigoniensis ecclesie archiepiscopus, aule Regie Cancellarius, omnibus, presentes litteras inspecturis, salutem in nero salutari. Ad uniuersorum noticiam uolumus peruenire, quod cum meliora perspexissemus ecclesie nostre imminere, ex eo, quod permutacionem cum domino nostro B., Illustri Rege Vngarie super quadam terra Capituli nostri, Ineu uocata, sita iuxta Danubium, cum libertinis ibidem existentibus faceremus; habita deliberacione unacum eodem Capitulo nostro cum consilio et consensu eorumdem, ipsam terram Ineu cum prefatis libertinis, permutauimus cum predicto domino nostro Rege pro terra Zalka, prope villam nostram, Boyta nuncupatam, pragmatica sanccone super hac promulgata, et ordinauimus de eadem villa nostra Zalka, ut dictum Capitulum nostrum uiginti marcas tam de terragio, quam de alijs percipere debeat annuatim, cum racione permutacionis ius in re habeat. Iudicium uero tam in spiritualibus, quam in temporalibus archiepiscopus, uel is, quem pro tempore constituerit, exercere possit et debeat in eadem. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Strigonij Anno domini M<sup>o</sup>.cc<sup>o</sup>. Sexagesimo Primo.

A tergo: „Jeneu, quod XX marcas percipiamus de Zalka.“ — Sig. e rubro et flauo serico textili pendet. Orig. litteris minutis scriptum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 41. Fasc. 1. Nro. 3. — Extr. Fejér Cod. dipl. IV. III. 56. — Ed. Cod. Strig. II. 82., Wenzel l. c. VIII. 12.

## 611.

S. a. — Benedictus Archiepiscopus Strigon. iussu Papae inquisitionem contra Jobum Episcopum Quinqueecclesiensem ob diversa eius crimina adornat.

E litteris Urbani IV. a. 1263. Fejér Cod. dipl. IV. III. 170.

## 612.

1261. post 2. Jul. — Benedictus Archiepiscopus Strigon. de vita decedit.

Fejér vitam Benedicti ad a. 1269. protendit <sup>1)</sup>; Czinár contra anno iam 1260. mortem oppetivisse credit, <sup>2)</sup> deceptus diplomate quodam Belae regis, in quo Philippus iam Archiepiscopus Strigon. nominatur, quodque Fejér anno 1260. exaratum ait; <sup>3)</sup> ast diploma hoc, ut Nro. 625. ostendimus, a. 1263. editum fuit. Benedictum anno 1261. decessisse inde certum est, quia initio anni sequentis iam successor eius dominatus fuit; diem tamen obitus determinare ex eo non valemus, quia nullum huius anni diploma regium, quod magistratus Regni contineret, hucdum innotuit; ceterum post 2. Jul. illum obisse, Nr. 608. testatur.

## 613.

1262. 9. Jan. — Bela IV. terram Izsép, quam Joannes, filius Gúg, liti renunciavit, Capitulo Strigon. cessit, per Capitulum Quinqueecclesiense reambulari facit.

(B)Ela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crouacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Omnibus presentes litteras inspecturis, salutem in uero salutari. Excellencia solet regia litibus, legitime terminatis, finem imponere suarum testimonio litterarum, ne processu temporum ueritati preualeat falsitas et lites de litibus oriantur. Proinde ad uniuersorum noticiam tenore presentium uolumus peruenire, quod cum Johannes, filius Guug, fideles nostros, Capitulum Strigoniense, ad nostram presenciam euocasset, terram nomine Isep repetebat ab eisdem, dicens, quod eadem ratione commetaneitatis sue competeret empioni et idem Capitulum in ipsius preiudicium comparasset; prefatum uero Capitulum illam terram se emisit iuste et legitime de Ceel, filio Ceel, uiginti sex marcis, dicto Johanne et alijs comme-

1) Cod. dipl. VII. II. 265.

2) Index Cod. Fejér 518.

3) Cod. dipl. IV. III. 11.



taneis consencientibus, coram Quinqueecclesiensi Capitulo, asserebant; super quo etiam litteras eiusdem Capituli dixerunt se habere. Quamquam igitur super premissis inter partes fuisset diucius disceptatum; tamen postmodum per formam compositionis ex permissione nostra taliter concordarunt, quod prefatus Johannes, se recognoscens, dictam terram dimisit coram nobis, per prefatum Capitulum Strigoniense perpetuo possidendam, quamlibet metam eiusdem terre, quam fecerat destrui, soluto iudicio quinque pensarum, faciens eleuari, et postmodum in termino, ad dictas metas eleuandas assignato, Petrus et Guugh, filij dicti Johannis, pro patre suo in dicta terra comparentes, ipsas metas fecerunt eleuari, prout fideles nostri, Quinqueecclesiense Capitulum, sub quorum testimonio eadem eleuari debebant, per suas nobis litteras intimarunt. Verum quod in litteris contractus mete eiusdem terre non fuerant inserte; ad petitionem Strigoniensis Capituli scripsimus Quinqueecclesiensi Capitulo et . . abbati de Guech, ut presentibus commetaneis, metas eiusdem reambulari facerent et dictum Capitulum suis insereret litteris ipsas metas, si nullus existeret contradictor. Cuius quidem Capituli littere nobis presentate sunt postmodum in hec uerba:

Sequitur Nr. 607.

Ut igitur predictam terram Isep dictum Capitulum Strigon. possit perpetuo et pacifice possidere; predictas metas presentibus inseri facientes, priuilegium nostrum concessimus, sigilli nostri duplicis munimine roboratum, anno ab incarnatione domini Millesimo Ducentesimo Sexagesimo Secundo, V. Idus Januarij, Regni autem nostri anno vicesimo Septimo.

A tergo vocibus „Super terra Isep,“ manus sec. 17. adiecit: „in Cottu. Strigon.“ Inferius autem: „Isep non est Capituli, sed pro hac portione possidemus Nanam, ante Strigonium, penes Danubium.“ — Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 31. Fasc. 1. Nro. 9. — Ed. Cod. Strig. II. 83., Wenzel l. c. III. 29.

---

## XXVIII.

## PHILIPPUS

DE GENERE CHURLA.

1262. 11. Jan. — 1272. post 18. Dec.

Philippus, de quo plures iam recordantur, et fuit sollemnis persona. Hoc Philippum nostrum elogio celebrat a. 1334. Joannes Archidiaconus de Guerche in Ecclesia Zagrabiensi. <sup>1)</sup> Pater eius Comes Joachimus, aliter Iwachinus, filius Comitis Geche, Comes erat Cibiniensis, (Schybiniensis) cui ob multa servicia Rex Andreas II. terram Zolona, in Slavonia sitam, contulit. <sup>2)</sup> Hinc concludere licet, generationem de Churla, e qua Joachimus descendit, (vide Nrum. 711.) e Slavonia originem duxisse. Non igitur confundendi sunt Comites de Churla cum Comitibus de Churle, aut Chyrle seu Csörle, qui originem e pago cognomini in insula Csallóköz sito, hodieque Csölle vocato, ducunt. <sup>3)</sup> Comes hic Joachimus, adhuc vivente Andrea II., „cum Bela Rex de eiusdem patris sui licentia donaciones suas, que perpetuitates vocabantur, reuocaret,“ iam decesserat; <sup>4)</sup> ergo intra a. 1226., quo Bela perpetuitates revocare coepit, <sup>5)</sup> et a. 1235., quo Andreas obiit. Si proinde etiam Bela rex ipsum ob praestita fidelia servitia dilaudat, (vide Nrum. 711.) haec illi tantum qua Juniori Regi impendere potuit. Joachimus hic alterum praeter Philippum nostrum filium habuit Thomam, qui ambo Belae regi, ut ipse fatetur, „continua fidelitate a puericie sue temporibus adhererunt et multimoda servicia impenderunt.“ <sup>6)</sup> Haec tamen verba, quantum ad Thomam attinent, stricte sumenda non veniunt; Nro. enim 716. Bela ipse testatur, Thomam hunc Comitem Colomanno Ducia primis pueritiae suae annis adhaesisse, ac nonnisi post eius obitum, ergo ab a. 1241., ad Belae se regis servitia contulisse.

Philippus noster cum anno 1248. canonicam pro episcopo aetatem, ut mox videbimus, nondum attigerit, anno circ. 1219. in lucem editus fuerit. In aula regia, ut e citatis Belae verbis apparet, educatus, Reginae Cancellarium

---

1) Kereselich Hist. Eccl. Zagrab. 26. 74. 87.

2) Wenzel l. c. VII. 255. 310.

3) M. Sion, III. 373.

4) Wenzel l. c. 310.

5) Vide Dissert. nostram Az egyházi javak. Magyar Sion VI. 87.

6) Wenzel l. c. VII. 255.

egit, quo munere fungens, a. 1248. a Capitulo Zagrabiensi in episcopum electus fuit. Ast Albertus Archidiaconus Zagrabiensis ab electione hac Capitulum ex eo prohibuit, quia „nonnullos de ipso Capitulo fore maioris excommunicationis sententia innodatos“ scivit. Canonici tamen „huiusmodi admonitione contempta, illicitis illecti promissionibus, non sine labe simoniace prauitatis, ipsum archidiaconum de Capitulo turpiter eiecerunt,“ ac Philippum, Reginae, ut diximus, Cancellarium, „patientem in etate defectum, per laice presumptionis abusum“ elegerunt. Quare praedictus Albertus contradictione sua ad Benedictum Archiepiscopum Colocensem, loci Metropolitanum, se convertit, sed iterum sine effectum, quia „dictus Archiepiscopus et talem electionem confirmare et eidem Philippo sic intruso consecrationis munus impendere propria voluntate presumpsit.“ Igitur totam causam personaliter Papae detulit, qui 1. Oct. episcopis Csanadiensi et Sirmiensi, ac Pilisiensi Abbati commisit, ut infra quatuor menses inquisitione adornata, causam deciderent, aut sedi apostolicae remitterent. <sup>1)</sup> Quid iudices hi effecerint, hucdum latet, vanam tamen fuisse hanc Alberti criminationem, inde patet, quod electionem pontifex adprobauerit. Quando adprobatio haec subsecuta fuerit, pariter nondum constat, cum nullae litterae papales, quae ante a. 1251. ad Philippum directae fuissent, hucdum innotuerint. In diplomatibus tamen regis anni 1248., ante 14-am et 26-a Oct. exaratis, iam episcopus Zagrabiensis vocatur. <sup>2)</sup> Male ergo Kercselich Philippum in diplomatibus ante a. 1250. non reperiri asserit. <sup>3)</sup> Errat itidem Memoria Basilicae Strigon. <sup>4)</sup>, dum Philippum hunc, eundem cum Philippo — ab a. iam 1245. (vide Nrum. 457.) non autem ab a. tantum 1255. — Praeposito Strigon., asserit, in litteris enim Papae praecitatis de hac Philippi nostri dignitate nihil commemoratur. Errat porro, dum eum ab a. nonnisi 1259. Episcopum Zagrabiensem fuisse scribit.

Philippum hunc aliqui eundem fuisse cum Phile, quem Thomas Archidiaconus Philetum dicit, Chasmensi primum, tum Zagrabiensi Praeposito, contendunt. Kercselich huic opinioni non favet quidem, sed nec relinere illam audet, cum cuivis hac de re, quod lubet, sentire permittat. <sup>5)</sup> Et revera opinio haec non prorsus infundata ex eo haberi posset, quod Phile hic Cancellarius fuerit a. 1239. Colomanni Ducis, <sup>6)</sup> quodve fratrem habuerit pariter Thomam quendam Comitem. <sup>7)</sup> His tamen non obstantibus, Philippus noster diversus

1) Theiner Mon. I. 206.

2) Wenzel l. c. VII. 255., Fejér Cod. dipl. VII. V. 275.

3) Hist. Eccl. Zagrab. 84.

4) pag. 120.

5) L. c.

6) Fejér Cod. dipl. IV. I. 169.

7) Ib. IV. II. 121.



a Phile hoc fuit, quia certum est, hunc Phile anno iam 1251. in vivis non exstitisse. <sup>1)</sup>

Philippus initio statim episcopatus sui Castrum Medved sive Medvevár, non procul Zagrabia in edito colle amoenissime situm, cuius hodie adhuc tristia supersunt rudera, ob incursiones hostiles aedificavit, quod Ladislaus IV. Rex a. 1273. his testatur: „pro certo certius constitit nobis per barones et nobiles regni nostri, quod iam dictum castrum (Medueuar) ex bonis et sumptibus ecclesiae nostrae Zagradiensis per praefatum venerabilem patrem (Philippum), tunc praelatum ipsius ecclesiae, constructum fuerit et munitum.“ <sup>2)</sup> Testatur Joannes quoque Archidiaconus supra citatus, his verbis: „Hic (Philippus) bono zelo ductus, aedificavit castrum Medve, pro conservando thesauro Ecclesiae, metu Tartarorum, quia adhuc non erat murata civitas seu Castrum Gretz (Zagrab); sed ex aedificatione male fuit provisum Ecclesiae Zagrab. et pertinentibus ad eam, sicut experientia docuit et docet“ <sup>3)</sup>. Aedificavit autem communibus cum Capitulo impensis, prout Capitulum Albense post factam eatenus inquisitionem a. 1328. his verbis adstruit: „Quod venerabilis Pater Dominus Philippus, olim Episcopus Zagradiensis et demum Archiepiscopus Strigon., castrum Medve, una cum Capitulo Zagradiensi in terra ipsorum propriis sumptibus suis et suorum construxerunt.“ <sup>4)</sup> Fuitque terminatum opus a. 1255. <sup>5)</sup>

Philippus anno iam 1248. cum Stephano Bano Slavoniae ad revocandas terras castri de Zagoria exmissus fuit. <sup>6)</sup> Et eodem anno Bela Rex in possessione terrae Zolona illum et fratrem suum Thomam confirmat. <sup>7)</sup> Bela nempe cum post mortem patris sui „omnes perpetuitates per totum regnum suum validiore manu cepisset revocare,“ eosdem „ad evitandum scandalum, quod in cordibus aliorum nobilium Regni sui oriri potuisset,“ „a possessione ad tempus duxit remouendos, eo proposito et promisso, vt uel aliam possessionem in eiusdem Comitatus districtu sub forma commutationis sibi daret, vel easdem sibi captata opportunitate redderet.“ Promissionis ergo suae non immemor, possessionem hanc, ut vidimus, a. 1248. illis restituit, additis solemnibus, quae pro dolor aetatem nostram non tulerunt, litteris, in quibus illorum servitia „per longum gloriose et laudabiliter“ declarat, quam donationem a. 1250.

1) Fejér Cod. dipl. IV. II. 121.

2) Fejér Cod. dipl. V. II. 126.

3) Kercselich Hist. Eccl. Zagrab. 87.

4) Fejér Cod. dipl. VIII. III. 334.

5) Kercselich l. c. 85.

6) Fejér l. c. VII. V. 275.

7) Wenzel l. c. VII. 255.

ad preces Philippi et fratris sui Thomae, Comitis iam de Crocou, denuo confirmat. <sup>1)</sup>

1251. Innocentius IV. ad preces Philippi, Ecclesiam Zagrabiensem in possessione montis Graecii, qui partem nunc Civitatis Zagrab. constituit, a Bela IV. pro munitione eidem Ecclesiae a. 1247. <sup>2)</sup> concessi, confirmat. <sup>3)</sup>

A. 1254. Bela rex „occasione discordie inter eum et Regem Boemie exorte“ per fratrem Velascum, quem in negotio hoc a Papa legatum missum fuisse supra vidimus, citatus, Philippum nostrum et fratrem Ecce Ordinis Minorum, Romam destinavit, qui in termino praescripto, 24. nempe Jun., coram Papa comparentes, conditiones pacis proposuerunt. Quare Papa 13. Jul. legatum suum, in Hungariam destinatum, revocat. <sup>4)</sup> Philippus occasione hac specialem Papae favorem est expertus; nam 18. Jul. illi indulget, ut intra unius anni defluxum ad nullius citationem coram sede apostolica comparere teneatur. <sup>5)</sup> Inde paulopost redux, terram Waska pro Ecclesia Zagrabiensi pretio comparat, quod Bela rex 2. Oct. ratihabet. <sup>6)</sup> E Nro. 711. discimus, Philippum multis insuper vicibus legationes pro parte Regis peregrisse, propriis passim stipendiis militando.

A. 1255. Bela rex ad preces Philippi villae s. Martini prope Waska privilegia quaedam confert, <sup>7)</sup> villamque hanc ei contra Paulum, filium Borich Bani, adiudicat. <sup>8)</sup> Eodem anno Philippus ob negatas decimas, incolas villae Petrinia excommunicat et cum eas dedissent, absolvit, sub dato „in nova villa nostra apud s. Clementem in Gorra.“ <sup>9)</sup>

A. 1258. Ecclesiam Zagrabiensem, „que in loco minus apto constructa ruinam minabatur“, in loco magis apto construere intendens, precibus eatenus se ad Papam convertit, qui 29. Maii „construendi prefatam ecclesiam in loco magis idoneo et accomodo“, liberam ei concessit facultatem. <sup>10)</sup>

A. 1259. Litem quamdam inter filios Cleti Comitis et Julam de genere Kata componit. <sup>11)</sup>

Eodem anno Capitulum Zagrab., Cucmano et filiis cuiusdam Petri, coram Philippo nostro beneficium restitutionis postulantibus, pro Casna inferiori ab

---

1) Wenzel ib. 310.

2) Fejér Cod. dipl. IV. I. 472.

3) Tkalčić Mon. Ep. Zagrab. I. 93.

4) Theiner l. c. I. 228.

5) Ib. 229.

6) Fejér Cod. dipl. IV. II. 224., Tkalčić l. c. 101.

7) Fejér ib. 294., Tkalčić l. c. 103.

8) Kercselich Hist. Eccl. Zagr. 86., Fejér Cod. dipl. IV. II. 494. ad a. 1259. ponit.

9) Kercselich ib., Tkalčić l. c. 105.

10) Theiner l. c. I. 236.

11) Fejér Cod. dipl. IV. II. 519.

avis actorum cum onere sustentationis Capitulo cessa, terram Martini assignat. <sup>1)</sup>

1260. Terram Bezenche, a quodam Gardun pro 15, tum terram Gay circa Varasdinum ab eodem Gardun et Wlcuzlov pro 50 marcis coram Capitulo Zagrab., terram autem Obrys a quodam Vitumerio, accedente Belae IV. consensu, emit. <sup>2)</sup>

Demum anno incerto in favorem Capituli Zagrab. super insula quadam privilegium edidit. <sup>3)</sup>

Mortuo Benedicto Archiepiscopo Strigon. a Capitulo Strigon. concorditer et canonice in Archiepiscopum est postulatus; Papa tamen confirmationem eius distulit, donec personaliter se praesentaverit, interim tamen a. 1262. 11. Jan. illum procuratorem Ecclesiae Strigon. constituit. (Nr. 614.) Quando confirmatio subsequuta fuerit; hucum latet, Bela 7 Mart. illum adhuc Postulatum Strigon. appellat. (vide Nr. 615.) Quidquid sit, hoc adhuc anno confirmatus fuerit, quia Stephanus Junior Rex post 8. Maii iam Archiepiscopum illum Strigonensem nominat. (Nr. 616.) Bela rex supramemoratum Castrum Medvevár tempore translationis eius „ad ecclesiam, seu archiepiscopatum Strigon. pro conservando thesauro regio ad tempus ab ecclesia Zagrab.ensi,“ consentiente certe Philippo, recepit. <sup>4)</sup>

1) Tkalcie I. c. 121.

2) Tkalcie I. c. 125, 126.

3) Ib. 224.

4) Fejér Cod. dipl. V. II. 125.





## 614.

1262. 11. Jan. — Urbanus PP. IV. Philippum Episcopum Zagrabiensem, in Archiepiscopum Strigon. postulatum, procuratorem eiusdem ecclesiae constituit, Romamque evocat.

Urbanus — — Philippo Episcopo Zagrabiensi. — — Presentatam nobis postulacionem, de te in Strigon. ecclesia, pastoris destituta solucio, celebratam, per — — Episcopum Penestrinum et — — J. Portuensem Electum et O. — — diaconum Cardinalem — — examinari fecimus diligenter. Et licet compertum fuerit, — — postulationem eandem concordem et canonicam extitisse, nosque noverimus, quod ex tuis magnificis meritis te maiora decerent et amplioribus esses honoribus attollendus; tamen iura et statutum sedis apostolice super hoc edita servari volentes, admittere distulimus postulationem ipsam ad presens, eam relinquentes, donec personaliter ad predictam sedem accesseris, in suspenso. Ceterum cum nolimus, quod eadem ecclesia patiatur ob defectum regiminis aliquod detrimentum, propter urgentem necessitatem, ac evidentem utilitatem ipsius, te in procuratorem dicte Strigon. ecclesie concedentes, curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus tibi auctoritate presencium duximus committendam, fraternitati tue per apostolica scripta mandantes, quatenus infra festum s. Jacobi apostoli, proximo futurum <sup>1)</sup>, ad presentiam nostram personaliter accedere non postponas: alioquin procurationem et administrationem huiusmodi finiri volumus eo ipso. Datum Viterbii III. Id. Jan., P. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 243., Wenzel l. c. III. 25.

## 615.

1262. 7. Mart. — Bela IV. Rex terram Megeriza, Comiti Hudine iam dudum collatam, „quamquam eadem pro eo, quod idem comes est solacio virilis sobolis destitutus, ipso sublato de medio, ad nostras manus reduci iure dominii potuisset; attendentes tamen — — precum instantiam venerabilis patris Philippi episcopi zagrabiensis, aule nostre cancellarij, in Archiepiscopum Strigon. postulati“, comiti Gregorio et fratribus eius, cognatis comitis Hudine confert. — — Datum in Byhyg feria tertia post dominicam Reminiscere. A. d. MCCLXII.

Commemorat Kercselich Hist. Episc. Zagr. 87. Ed. Tkalcic Mon. Zagr. I. 127.

1) Idest 25. Jul.

## 616.

1262. post 8. Maii. — Stephanus Junior Rex piscationem Danubii et silvas inter conditionarios populos Ecclesiae Strigon. et Praepositurae Dömösiensis e consensu partium per arbitros metis sequestrat.

Stephanus dei gracia Junior Rex Hungarie, dux Transsiluanus et dominus Cumanorum, vniuersis, quibus presentes ostenduntur, salutem in omnium saluatore. Ad universorum tam presencium, quam posterorum noticiam harum serie volumus peruenire, Quod cum disceptacio inter conditionarios ecclesie Strigon., in Gyospotokteu residentes, Custodes siluarum, et septem pisces, similiter conditionarios, in villa Helumba in tribus Curijs manentes, a parte superiori, qui contiguos usus habent cum conditionarijs de eadem Gyospotokteu in siluis et piscacionibus Danubij, ex una parte; et omnes conditionarios ecclesie Demesiensis, in predicta villa Helumba commorantes, ab altera, super siluis et piscacione Danubij questio frequens uerteretur, et pluries karissimis parentibus nostris et nobis per venerabilem patrem, dominum Phylippum Archiepiscopum Strigon., et discretum virum, dominum D. prepositum Demesiensem, Comitem Capelle nostre, pro se et suo Capitulo nomine fuisset supplicatum, quod predictas controuersias et questiones, inter se emersas, tam in piscacione danubij, quam in siluis, per bonos homines sopiri faceremus et diffiniri. Tandem nos de consensu parentum nostrorum, magistrum Karachinum de Damas, et comitem Kazmerium, et magistrum Stephanum de Beyn, de genere Hunthpaznan, magistrum Jacobum de Nostre, et comitem alexandrum, nobiles Regni nostri, et quasi commetaneos et vicinos predictarum terrarum, partibus volentibus et consencientibus, misimus sub pena Centum marcarum ad separandum piscaciones danubij et usus siluarum in montibus, per certas distinciones, metas et loca nominata, octauas sancti Georgij partibus assignando in facie contenciose terre et silue ac piscacionis comparendi. Tandem iidem ad nos demum in quindenis eiusdem festi <sup>1)</sup> reuersi, presentibus partibus, concorditer retulerunt, quod accedendo ad faciam predictarum terrarum contenciosarum et piscacionum, conuocatis omnibus antiquis et senibus vicinis, Jure Jurando perquirendo, et eciam nos, <sup>2)</sup> sicut sciuius et scire ab omnibus potuimus, quibus noticia predictarum terrarum et piscacionum habebatur, per talem distincionem primo in Piscacione danubij separauimus: quod a finibus duarum insularum contiguarum, in danubio existencium, prope Helumba et Zamardfelde, ex alia parte incipiendo, conditionarij et serui Demesiensis ecclesie usque ad suos terminos inferiores per meatum danubii liberum habebunt aggressum piscandi in danubio, quando uolent, et non supra; Conditio-

1) Seu 8. Maii.

2) Scilicet arbitros loquentes inducit.

narij autem et serui ecclesie Strigon., in predictis duobus locis residentes, a finibus duarum Insularum supra, uersus Strigonium, piscari sine contradictione poterunt, quando uolent. In terra autem et in siluis taliter separantur ab inuicem: Incipiendo primo retro finem tercie Curie in villa Helumba, per unam lineam Jugeris, quasi ceteris alciolem, vadit ad viam, per quam itur subtus montem et retro villam Helumba, et per illam viam uadit in dolnapatakateu uersus orientem, ubi eadem via transit, et ille transitus pro meta habetur, cum uno monticulo iuxta transitum, in quo est lapis, parum disco-pertus; deinde per eandem viam transeundo similiter uersus orientem, incipit ascendere in montem, Nergesberch vocatum, et in ascendendo circuit vineam archiepiscopalem, ubi reflectitur uersus septemtrionem, et vadit per eandem viam directe in dorso eiusdem montis de uno loco eleuato ad alium locum montuosum, magis eleuatum, semper per eandem viam, et inde per eandem viam, minus quam ad iacturam sagitte et plus quam ad iactum lapidis, uenit ad quendam locum, ubi predicta uia diuiditur in duas vias, inter quas sunt duo parui lapides naturales, contigui, quas siluarum Custodes Ykurku nominarunt; et inde exit de predicta via ad dexteram partem et descendit in vallem, Sarkanusfeu nominatum, et uadit descendendo iuxta meatum Sarkanus usque ad viam, iuxta ramum eiusdem Sarkanus usque ad viam, que descendit ueniendo de Leled uersus Damas; Inde sunt tres mete terrehe iuxta viam predictam et duos ramos Sarkanuspotoka; et inde directe uersus septemtrionem transit Sarkanuspotoka, et vadit et ascendit ad montem, Heurhegh nominatum, in illo loco, ubi ex alia parte ipsius montis Heurhegh, Pachawelge incipit et descendendo terminatur in portu Ipuluyze; et inde intrat in quadam parua Insula in fluuium Ipul Erche uocata; et sic mete terminantur. Quas quidem separaciones et distinciones metarum omnium, per antiquos homines, vicinos et commetaneos earumdem terrarum et piscacionum ueraciter indagando, modo premissis inuentas, partes predictae pro uero acceptarunt, et perpetuo duraturas, sub eadem pena centum marcarum, si qua ipsarum, processu temporis uoluerit in Iudicio uel extra Iudicium contraire. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam partibus uolentibus, presentes concessimus, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Actum et datum iuxta fluuium Wagh, Anno domini Millesimo, ducentesimo, sexagesimo Secundo. Venerabili in xpo. patre, domino Stephano Archiepiscopo Colochensi; Stephano bano de Zeurino; Baas Iudice Curie nostre; Benedicto magistro agasonum nostrorum; Dominico magistro pincernarum nostrorum; Farkasio Comite de Zothmar et Nicolao Comite de Zabelch, ceterisque quam pluribus, Comitatus Regni nostri tenentibus et honores.

A tergo adnotatur: Acquisitum ex Capitulo Vesprimiensi 9. Sept. 1716. Sigillum cum zona avulsum. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 70. Fasc. 1. Nro. 1.



## 617.

1262. 24. Maii. — Capitulum Nitriense quosdam Jobagiones castri Barsiensis partem terrae Tolmács Ecclesiae de Gron restituisse testatur.

A

B

C

Capitulum ecclesie Nitriensis, Omnibus xpi. fidelibus, ad quos presens scriptum venerit, salutem in uero salutari. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod andornyk filius andree et Martinus filius Puayne, de uilla korsak, Borsensis castri Jobagiones, pro se, Bors et Barleo, filiis Bothus, nec non pro Falch, filio farkasii de eadem, coram nobis personaliter constituti, quandam particulam terre de terra Tulmach, quam ab ecclesia sancti Benedicti cum litis materia proponebant alienare, considerantes tandem non ad ipsos, sed ad ecclesiam pertinere prenotatam, reliquerunt eidem cum omnibus suis utilitatibus, unam marcam argenti ratione expensarum recipientes ab eadem, perpetuo seu pacifice possidendam. Promittentes similiter expedire particulam terre pretaxatam, si per quempiam processu temporis retractaretur. In cuius rei memoriam presentes litteras concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>. II<sup>o</sup>. Quarta feria post diem ascensionis domini. magistro Demetrio ecclesie nostre lectore existente.

Sigillum e rubro serico dependebat. Orig. in Arch. Aerarii Regii Acta Eccl. Fasc. 24. Nro. 52. — Fejér Cod. dipl. IV. III. 97. — Wenzel l. c. VII. 129. erronee ad a. 1242. ponit.

## 618.

1262. 28. Oct. — Bela IV. immunitates Ecclesiae Strigon. enumerat et confirmat, praesentesque litteras suas pro originali Privilegio deputat.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus, quibus presentes patuerint, salutem in omnium saluatore. Omnis fidei catholice cultor, qui xpm. pro humani generis redemptione passum, in exaltatione sue ecclesie, quam sanguine proprio fundauit et stabiliuit, pro recompensatione transitorij receperit in heredem, mercedem recipiet eternam in patria sempiterna. Proinde ad uniuersorum, tam presencium, quam futurorum, harum serie noticiam uolumus peruenire, Quod licet enim sancta Strigoniensis ecclesia, a sanctis nostris Regibus, progenitoribus, plurimis libertatibus, exemptionibus, dominijs et possessionarijs donationibus, ac munificencijs amplissimis, a prima sui fundacione incipiens, sit perpetuo decorata et priuilegiata, ac per sanctam sedem apostolicam confirmata

et usque modo in eisdem libertatibus, dominijs, exempcionibus, decimacionibus, vrburarum auri et argenti, ac camerarum monetas cudencium, ac pecudum et pecorum, proueniencium ab Olachis et siculis, cum proprietate et possessione earundem, sit usa et freta sine diminucione; quia tamen in dispersis priuilegijs et pluribus litteris Regalibus plurimorum Regum, nostrorum predecessorum, sanctorum progenitorum, omnes libertates, exempciones, donaciones et (deci)maciones superius expresse, in toto et in qualibet sui parte inserte et scripte continebantur et quia grauissimum erat et laboriosum, ymo periculosum tot deferre priuilegia in uiarum discrimine et quia quedam uetustate, quedam aquarum madidacione ex eisdem corrumpebantur et (uidebantur breuiter an)nullari, ratione equitatis quasdam libertates et donaciones de eisdem litteris priuilegialibus, (sanct)e Strigon. ecclesie perpetuo factas et concessas, ad venerabilis patris, domini Philippi, archiepiscopi Strigon., instantem petitionem et iustam supplicationem, de consilio domine Marie, consortis nostre kari(ssime regine) et baronum nostrorum, in nostrum Priuilegium, tamquam in originale, inseri fecimus et transcribi, ut si predicta Priuilegia uetustate consumantur, uel aliquo contingente casu perdantur, super predictis o(mnibus) nostrum Priuilegium pro totali originali habeatur. Ne id, quod semel deo dedicatum est, ad prophanos usus reuocetur. Quarum quidem libertatum prima hec est:

quod nullus Iudicum Curie nostre, uel Palatinorum Regni nostri, seu quicunque Comites, uel Iudices, quocumque nomine nominentur, populos ecclesie Strigoniensis, condicionarios et nobiles suos uniuersos, iudicare ualeat uel presumat; sed eiusdem ecclesie Strigon. Iudices, uidelicet Palatinus suus, uel Iudex Curie sue, aut terrestris comes, per archiepiscopum deputati, in omnibus causis et causarum articulis Iudicabunt.

Item decimam partem de vrburis, prouenientibus Regie maiestati, percipiet archiepiscopus Strigon., qui fuerit pro tempore, per totum Regnum Hung.

Item similiter decimam partem percipiet idem archiepiscopus ante omnia de fructibus Camerarum, pro quantacumque pecunia poterunt locari; exceptis ponderibus, qui officialibus archiepiscopi pro ferramenti custodia sunt deputata.

Item similiter de pecudibus et pecoribus, exhigendis ab olachis et siculis, idem archiepiscopus percipiet decimam partem.

Item quod nobiles Regni nostri ipsiecclesie Strigon. possessiones suas, uiuentes et morientes, sine requisicione Regie maiestatis ulteriori, donare et legare possunt, sine preiudicio tamen possessionum suorum proximorum, et se subicere ad seruiendum more nobilium exercituancium aliorum; saluo eo, quod vduornici et Tawernici,<sup>1)</sup> ac ceteri seruilis condicionis homines, Regie et Reginali maiestati subiacentes et ad certa seruicia deputati, hoc facere non possunt, nisi super eo per

1) In transumto Caroli regis de a. 1332. exmissum.

successores Reges Requisicio et Priuilegialis concessio specialis de nouo habeatur.

Item quod ubicumque in possessione ipsius ecclesie Strigon. et infra suas metas metallum auri et argenti, uel quidquam<sup>1)</sup> aliud inueniatur, ipsi ecclesie dinoscitur pertinere in tota vrbura percipienda.

Item super possessiones eiusdem ecclesie nullam collectam, nullum censum, Regio phisco applicandum, possunt dicare et exigere, uel lucrum Camere, quod super populos omnium Regnicolarum quandoque dicare et exigere consueuerunt.<sup>2)</sup>

Item si nobiles ecclesie Strigon. in f(urto) uel spolio, casu contingente, per Palatinum Regni, uel Iudicem Curie nostre, uel successorum nostrorum, ordine Judiciario obseruato, interficiantur, possessiones taliter interfectorum non ad palatinum Regni, (uel) Iudicem Curie Regni deuoluantur; sed ad ecclesiam Strigon. Et si Palatinus, Iudex ecclesie Strigon., apud Palatinum Regni, uel Iudicem Regni<sup>3)</sup> Curie nostre, aut alios Justiciarios Regni eos(dem) captos esse sciuerit, ijdem eosdem ipsi Palatino ecclesie predictae ad Iudicium reddere tenentur sine mora.

Quas quidem libertates, donaciones et excepciones certo cercius indagantes inuenimus, vidimus et sciuimus semper pertinuisse et pertinere ad ecclesiam Strigon. Quapropter omnes predictas donaciones libertatum et excepcionum, ac fructuum perceptionem, in toto et in qualibet sui parte, uniuersas uniuersaliter et singulas singillatim, de consensu domine Marie consortis nostre karissime, Regine, ac omnium prelatorum et barronum nostrorum confirmamus, ratificamus et pro originali Priuilegio deputamus. Saluis etiam alijs omnibus priuilegijs et litteris ac libertatibus ecclesie Strigon. memorate et in suis firmitatibus<sup>4)</sup> manentibus. In cuius rei memoriam et firmitatem perpetuam, presentes concessimus, dupplicis sigilli nostri munimine Roboratas. Datum per manus magistri Farkasij, electi Zagrabiensis, aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup>LXX<sup>o</sup>. (sic) Quinto kalendas Nouembris. Regni autem nostri Anno vigesimo Octauo.

Sigillum e serico rubro et flauo pendebat. Originale iam exesum et lacerum in Arch. Prim. Sec. Lad. A. Fasc. 1. Nro. 2. — Transumerunt praeter Carolum Regem, Capitulum Budense a. 1368., Sigismundus Rex a. 1418. et Mathias Corvinus. a. 1464., ut ad annos hos videbimus. Edidit Pray Hier. I. pag. 131., Katona Hist. Crit. VI. pag. 391., Endlicher Mon. Arp. 500. et Fejér l. c. IV. III. pag. 133. ac iterum, sed magis erronee, VII. V. pag. 331., ubi pag. 334. per Carolum Regem interpolata textui inseruit. — Datum diplomatis erronee

1) Ib. quodcumque.

2) Ib. interpolatur: „Insuper volumus, ut nullus palatinus vel Comes parochialis populos eiusdem ecclesie ad congregacionem, quoquo modo celebratam, conuocare valeat, nisi Iudex eiusdem ecclesie eosdem iudicet.“

3) Ib. exmissum.

4) Ib. exmissum.



figitur ad annum 1270., hoc enim anno 3. Maii Bela fatis cedens, diploma hoc quinto kal. Nov. edere non potuit; hinc Pray, Katona, Endlicher et Fejér priori loco, annum 1263. adscribunt. Secundo autem loco exponit quidem Fejér annum 1270., sed in adiecta nota observat, diploma istud referendum esse ad a. 1263., et subiicit: „error subrepsit in transcripto, anno 1335. emanato.“ Error quidem subrepsit, iam in originali ipso, quod manifeste a. 1270. exhibet. Aberrarunt et scriptores citati, dum ex adiecto anno regiminis 28-o diploma hoc ad a. 1263. relegarunt, iuxta rectum enim horum annorum computum, a. 1262. exarari debuit.

### 619.

1262. 5. Dec. — Stephanus Junior Rex puncta concordiae, cum Patre suo, Bela IV., nuper Posonii initae, recenset et se observaturum promittit.

Nos Stephanus, dei gracia Junior Rex Vngarie, Dux Transsiluanus, dominus Cumanorum, significamus omnibus, presencium per tenorem, quod ad habendam, Reintegrandam et conseruandam, nuper in Posonio habitam, Anno domini Millesimo, Ducentesimo LX<sup>o</sup> Secundo, Kalendas — — <sup>1)</sup>, inter dominium Regem, karissimum patrem nostrum, et nos pacis et concordie vnionem, mediantibus venerabilibus patribus, Ph., dei gracia Strigoniensi, aule karissimi patris nostri Cancellario, et Sm. (Smaragdo) Colochensi, aule nostre Cancellario, archiepiscopis, Philippo episcopo Vachiensi, aule karissime consortis nostre Cancellario, Johanne preposito Orodiensi, electo Sirmiensi, magistro B. preposito Scybiensi, aule nostre vice Cancellario, cum consensu, beneplacito, uoluntate et approbacione vniuersorum Barronum et nobilium nostrorum, necnon requisito Principum Cumanorum consilio et habito assensu, Saluo iuramento et in suo robore perdurante, quod tunc apud Posonium super obseruacione pacis, conuencionis et concordie, inter dominum karissimum patrem nostrum et nos habite, prestitimus, et modo, ut omnia et singula Capitula, que in litteris, super prefata conuencionem, concordia et unione confectis, et nostro dupplici sigillo roboratis, inseruntur et continentur, per nos obseruentur, sacrosanctis dei euangelijis, uiuifico dominice Crucis ligno et multorum sanctorum dei Reliquijs coram positis et tactis, corporaliter iuramus, sine omni coactione, necessitate et cohartacione, sed spontanea et libera uoluntate confitentes, protestantes, uocantes, et clammantes, nos contentos, quietos et bene paccatos hijs, que karissimus pater noster, illustris Rex Vngarie, nuper in compositione, inter ipsum et nos in Posonio habita, in Ducatu, terris, castris, uillis, redditibus nobis dedit, concessit et assignauit, quo ad usque uixerit ipse karissimus pater noster; Promittentes, nichil amplius ab ipso petere, requirere, vel exigere sub iureiurando, quod prestitimus et prestamus, tactis corporaliter

1) Hic spatium pro dato incompletum remansit.

sacrosanctis euuangeliiis et uiuifico crucis dominice ligno, et promittimus, contra ipsius coronam, uel Regni sui, uel karissimi fratris nostri, Bele ducis, Ducatus et iurium utriusque imminucionem, lesionem, preiudicium, seu grauamen nichil cogitare, attemptare, agere, vel aggredi, palam uel occulte, fraude uel ingenio, uel aliqua machinacione per nos, uel nostros Barrones, Nobiles, Regnicolas, uel Cumanos, necnon extraneos, Reges, Duces, Ruthenos, uel Polonos, uel cuiuscumque extere nacionis homines; Sed potius promittimus eidem karissimo patri nostro assistere, auxiliari et esse presidio contra omnes, qui in eum insurgerent, et eiusdem maiestatem offendere molirentur, ipsius regnum uel regni terminos turbare et molestare uolentes, pro uiribus expugnando.

Vniuersis eciam innotescimus per presentes, quod nos castrum Fylek cum pertinencijs suis bona voluntate et gratanti animo recepimus a karissimo patre nostro pro Castro, quod idem nobis promiserat et ad dandum se obligauerat per suas litteras, in compositione, seu concordia, Posonij habita; unde tradicionem et assignacionem castri predicti nobis iam facta, ipsum ab obligatione tradendi Castri profiteamur et dicimus expeditum, et litteras, quibus ad dandum castrum nobis se obligauerat, restituere promittimus et resignare, que si restitute non essent, uel restitui non possent, casse et irritae et omni robore uacue habeantur et ubicumque et quandocumque exhibite et hostense fuerint, nullius sint momenti.

Item promisimus et promittimus, quod omnibus barronibus, seruientibus karissimi patris nostri occasione guerre, casualiter habite et exorte, post pacem inter ipsum karissimum patrem nostrum et nos apud Posonium initam et firmatam, vniuersis spoliatis restituemus et restitui faciemus omnia bona mobilia et immobilia, uel se mouencia, que ab eisdem per nos uel nostros pretextu prefate discordie sunt ablata; Preucelino et Francone dumtaxat exceptis, quos in compositione apud Posonium habita, per Hermandum magistrum agasonum karissimi patris nostri, comitem Trinchinensem, et magistrum Ladizlaum archidiaconum Huntensem, Strigoniensem canonicum, familiarem clericum prefati genitoris nostri, ab huiusmodi restitutione seclusos, sicut possumus, recordamur; de quibus nichilominus taliter duximus statuendum, ut si predicti Herrandus comes et magister Ladizlaus, tractatores tunc pacis, iurauerint, se non exclusisse predictos Preucelinum et Franconem, uel non admisisse exclusionem eorum a communi spoliatorum restitutione: extunc ipsi, sicut et ceteri, restitutionis beneficio potientur. Si autem iurare noluerint, extunc ab huiusmodi beneficio excludentur. Pousam autem, generum eiusdem Franconis, sine difficultate qualibet restituendum iudicamus. Fiet autem restitutio eorum, qui in restitutionis causa erunt, per uenerabiles patres Ph., dei gracia Strigoniensem, aule karissimi patris no-

stri Cancellarium, et Sm. Colochensem, aule nostre Cancellarium, archiepiscopos; Ita, quod si predicti venerabiles patres ambo hijs exequendis non possent pariter conuenire; extunc archiepiscopus Strigoniensis in sua prouincia, adiuncto sibi uno barrone nostro et alio barrone domini karissimi patris nostri, et archiepiscopus Colochensis in eius prouincia, adiuncto sibi similiter vno barrone nostro et alio barrone karissimi patris nostri, predictae restitutionis articulum exequantur.

Pro eo eciam, quod karissimus pater noster promisit, non sollicitare Cumanos nostros, allicere, rogare et rogari facere ad se uenire, nec ultro uenientes recipere uel tenere, Repromittimus sibi, theutonicos, sclauos, ad Ducatum Sclauonie pertinentes, et Boemos, quos in presenciarum habet, uel habuerit in futurum, non sollicitare, allicere, rogare uel rogari facere, ut ad nos ueniant; quin ymo si ultra uenirent, non recipiemus eos, nec admittemus, uel tenebimus aliqua racione.

Promittimus eciam sub prefati iurisiurandi religione, nos medietate salium terrestrium et aquaticorum esse contentos, alia medietate tam terrestrium, quam aquaticorum salium patri nostro karissimo secundum conuencionis, apud Posonium inter ipsum et nos habite, tenorem iure integro remanente. In qua medietate utrorumque salium officialis suus cum officiali nostro in medietate nostra, quantum ad officium salium pertinet, utetur et fruetur per omnia equo (?) iura, et populi, qui salifossore uocantur, pro medietate spectabunt ad suum officialem, et pro medietate alia ad nostrum; utrique tamen suis sumptibus conducent salium incisores et per omnia paris erunt iurisdictionis, curribus seu emptoribus salium inter eos equaliter diuidendis; et si aliqua essent, que ad predictorum officialium super salibus terrestribus et aquaticis officium spectarent, licet presentibus inserta non habeantur, nichil alterutrius nostrum officialis alterius officiali plus uel minus habere debet, sed per omnia equabuntur et nos officialem uel officiales, quem uel quos karissimus pater noster in salibus aquaticis et terrestribus pro sua medietate statuerit, non inquietabimus, molestabimus, uel turbabimus, nec inquietari, molestari, uel turbari ab aliquo alio uel alijs permittemus, sed potius ei uel eis fauorem patris nostri intuitu impendemus.

Item promittimus, quod si comes Palatinus noster, siue Iudex Curie nostre, uel alij Iudices nostri, Barronibus seu seruientibus karissimi patris nostri in causis possessionum et alijs conquererentur ex causa probabili se grauari, nos ad insinuacionem et requisicionum uenerabilis patris Sm., archiepiscopi Colochensis personaliter predictorum Iudicum sentencias et processus audire et emendare tenebimur, iuxta modum prestiti super hoc specialiter sacramenti.

Prestito eciam promittimus iuramento, quod omnes Principes, Barrones,



seu quilibet seruientes karissimi patris nostri, in porcione Regni, nobis assignata, Domicilia et Possessiones obtinentes, in eundo ad ea et morando in eis, ac redeundo ad memoratum karissimum patrem nostrum, in pace tranquilla, quiete pacifica et securitate gaudeant inconcussa. Eo pretextu, uel occasione, quod karissimo patri nostro adhererunt, uel qui in futurum adhererint, cum adherendi ei et sequendi eum vniuersi Regnicole, iuxta ordinacionem factam, largam licentiam et liberam habeant facultatem, nullum metum, nullam omnino formidinem habituri, sed in personis, possessionibus, familijs, terris et territoriis, ac bonis omnibus indistincte plena pace gaudeant et securitate pacifica iocundentur.

Promittimus eciam tactis euuangelijs et sanctorum Reliquijs, quod ecclesiarum, barronum, seruientum seu nobilium in porcione Regni, nobis assignata, iura, libertates, emunitates, status et priuilegia conseruabimus et quantum in nobis est, faciemus et conseruari curabimus cum effectum, secundum continenciam et tenorem litterarum nostrarum, super huiusmodi ordinacionibus confectarum, quarum mencionem fecimus in premissis.

Item tactis sacrosanctis et coram positis Reliquijs promittimus, quod super attendendis et obseruandis omnibus et singulis, que premisimus et que inferius inserentur, et specialiter super reformandis, restaurandis, deffendendis et conseruandis deperditis, depressis et supressis per iniuriam ecclesiarum, seruientum seu nobilium in porcione Regni, nobis assignata, uenerabiles patres, Strigoniensis et Colochensis archiepiscopi, quorum iurisdicionem in hac parte in nos uoluntarij et ydonei prorogamus, per censuram ecclesiasticam nos ualeant et debeant cohercere, non obstante priuilegio, si quid nobis a sede apostolica esset indultum, cui in hijs renunciamus, ne absque mandato sedis apostolice speciali excommunicari, uel interdicti possimus per ordinarium, uel ordinarios nostros, seu litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mencionem.

Accedentibus eciam omnium Barronum nostrum consilio et consensu consentimus et sub iurisiurandi religione compromittimus, ut si contra compositionem et ordinacionem, presentibus intersertam, nos, uel predictus pater noster karissimus, guerram uel exercitum mouere uoluerimus; nos, uel ipsum, qui temerator et transgressor presentis compositionis et pacifice ordinacionis fuerit, dicti uenerabiles patres, Strigoniensis et Colochensis archiepiscopi, quorum iurisdicionem in nos, nos et karissimus pater noster in hoc negocio presentium testimonio prorogamus, subiciendi nos et terram nostram interdicto; et excommunicandi nos et nostros, si necesse fuerit, habeant facultatem. Sed ne alteruter nostrum per maliciosam conficcionem, uel calumpniosam adinuencionem, preter culpam, falso et inique aliquid inpingatur; dicti uenerabiles patres de emergentibus ab alterutro nostrum iniurijs primum de plano et sine strepitu iudiciorum, cognoscent, et tunc demum, si paternaliter ammonendo iniuriantem et iniuriosum guerre incitatore nos, uel ipsum karissimum patrem nostrum com-

pescere nequiverint; in eum, quem huiuscemodi temeracionis uel transgressionis sciuerint esse reum, prescriptam censure ecclesiastice proferant ulcionem.

Interposito eciam consimili promittimus sacramento, quod si in subsidium Michaelis ducis, karissimi fratris nostri, exercitum aliquem mittere nos contingat, non mittemus, nec ipsum exercitum procedere paciemur per terram karissimi patris nostri, nec in possessionibus barronum, sui (sic) seruientum eiusdem karissimi patris nostri, quas ijdem in porcione, nobis assignata, habent et possident, exercitum, quem miserimus, descensum aliquem facere, uel aliquod aliud spolium uel grauamen inferre aliquatenus paciemur.

Item promittimus bona fide, quod castra, que barrones, seruientes et (nobis) karissimi patris nostri in porcione Regni, nobis assignata, uel ubicunque obtinent, obsideri, uel capi per nos, uel nostros, uel quoslibet alios non procurabimus machinatione aliqua publica, uel occulta, nec eciam huiusmodi insidias, uel capciones fieri paciemur ab illis, quibus restitute (sic) potuerit posse nostrum.

Volumus eciam et promittimus, non inniti, nec uti litteris karissimi patris nostri, quibus et quocunque tempore et super quibuscunque articulis inpetratis, uel confirmacionibus, si que super eisdem litteris a sede apostolica per quemcumque, quocunque ingenio sunt obtente, que de facto, uel de iure patri nostro karissimo preiudicarent, uel preiudicare possent; renunciantes omnibus excepcionibus iuris et facti, que nobis ex illis litteris competerent, uel competere umquam possent, sed eas rumpere et cassare promittimus bona fide, et si alibi preter conscienciam nostram latenter essent reposite, nullius penitus sint momenti; sed hec sole littere nostre presentes et alie priores, apud Posonium confecte, de quibus iam pluries in premissis mencionem fecimus, quas eciam in presentibus litteris confirmamus, perpetui roboris obtineant firmitatem.

Vltimo autem filiali Recognitione conpuncti et ammoniti, promittimus karissimo patri nostro filialem reuerenciam et honorem cum omni deuocione et sinceritate, cupientes ipsius benediccione et dileccione desideratissimis omni tempore perpotiri. Et hec omnia singula premissa conseruabimus. Sic nos deus adiuuet et hec sancta dei euuangelia et hoc coram positum et corporaliter per nos tactum uiuificum dominice Crucis lignum. Datum anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, Nono Idus Decembris.

Tria sigilla dependebant, in medio e serico roseo et violaceo, Stephani regis, a dextris et sinistris autem e violaceo serico, sine dubio Strigoniensis et Colocensis archiepiscoporum. Orig. litteris minusculis pulcre exaratum in Arch. Prim. Sec. Lad. V. Fasc. 1. Nro. 4. — Ed. Katona Hist. Crit. VI. 360., Fejér l. c. IV. III. pag. 69. — Litteras has in Purzlo emanatas esse, Nrus 627. docet. — Cum octo solum idus numerenter, datum diei erronee expressum est, certocertius nonas Dec. intellexerit.

## 620.

1262. — Capitulum Strigon. Moniales Insulae Strigon. partem cuiusdam insulae Sidód Cruciferis Strigon. vendidisse testatur.

A

B

C

D

Gregorius Prepositus et Capitulum ecclesie Strigon. Omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in uero salutari. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod constitutis in nostra presencia Petro Priore crucifero, pro Magistro Laurencio et Conuentu Domus Hospitalis Sancti Regis, ex una parte; et Abbatisa beatissime Marie virginis de Insula de Strigonio, ex altera; propositum ex eorumdem parte extitit coram nobis, quod cum ecclesia beate virginis de Insula memorata porciunculam possessionis Kechéd nomine, eidem ecclesie ualde utilem, haberet pignori obligatam, nec mobilia haberet, unde ualeret redimere; partem cuiusdam Insule, sibi minus utilem, nomine Sydoud, cum terrula sufficienti ad usum unius aratri, in medio terre ecclesie sancti Regis iacente, cum communi tractatu et consilio sororum et iobagionum eiusdem ecclesie, perspicientes meliora sine dubio ex hoc eidem ecclesie sancte Marie prouenire, pro duodecim Marcis argenti, quas se habere predicta Abbatisa est confessa, memorate ecclesie sancti Regis de Strigonio se asseruit uendidisse et eciam tradidisse pro recepcione possessionis supradicte et reficiendis sartatectis et domibus necessariis, que resarciri aliunde non ualebant. Supplicantes, ut nos litteras nostras exinde, prout moris est et consuetudinis ac iuris, dari faceremus; quorum petitioni et instantie annuentes, litteras nostras presentes dedimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno domini Millesimo Ducentesimo sexagesimo secundo.

Sigillum e flavo et viridi serico pendeat. Orig. in Arch. Cap. Poson. Capsa 2. Cruciferorum Fasc. 5. Nro. 46. — Fejér Cod. dipl. IV. III. 379. erronee ad a. 1266. ponit.

## 621.

1262. — Nicolaus Archidiaconus Neogradiensis „villam curui Johannis, Beren uocatam,” quam „Boht sacerdos Ecclesie S. Michaelis Archangeli de Kezv,” ad parochiam suam pertinere asserebat, Ecclesiae omnium sanctorum de Beren adiudicat, quia ex inquisitione, „quibusdam sacerdotibus senioribus parochie (seu Archidiaconatus) nostre, scilicet Vicario nostro Ladomério de Filek, Andre de Losunc, Endre de Dalan, Peuce de Chalan et Gre-



gorio de Hv gog" commissa, rescivit, „quod dicta uilla Johannis, Beren uocata, ab antiquo esset parochia Ecclesie Omnium Sanctorum de Beren.“

Wenzel l. c. III. 33.

## 622.

1262. — Conuentus de Ság magistrum Ladislaum, archidiaconum Honthensem, cum fratre suo Michaelae terram quamdam in Gyürki emisse testatur.

A

B

C

D

Nos Joachym prior et conuentus de Sag, fratrum ordinis Premonstratensis, significamus, quibus expedit, presencium per tenorem, quod constitutis in nostra presenciam magistro Ladizlao, archidiacono Huntensi, et Mychaele fratre suo, ex una parte; et nobilibus uiris Pousa, achilleo, et Marco, ex altera; iidem Pousa, Achilles et Marcus, presentibus et assistantibus commetaneis et uicinis, consensum et assensum prebentibus, confessi sunt, se totam terram suam, quam habuerunt in Gurky, cum omnibus utilitatibus suis et pertinencijs, videlicet terris arabilibus, pratis, nemoribus et fenetis, necnon areis curiarum, uendidisse predictis magistro L. et M., ac eorum heredibus, heredumque successoribus, et eciam coram nobis uendiderunt, ac totius terre precium, magistro L. et dicto M. fratre eius ponderantibus et numerantibus, est coram nobis plenarie persolutum; vendiderunt eciam insulam quamdam, que est iuxta areas supradictorum nobilium Pouse, Achillis et Marci; promittentes, quod si processu temporis dictam terram contingeret euinci, uel per litem auferri; iidem ipsis magistro L. et Mychaeli, ac ipsorum heredibus eandem tenerentur defendere et tueri, ac refundere dampna et expensas, quas sepedicti magister L. et frater eius, uel eorum heredes facerent pro defensione terre sepius memorate. Fecerunt eciam superius memorati filios suos, videlicet Pousam, Demetrium, Miconem et Dudam consentire vendicioni supradicte; promittentes, ut nec ipsi, nec eorum Heredes, uel Heredum successores contra vendicionem uenirent pretaxatam. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Anno domini Millesimo cc<sup>o</sup>.LX<sup>o</sup>. Secundo.

Sig. e filis cannabeis dependebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 19. Fasc. 1. Nro 1. — Ed. Cod. Strig. II. 85. Extr. Fejér Cod. dipl. IV. III. 100.

## 623.

1262. — Comes Hermannus Strigoniensis donavit monasterio Augustinianorum eiatium villam Daag sitam prope Kolnuk in Comitatu Albensi (rectius: prope Csolnuk in Com. Strigon.), quam donationem rex Bela IV. eodem anno 8. kal. Sept. confirmavit, quod fecit etiam postea Stephanus V. a. 1270., ac iterum 1272. ad preces Comitis Petri, filii eiusdem Hermanni.

Schier Memoria Prov. Hung. Augustinianae 99., Fejér Cod. dipl. IV. III. 91. — Prima hic Augustinianorum Strigon. occurrit mentio.

## 624.

1262. — Insula Staraduna „a parte septentrionali terre Strigon. Ecclesie, ville scilicet Pispuky, cometanea.“

In litteris Cap. Jaur. Wenzel l. c. III. 28.

## 625.

1263. 5. Apr. — Bela IV. ut hospites et alii in villam Lipcse advenientes „maiores habeant diligentiam residendi, de consilio et consensu Venerabilis Patris D. Philippi Archiepiscopi Strigon. concessimus, ut Ecclesia ipsorum Parochialis ab omni decimatione sit excepta penitus et exempta, et fruatur liberis decimis, secundum quod fruuntur Ecclesiae parochiales Carponensis et Banensis; et D. Archiepiscopo Strigon. Plebanus eorum de quinquaginta mansionibus de culta terra absque nonalibus, unam marcam fini argenti cum pondere Strigoniensi dare et solvere teneatur annuatim.“

Fejér Cod. dipl. IV. III. 11., qui datum sic exhibet: „Anno Domini 1260. Tertio nonas Aprilis, regni autem nostri a. 23.“ et adiicit, in anno regiminis errorem esse. Omnino quidem; sed annum etiam Christi male expositum esse, inde patet, quia Philippus a. 1260. Archiepiscopus Strigon. nondum fuit. Legi itaque debet: „Anno Domini 1263. nonis Apr., regni autem nostri a. 28.“ — Et revera ipse Fejér extractum huius diplomatis pag. 124. ad a. 1263. ponit.

## 626.

1263. 27. Apr. — Omodaeus Episcopus Jauriensis Archiepiscopum Strigon. contra iniustas praetensiones Procuratorum Episcopi Quinqueecclesiensis in Synodo Budensi protestatum fuisse testatur.

Nos O. — — Episcopus Jauriensis, de provincia Strigon, Significamus, — — quod quum anno domini 1263. indictione sexta, quarto die exeunte Aprili essemus apud Budam ad convocationem Magistri Angeli, Clerici capelle domini Pape et nuncii eiusdem in partes Vngariae, et consideremus una cum praenominato magistro Angelo et reverendo Archiepiscopo Strigon, Domino Ph(ilippo) Metropolitano nostro et Venerabilibus Patribus L(amperto) Agriensi, Ph(ilippo) Vaciensi, P(aulo) Vesprimiensi et V(incencio) Nitriensi Coepiscopis et suffraganeis nostris, s. Martini de s. monte Pannoniae, s. Benedicti de Varadino, Sexardiensi et Symigiensi Abbatibus Ordinis s. Benedicti; Quinqueecclesiensis et consuffraganei nostri Episcopi, Syrmienensis, Transylvanensis Episcoporum procuratoribus et quam plurimis aliis Praemonstratensis et aliorum Ordinum Praelatis, praepositis, archidiaconis, plebanis, in ecclesia praepositali exhibitis nobis litteris et mandato apostolicis, quod utile visum fuit et expediens eidem magistro Angelo et nobis, aliqua super mandato apostolico cum maioribus praelatis secrecius tractare, Strigon. Archiepiscopo et nobis, qui praesentes eramus, episcopis omnibus, procuratoribus Archiepiscoporum absentium, abbate s. Martini duntaxat apud ipsum remanentibus, alii receperunt se in partem, et sic se moventibus et retrahentibus se seorsum; procuratores episcopi Quinqueecclesiensis coram nobis dixerunt, quod ipsi — — a consortio, colloquio et consilio cum iniuria et ignominia Domini sui excluderentur, quia Dominus eorum, licet non Archiepiscopus, pari tamen cum Archiepiscopis gaudebat praerogativa, utpote exemptus et pallio decoratus. Quibus auditis, venerabilis pater Archiepiscopus Strigon. proposuit protestando, quod cum verba procuratorum Episcopi Quinqueecclesiensis essent blasphemiae et intolerabiles iniuriae, quibus Quinqueecclesiensis suo perverso more ipsum Metropolitanum suum et Ecclesiam Strigon., dominam et magistram suam, impudenter lacescit, non timens Deum, nec verens homines, quamvis idem Quinqueecclesiensis Episcopus pro suis manifestis excessibus iam dudum ab ipso esset excommunicatus et denunciatus publice; non poterat nec volebat conniventibus oculis pertransire, quominus prosequatur et requirat sibi et ecclesiae suae coram tanto aspectu iniurias irrogatas. — —

Koller Episc. Quinqueecl. II. 172., Pray Specimen Hierarchiae I. 238., Fejér Cod. dipl. IV. III. 172.



## 627.

1263. 3. Mai. — Stephanus iunior Rex conditiones pacis, cum patre suo anno praeterito initae, confirmat et novis auget.

Nos Sephanus, dei gracia Junior Rex Hungarorum, Dux Transiluanus, Dominus Cumanorum, significamus vniuersis presencium per tenorem, quod habitis et ordinatis nuper in Puruzlo inter nos et karissimum patrem nostrum, Regem Hungarie, super pacis et concordie unione <sup>1)</sup>, habita deliberacione, hos articulos superaddendos et declarandos decreuimus, vt habita et ordinata Inter nos habere valeant perpetuo roboris firmitatem. Volumus enim, quod littera habita et ordinata per venerabiles patres Ph. deigracia Strigon., aule karissime patris nostri Cancellarium, et Smaragdum Colochensem, aule nostre Cnscellarium, archiepiscopos, vsque festum sancti Jacobi apostoli, nobis et karissimo patre nostro pariter procurantibus, per sedem apostolicam confirmetur; ita scilicet, quod per predictos venerabiles patres pars, que pacem presumpserit uiolare, quod absit, ad obseruacionem pacis per censuram ecclesiasticam compellatur, et sub iuris iurandi religione compromittimus, vt si contra compositionem vel ordinacionem, habitam apud Posonium et in Puruzlo, sicut in prioribus litteris, hinc inde confectis, continetur, aliquid attemptauerimus, et si temerator et transgressor composicionis et pacifice ordinacionis, inter nos facte, reperti fuerimus, cum barronibus nostris, scilicet cum venerabili patre Smaragdo, dei gracia Colochensis ecclesie archiepiscopo, aule nostre Cancellario; magistro Benedicto, preposito Orodiensi aule nostre vicecancellario; Dionisio palatino, comite Bakachiensi (sic); Laurencio magistro tauarnicorum nostrorum, bano de Zeurino; Ladislao voyauoda transilvano, comite de Zounuk; magistro Baas iudice curie nostre, comite Gumuriensi; Stephano magistro dapiferorum nostrorum; Dominico magistro pincernarum nostrorum, uel cum hijs, qui in locum eorundem in posterum successerint honore et honore; Et e conuerso, si karissimus pater noster composicionem et ordinacionem habitam inter nos infregerit seu uiolauerit; cum barronibus suis, maioribus et presentibus, vel qui in locum successerint eorundem, per dictos venerabiles patres, Strigoniensem et Colochensem archiepiscopos excommunicationis sententia innodemur. Et super hoc ijdem venerabiles patres archiepiscopi tenentur dare litteras suas, quod quilibet ipsorum a uiolatore pacis, habite et ordinate, se transferre debeat ad pacis et ordinacionis habite seruatorem, in eundem pacis uiolatorem interdicti sententiam proferendo; et hoc idem nostri barones et karissimi patris nostri supradicti Regis barones facere teneantur, obligantes se litteris suis, sub forma emissi et prestiti sacramenti. Item spoliatis de consensu et uoluntate ka-

1) Vide Nrum. 619.

rissimi patris nostrj Regis, tempore guerre, uel post guerram, debeat restitutionis beneficium impertiri, Et ad hoc e conuerso nos presentibus obligamus. Qui autem sine consensu et uoluntate karissimi patris nostri, et nostra, spolia commiserunt, de bonis eorundem, possessionibus et personis condigna satisfaccio debeat procurari. Preterea oblocutorum et delatorum uerba non audiemus, nec ipsis fidem volumus adhibere; sed obloquentes et oblocutorum uerba patri nostro Regi curabimus nunciare; Volentes, vt karissimus pater noster, sicut promisit, nobis illud idem facere teneatur. Volumus eciam, quod neuter nostrum ad barones, vel ad liberas uillas, existentes sub alterius potestate, assaturas, uel scutellas, aut aliquas munificencias, ratione questus, mittere teneatur. Item volumus, quod littere comminatorie omnino cessent, nec destrucciones et spolia baronum vel seruientum alterutrius nostrum ulterius fieri debeant, nec eciam descensus super predijs nobilium uolenti. Item si aliqui furta et latrocinia seu nocumenta committendo et destrucciones in Regno faciendo, de territorijs karissimi patris nostri Regis ad nos se transferrent, et hoc liquido pateret ipsi patri nostro et in fide sua nobis per suas litteras diceret et hostenderet esse reos, iuxta meritum culpe tenemur satisfacere de eisdem. Et e conuerso karissimus pater noster satisfaciet de nociuis, modo et ordine pretaxato. De manifestis autem furibus et latronibus satisfaccio fieri debeat, prout dictauerit ordo iuris. Et hec omnia et singula premissimorum conseruabimus; sic nos deus adiuet et hec sancta dei euangelia et hoc coram positum et corporaliter per nos tactum, uiuificum dominice crucis lignum. Adicimus insuper, vt omnes illos, qui karissimo patri nostro Regi adhererunt, amicitia, consilio, auxilio, obsequijs et fauore, non persequemur, nec contra eos uel terras ipsorum nostrum exercitum transmittemus. Volentes, vt pater noster karissimus illos, qui nobis, consanguinitate, affinitate, uel familiaritate coniuncti, siue sunt Reges, siue duces, seu eciam marchiones, astiterunt vel assistere uoluerunt, non persequatur, nec exercitum mittat contra eos. Et hoc Capitulum, seu articulum hunc, sicut nos sub iuris iurandi religione promittimus; similiter uolumus, vt super ipso Capitulo karissimus pater noster corporaliter prebeat sacramentum, quod nec per se, nec per suum exercitum eos attemptet offendere, uel in aliquo molestare. Barones eciam, qui sibi adhererunt, nos diligemus, vt ipse illos, qui ex regni nostri baronibus nobis adhererunt, non persequi, sed diligere teneatur, iuxta formam prestiti sacramenti. Datum prope Monasterium Zokol in inuencione sancte crucis, Anno domini Millesimo CC<sup>o</sup>. sexagesimo tercio.

## 628.

1263. 11. Maii. — Philippus miseratione Divina Archiepiscopus Strigon., Aulae Regiae Cancellarius ad petitionem Belae regis concedit, ut populi villae Lypche in provincia Liptoviensi ecclesiam parochialem construendi habeant facultatem. „Volumus — — ut ecclesia eadem Parochialis liberis decimis perfruat, prout Ecclesiae Parochiales de Korpona et Schemneczbaná; et Plebanus eiusdem Ecclesiae ab omni iurisdictione et descensu Archidiaconi sit exceptus penitus et exemptus; ita tamen, quod de singulis 50 mansionibus unam marcam fini argenti, cum pondere Strigoniensi nobis et nostris successoribus annis singulis dare et solvere teneatur. — Datum Strigonii crastino Ascensionis Domini.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 182. — Originale iuxta Fejér in Archivo Primatiali asservatum, ibidem amplius non reperitur. Vide Nrum 625.

## 629.

1263. 23. Jul. — Urbanus PP. IV. admonet Belam IV. Regem, ne Saracenos et Judaeos, nisi adiuncto Christiano, proventibus Regalibus colligendis praeficiat.

Urbanus episcopus, servus servorum dei, Carissimo in xpo. filio . . Regi Vngarie Illustri, Salutem et apostolicam benedictionem. Regalis celsitudinis honori conuenit et saluti, ad illa intente sollicitudinis studium adhibere, per que libertati ecclesiasticae ac xpiane religionis professoribus a dispendijs utiliter caneatur. Accepimus sane, quod tu consideratione debita non aduertens, quod Judei et Sarraceni xpianis opido sunt infesti, eos interdum ad colligendum redditus et prouentus tuos, postquam illos Judeis et Sarracenis uendideris, preficis, nec ipsis aliquem xpianum iuxta sanctiones canonicas deputas, de grauaminibus inferendis clericis et ecclesijs non suspectum, per quem dicti Judei siue Sarraceni sine xpanorum iniuria iura regalia consequantur; in excusationis tue suffragium pretendendo, quod id tibi licet ex priuilegio, progenitoribus tuis ab apostolica sede concesso. Cum igitur ex hoc libertati (sic) predictae ac xpiane fidei plurimum derogetur; Serenitatem Regiam rogamus, monemus et hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatinus prudenter considerans, quod non est conueniens uel honestum, ut eisdem Judeis et Sarracenis, quos propria culpa submisit perpetuae seruituti, exercendi uim potestatis in xpianos, quorum pietas illorum cohabitationem dignanter sustinet, possibilitas tribuatur; eosdem Sarracenos et Judaeos, priuilegio non obstante predicto, pro nostra et praefate sedis reuerentia, in colligendis huiusmodi redditibus et prouentibus, nisi deputato sibi secundum sanctiones prefatas aliquo xpiano, de cetero



non preponas. Preces nostras in hac parte taliter admissurus, quod circa id fidelium iacturis et iniurijs obuietur, nosque magnificentiam tuam proinde dignis in domino laudibus commendemus. Datum apud Urbem ueterem X. kalendas Augusti, Pontificatus nostri Anno secundo.

Bulla plumb. e filo cann. pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 44. Fasc. 1. Nro. 12. — Ed. Fejér l. c. IV. III. 86.

---

630.

1263. 3. Aug. — Bela IV. Rex concordiam inter se et filium suum Stephanum per interpositionem Strigoniensis et Colocensis Archiepiscoporum intervenisse, Urbano PP. IV. significat. Quam compositionem deinde coram fratre Velasco poenitentiario et Capellano papali in praesentia Archiepiscopi Strigon. aulae suae Cancellarii, Magistrorum Demetrii Borsiensis et Ladislai Huntyensis archidiaconorum in ecclesia Strigon., fratris Marci custodis Strigon. ordinis Minorum, ac aliorum iuramento, litteras autem desuper editas, suo et Archiepiscopi Strigon. et aliorum 16 baronum suorum sigillis confirmavit. — Datum apud Lypcha. A. D. 1263. 3. Non. Aug.

Theiner Mon. Hung. I. 244. — Wenzel l. c. III. 34.

---

631.

1263. 19. Sept. — Urbanus PP. IV. ad relationem Archiepiscopi Strigon. in enormia Episcopi Quinqueecclesiensis crimina inquire iubet. — Datum apud urbem Veterem XIII. kal. Oct., P. a. 3.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 168. — Vide Nrum 665.

---

632.

1263. 24. Sept. — Zagrabiensi ecclesia Episcopi solatio destituta, Praepositus et Capitulum Stephanum Capellanum Papae, nepotem Episcopi Penestrini, Praepositum Ecclesiae Pozoniensis, patientem in aetate defectum, in episcopum postularunt. Papa autem provisionem huius ecclesiae Episcopo Praenestino commisit. Et licet in eodem Stephano imperfectum aetatis suppleret generis et morum nobilitas, matura discretio et scientia litteralis; tamen

praedictus Episcopus nolens ad carnem et sanguinem habere respectum, Timotheum Archidiaconum de Zala in ecclesia Vesprimiensi et Canonicum Zagrabiensem praedictae ecclesiae in episcopum praefecit, ab Urbano PP. IV. postmodum confirmatum. — Datum apud Urbem veterem VIII. kal. Oct., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 245., Wenzel l. c. III. 44.

### 633.

1263. 1. Oct. — Urbanus PP. IV. omnibus Praelatis et clericis mandat, quatenus Archiepiscopum Strigon., virum utique probatae fidei et examinatae virtutis, cui negotium terrae sanctae in Regno Ungarie specialiter commisit, in eundo, morando et redeundo suscipientes honore condigno, ei extra suam Civitatem et dioecesim personaliter in praedicto negotio laboranti, pro se sexdecim equitaturis et vigintiquinque personis in necessariis, necnon in securo conductu providere curent liberaliter et decenter, ita, ut idem, quem Papa suae probitatis exigentibus meritis carum habet multipliciter et acceptum, cum ad praesentiam suam redierit, laudabile possit eorum promptitudini testimonium perhibere. — — Datum apud Urbem veterem kal. oct., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 246., Wenzel l. c. III. 47.

### 634.

1263. 3. Oct. — Urbanus PP. IV. Archiepiscopo Strigon. negotium terrae sanctae in Hungaria committit.

Urbanus — — Archiepiscopo Strigon. — — Cum nos centesimam omnium ecclesiasticorum proventuum regni Ungarie usque ad quinquennium eidem terre (sancte) — — duxerimus concedendam, — — mandamus, quatenus huiusmodi centesimam annuatim, usque ad predictum quinquennium, per te vel per alium seu alios integre colligens, — — nuntiis eiusdem terre — — assignare procures. — — Omnes autem de regno predicto clericos et laicos, cuiuscumque conditionis — — existant, qui olim — — crucis signaculum assumpserunt, et motu proprio deposuerunt assumptum, voto huiusmodi minime adimpleto, ut illud cum devotione resumant, illos etiam, qui assumptum non deposuerunt et qui ipsum assument deinceps, ut se sic studeant preparare, quod personaliter se conferant in succursum terre predictae et quod interim huiusmodi crucis signaculum deferant, moneas efficaciter, et inducas eos ad redimendum

vota sua, vel ad transfretandum. — — Verum quia, sicut accepimus, nonnulli executores — — modum in colligendis predictis excedant, — — executoribus eisdem — — inhibere procures, ne quoquomodo ad colligenda premissa procedant. — — Ad hec cum predicatio crucis — — tibi per alias — — litteras sit commissa, nos volentes, ut negotium huiusmodi eo efficacius prosequaris, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, iniungendi — — omnibus predicatoribus et executoribus crucis, — — ut tibi assistant, obediant, pareant et intendant, assumendi etiam aliquos ecclesiarum prelatos, aliosque religiosos et seculares eiusdem regni, — — ut — — tibi assistant, — — cogendi, faciendi etiam quinque clericis, qui tecum in ipso negotio laborabunt, — — prebendarum — — suarum proventus — — integre ministrari. — — Concedimus insuper tibi, ut cum ad aliquam villam vel ecclesiam regni predicti, ecclesiastico interdicto suppositam, te declinare contigerit, possis interdictum huiusmodi suspendere. — — — Preterea absolvendi — — eos, qui contra prohibitionem — — sepulchrum dominicum visitarunt, ac illos, qui portaverunt ferrum, arma, lignamina et merces prohibitas Sarracenis; quoslibet etiam clericos, — — necnon presbiteros, qui contra constitutionem ecclesie, leges vel physicam audierunt, ab excommunicationum sententiis, quibus propter hoc tenentur astricti, et dispensandi cum illis, qui excommunicati vel suspensi alias immiscentes se divinis, irregularitatem aliquam incurrerunt, dum tamen cruce signati existant, vel crucem recipiant; — — — absolvendi insuper, durante commisso tibi huiusmodi crucis negotio, — — omnes illos, quos pro violenta iniectioe manuum in viros religiosos et clericos, seculares, vel etiam pro incendio incidisse compereris in canonem sententie promulgate, dummodo — — satisfaciant competenter et — — signum crucis receperint, — — — plenam et liberam concedimus facultatem. — — — Datum apud Urbem veterem V. Non. Oct., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 246—249. Wenzel l. c. III. 48—53.

### 635.

1263. 4. Oct. — Urbanus PP. IV. Archiepiscopo Strigon. verbum crucis praedicare mandat.

Urbanus — — Archiepiscopo Strigon. — — — Cum — de te, quem habere credimus timorem domini et amorem, quique multiplicibus donis virtutum peditus, laudabiliter scis et vales proficere, ubi labores impendis, magnam in domino fiduciam habeamus, — — rogamus et hortamur attente, — — quatenus huiusmodi predictae terre (sancte) statum Christi fidelibus in Regno Un-



garie — — diligenter exponens, eisque proponens sollicite verbum Crucis, ipsos — — intentis inducas monitis et sedulis predicationibus exhorteris, ut — — crucis suscepto signaculo, illuc — — cum festinatione procedant. Et ut circa id eo libentius et animosius intendant, — omnibus vere penitentibus et confessis, qui huiusmodi laborem — — subierint, — plenam suorum peccaminum veniam indulgemus. — — Ut autem commissum tibi huiusmodi ministerium facilius et utilius exequi valeas, — — convocandi ob id, quotiescumque et ubicumque videris expedire, cleros et populos locorum, in quibus te — proponere contigerit verbum crucis, ut processionaliter cum devotione conveniant, et predicationibus — intersint; Cleros etiam ad id — — compellendi, ac pro eisdem predicationibus ferias — — indicendi, concedendi quoque omnibus, vere penitentibus et confessis, qui ad easdem convocationes et predicationes — accesserint, centum dierum indulgentiam, plenam concedimus — — potestatem. — — Datum apud Urbem veterem IV. Non. Oct., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 249., Wenzel l. c. III. 54.

### 636.

1263. a. 14. Oct. — Bela IV. magistro Ladislao, Archidiacono Honthensi, terram in villa Gyerk confert.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie Cumanieque Rex, omnibus, quibus presentes patuerint, salutem in omnium saluatore. Regalis circumscriptio solite benignitatis oculis intuens merita singulorum, licet omnibus impendere satagat seruiciorum grata premia, seu laborum; ampliori tamen beniuolencie sue debet illos munificencia refouere, qui quodammodo uoluntate propria abdicata, soli gracia innitentes, cottidianorum seruiciorum fomentis Regum quietant animum et obsequiosos se exhibent uniuersis. Proinde cum fidelis noster magister Ladizlaus, archidiaconus Huntensis, aule nostre notarius familiaris, per suorum obsequiorum merita sit fauore Regio non inmerito prosequendus, ipsius petitionibus incitati, totam terram Castri Huntensis in villa Gerky, ac in eius territorio iuxta I pul existentem, adiacentem mixtim cum terra Strigoniensis ecclesie et cum terra eiusdem Magistri empticia, quam a Pousa et fratre suo, necnon a Marco comparauit, in qua quidem terra Castri, Janus et quidam alij duo castrenses residebant, contulimus cum loco molendini, ac cum omnibus pertinentiis et utilitatibus suis eidem magistro Ladizlao, perpetuo valiture donacionis titulo, ex certa sciencia, ab ipso Castro liberatam penitus et exemptam. Volentes, ut de ipsa terra, sicut de sua empticia, ordinandi et disponendi, prout uoluerit, liberam habeat faculta-

tem. Vt igitur huius nostre donacionis series robur optineat perpetuo firmitatis, presentes eidem Magistro concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Farcasij Electi albensis, aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo cc<sup>o</sup>. Sexagesimo tercio. Regni autem nostri anno vicesimo octauo.

A tergo: Privilegium de Geriky. — Sig. e serico nigro pendebat. Orig. nitide exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 19. Fasc. 1. Nro. 2. — Extr. sed erronee ad a. 1262., Fejér Cod. dipl. IV. III. 66. — Ed. Cod. Strig. II. 86. et Wenzel l. c. VIII. 61.

### 637.

1263. a. 14. Oct. — Bela IV. Rex Comiti Andree, Judici Neosoliensi, silvam quandam confert.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Vniuersis xpi fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in Omnium saluatore. Vt contractus, qui fiunt per consensum Regium, stabiles perseuerent, litterarum solent testimonio roborari. Inconcussum quippe permaneat, atque firmum, quod Regio fuerit patrocinio communitum. Ad vniuersorum ergo tam presencium, quam futurorum xpi. fidelium noticiam, tenore presencium volumus peruenire, Quod nos consideratis fidelitatibus et seruiciorum meritis Comitis Andree fidelis villici nostri de Byzterchebana, que nobis in conseruacione et ampliacione ville nostre predictae cum omni feruore fidelitatis inpendit, maxime in augmentacione argenti fodinarum nostrarum de supradicta villa, in quibus lucrum nostre Regie maiestati non modicum augmentatur, acceptabiles exhibuerit famulatus, pro quibus coram nostre maiestatis oculis meruit multipliciter complacere, Quandam siluam et terram, inter prenominatam villam nostram Byzterchebanam et Lypsche existentem, cum omnibus vilitatibus et pertinencijs suis, sub metis et terminis infrascriptis et a iurisdictione et potestate Comitum de Zolum, pro tempore constitutorum, exceptam penitus et exemptam, eidem Comiti Andree, et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus et contulimus perpetuo et irreuocabiliter possidendam. Verum quia de statu et circumstancijs, qualitate et quantitate eiusdem Silue et terre nobis veritas ad plenum non constabat, dilecto et fideli nostro Ditrico, Comiti de Zolum, filio Comitis Myke, dedimus in mandatis, vt qualitatem et quantitatem, circumstancias et statum dicte Silue et terre nobis fideliter intimaret; qui postmodum cognita veritate, nobis suis litteris intimaui, nostre celsitudini dictam Siluam et terram pertinere et quod eandem statuisset Comiti Andree antedicto, presentibus Jobagionibus Castri no-

stri et alijs commetaneis et vicinis, nemine contradicente, iuxta mandatum nostrum, sibi super eo commissum. Cuius quidem Silue et terre mete hoc ordine distinguntur, prout per eosdem homines comprehensse extiterunt atque vise: prima meta incipit, ubi quidam Riwlus, qui Celnice nominatur, cadit in fluuium Goron et ibi sunt due mete terre, et ascendit directe per ipsum usque ad capud eiusdem, et inde ascendit directe vsque ad magnum Lapidem, qui est circa montaniam, et de illo lapide directe usque ad piscinam, que nominatur Gezerna. Deinde uadit ad Capud fluuij, qui Lypche nominatur, et per ipsam aquam descendendo, ascendit ad montem, vbi est lapis, qui thurstan nominatur et de illo monte ad paruum montem pynosum (?), et inde peruenit ad duas metas, quarum vna est arbor Tulgfa, et alia est meta terrea et descendit ad quandam vallem, vbi est Riuulus, qui magna ystubna nominatur, vbi sunt due mete terre; deinde descendit per eandem aquam usque ad magnam viam Lypche, vbi sunt due mete terre, et descendit per eandem viam usque ad lacum, qui est retro montem Preboy, et per illum lacum descendit usque in fluuium Goron, et transeundo ipsum fluuium, ascendit versus orientem vsque ad Riuulum, qui dicitur profundus fluuius, et ascendit vsque ad Caput eiusdem fluuij, et de eodem ascendit vsque ad cacumen montis et descendit per uerticem montis eiusdem vsque ad fluuium Mulscha nominatum, et transit eundem fluuium, ascendit altum montem, qui est vltra fluuium, Mulscha, et descendit de eodem monte usque in fluuium Goron, et ibi est quedam Insula, et de eadem Insula ascendit vsque ad Riuulum Celnice prenommatum, et ibi terminantur. Vt igitur nostre collacionis <sup>1)</sup> robur optineat perpetue firmitatis, nec possit processu temporum per quempiam in irritum retractari, presentes eidem dedimus litteras, duplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri farcasij, Zagrabiensis electi, Aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>. III<sup>o</sup>. Regni autem nostri Anno X<sup>o</sup>X<sup>o</sup>. VIII<sup>o</sup>.

E transumto Cap. Strig. a. 1338. — Vide Nrum. 778. Erronee Wenzel l. c. III. 40.

### 638.

1263. 23. Oct. — Urbanus PP. IV. volens omnes cruce signatos et cruce signandos in Regno Hungarie pro subsidio terrae sanctae singularis privilegii praerogativa gaudere, eisdem ut extra dioeceses, in quibus ipsi et eorum bona consistunt, in causam trahi vel ad iudicium evocari non possint, bulla

1) Emausit: series.



sua, ad Archiepiscopum Strigon. directa, indulget. Datum apud Urbem veterem X. kal. Nov., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 250., Wenzel l. c. 57.

## 639.

1263. 23. Oct. — Urbanus PP. IV. universis episcopis Hungariae iungit, ut Archiepiscopo Strigon., cui praedicationem crucis pro terrae sanctae subsidio commisit, et aliis, quos in hoc ipse Archiepiscopus cooperatores elegerit, circa ipsius negotii prosecutionem ferventer assistere studeant. — Datum apud Urbem veterem X. kal. Nov., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 251., Wenzel l. c. III. 57.

## 640.

1263. 11. Nov. — Urbanus PP. IV. Archiepiscopo Strigon. committit, ut magistro Mathiae Bissenio, clerico Vesprimiensis dioecesis, doctori nepotum Episcopi Praenestini, cum in ipso dictum Praenestrinum Episcopum, qui eum affectuosis precibus commendavit, honorare velit, de beneficio aliquo ecclesiastico, annuas 15 marcas inferente, provideat. — Datum apud Urbem veterem III. Id. Nov., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 251., Wenzel l. c. III. 59.

## 641.

1263. 17. Nov. — Urbanus PP. IV. Archiepiscopo Strigon., ut pensionem Episcopo Aquinati fugato, colligi et eidem assignari faciat.

Urbanus — — Archiepiscopo Strigon. — — Cum nos — — R. s. Angeli diacono Cardinali — — dederimus — in mandatis, ut — — Episcopo Aquinati, qui ab ecclesia sua per inimicos Romane ecclesie fugatus, experiri cogitur insolita incommoda paupertatis, pro se et quinque personis et tribus equitibus provisionem congruam — — ab ecclesiis et monasteriis Ungarie — — usque ad triennium — — faceret assignari, ac idem Cardinalis in tua provincia in centum et quinquaginta libris Turonensibus — — annis singulis ordinaverit dicto epi-

scopo provideri, decernens dictas — — libras per te — — eisdem ecclesiis et monasteriis proportionaliter imponendas; — — — mandamus, quatenus predictas — — libras prefatis ecclesiis et monasteriis — — imponens, ac collegi faciens, eas predicto Episcopo facias assignari. — — Datum apud Urbem veterem XV. kal. Dec., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 252., Wenzel I. c. III. 60.

## 642.

1263. — Bela IV. ius patronatus Monasterii s. Pantaleonis de Insula, a Magistro Gabriele de genere Sudan, quia contra promissum illud non restauravit, aufert, et Philippo Archiepiscopo Strigon. ac successoribus etiam quoad temporalia confert.

BELA Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex. Omnibus, presentem paginam inspecturis, salutem in uero salutari. Illa mera liberalitas reputatur, ibi regalis munificencia excellencius declaratur; ubi sic ecclesie consulitur, ut per eam cultus diuini nominis augeatur. Ad uniuersorum igitur noticiam harum serie uolumus peruenire, quod cum Monasterium sancti Panthaleonis de Insula, depressum penitus et destructum tempore Thartharorum, cordi nobis esset regali prouidencia, qua erga omnes ecclesias Regni Hung. cura astringimur speciali, in statum reducere meliorem; ius patronatus ipsius Monasterij Magistro Gabrieli, de genere Sudan, ad instantem petitionem eiusdem, promittentis statum ipsius Monasterij reformare, non tam sibi, quam ecclesie in hoc consulere cupientes, duximus tunc temporis conferendum. Sed licet uerbo promisit, ut sarta tecta Monasterij resarciret, dispersos populos reuocaret et cultum diuinum in congregatione fratrum ibidem degencium augmentaret, non tamen usque ad uiginti tres annos ab eo tempore, uel amplius, id effecit opere, quod uoce extrinseca attentius promittebat. Clammore itaque populi, ymo ipsa rerum euidentia ad nostram super hijs audienciam ascendente, quod idem Gabriel, de generatione prefata, religioni minime consulendo diuine, ea, que ipsius monasterij usibus a fundacionis sui tempore fuerant dedicata, suis proprijs usibus applicasset, quod potius posset facto, quam litteris explicari. Nos, qui ex officio suscepti regiminis tenemur ecclesie sancte dei, a qua diuino munere regni sceptrum suscepimus et habemus, tamquam uniuersarum ecclesiarum Regni Hung. Patroni, uolentes prospicere meliora, desolacioni prefati Monasterij ex animo condolentes, quia ipsa immensitas donacionum est in rebus ecclesie, collatis a Principibus, non habere mensuram, ipsum ius patronatus a prefato magistro Gabriele et eius filijs, de consensu baronum nostrorum in pleno Consistorio, propter causas adnotatas superius, auferentes, venerabili Patry Philippo Strigon. Archiepiscopo,

aule nostre Cancellario, et per eum Strigoniensi ecclesie, iure duximus perpetuo conferendum, ut ipsum Monasterium de personis regularibus informaret et deperdita restauraret, ipsique Strigoniensi ecclesie, cui autea in spiritualibus attinebat, tanquam iam pleno iure subiectum, eciam in temporalibus responderet. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum apud magnam Insulam Anno dom. Millesimo Ducentesimo Sexagesimo Tercio. Regni autem nostri anno.

Sigillum e serico rubro et violaceo dependebat. In dorso coeua manus adscripsit: Littere super Insula Penteley. — Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. A. Fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 144., qui Annum regiminis addidit XXVIII-um, in originali non expositum. Extr. ib. 150.

### 643.

1263. — Bela IV. Rex decimas districtus Tornensis, propter suam continuam in villa Görgö residentiam, in sustentacionem curiae suae ab Archiepiscopo Strigon. parata pecunia redimit.

Bela Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crouacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod venerabilis in xpo. pater Philippus, archiepiscopus Strigon., fidelis noster, decimas suas archiepiscopales, in districtu de Torna existentes, quas in specie ciues burgenses, <sup>1)</sup> rustici et uniuersi hospites, ac cuiusuis condicionis homines, sibi et ecclesie sue predictae persolvere more teutonico usque modo consueuerunt, in frumento videlicet, siligine, ordeo, auena, milio, lino et canapo (sic), apibus, edis, agnis et suellis, propter nostram continuam residenciam et Curie nostre conseruacionem in villa nostra. Gurgeu uocata, quia uictualia nostra de partibus longinquis inibi grauiter defferebantur, ob instantem petitionem nostram et domine Marie, karissime consortis nostre, dedit et assignauit pro nobis dicandas et exigendas, ac usui nostro applicandas, sub tali forma et condicione, quod predictis decimis singillatim in unum congregatis, per officiales nostros, scilicet magistrum Petrum, dictum biluk, Curie nostre dispensatorem, et Karachinum magistrum Curie eiusdem domine Regine, consortis nostre, presentibus officialibus, seu decimatoribus Gumuriensibus <sup>2)</sup> eiusdem domini Archiepiscopi, scilicet Paulo Cappellano suo de Welkune <sup>3)</sup> et magistro Mathia de Pyspuky, nunc existentibus

1) Fejér: G ü r g e n s e s !

2) Ib. Gurgensibus !

3) Ib. Bilkune !



de Comitatu Gumuryensi <sup>1)</sup> predicto, uel alijs decimatoribus, seu officialibus suis, qui fuerint inibi pro tempore deputati, estimatis in ualore, pro pecunia, seu moneta numerata, quantum in sumpma, uel in toto ualuerint, predicto domino archiepiscopo, uel suo successori, qui fuerit pro tempore, de Camera nostra sine dilacione persolui faciemus et in futurum assumptimus persolueudas omni anno, durante condicione memorata, (quas si non soluerimus, uel nostri successores non soluerint, predicta solucio super nos et nostros successores crescat sine diminucione pro quolibet anno persoluenda. <sup>2)</sup> Promittentes nos et domina Regina, consors nostra, consciencia nostra mediante, quod propter talem locacionem predictas decimas perpetuo nostro et nostrorum successorum usui nolumus applicare, nec eciam causam perpetuacionis ex hoc nostris successoribus uolumus de tali locacione prouenire; sed liberum arbitrium dabimus exnunc, prout extunc, predicto domino archiepiscopo, uel suis successoribus, quando uoluerint, reuocandi et iterato in specie decimas predictas, modo predicto exigendas, suo usui applicandi, prout est sua propria et sue ecclesie fuit et erit in futurum. Et ut talis locacio de memoria hominum euelli non possit et cupiditatis voracitas in animarum nostrarum dispendium et grauamen per nos et nostros successores nostros ampliari; litteras nostras super hoc conuencionales, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas, predicto domino archiepiscopo et sue ecclesie fecimus assignari. Saluis semper liberis decimis duarum de Torna scilicet et Wendegij villarum, pro sacerdotibus ecclesiarum remanentibus, quas predictus dominus archiepiscopus et sui predecessores liberas eisdem relinquerunt, ad nostram instanciam specialem. Datum per manus magistri Farkasij, aule nostre Vicecancellarij. Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LX<sup>m</sup>. Tercio.

Sigillum e rubro et viridi serico pendeat. Orig. humore maculatum ex Arch. Primat. resignatum est Episcopo Rosnav., qui nobis Orig. hoc fine desumendae copiae liberaliter concessit. — Ed. Fejér Cod. dipl. IV. III. 126.

---

644.

1263. — Archiepiscopus Strigon. vineam quamdam in promontorio Cholnok Monialibus de insula leporum confert.

Extr. Fejér Cod. dipl. IV. III. 151., V. I. 278. autem ad a. 1272. ponit. Vide Num. 647.

---

1) Ib. Scimegiensi!

2) Ib. voces hae parenthesi inclusae omissae sunt.

## 645.

1263. — Gregorius Praepositus et Capitulum Strigon. de terra trium aratorum in terra Yztervecz, per Wythe de villa Kezu prope Kubul-kut vendita, litteras edit.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 176.

## 646.

1263. — Magister Benedictus Praepositus Orodienſis fidelitatem iurat „Beato Adalberto, Sanctaeque Strigon. Ecclesiae, ac vobis Domino meo Philippo Strigon. Archiepiscopo, vestrisque successoribus canonice intrantibus.“

Fejér Cod. dipl. IV. III. 164. — Originale, iuxta Fejér in Archivo Primatiali existens, nobis ad manus non venit.

## 647.

1263. — „Abbatissa et sorores eiusdem de insula Strigoniensi — vineam de Cholnuk, quam dominus B. Archiepiscopus Strigon. nobis reliquerat et dominus Rex eandem sororibus de insula Beate Virginis (seu Budensi) contulit,“ pacifice eis possidendam relinquunt; „ita tamen, quod ipse pro sua liberalitate ad subleuandam paupertatem nostram de suis bonis pacifice nobis prouiderunt.“

Wenzel l. c. VIII. 79.

## 648.

1264. 13. Febr. — Urbanus PP. IV. scientiae, honestatis et devotionis merita magistri Ladislai archidiaconi sancti Leustachii in ecclesia Strigon., clerici Belae Regis Ungariae, remuneraturus, eidem indulget, ut praeter Archidiaconatum sancti Leustachii, curam animarum habentem, possit in Jauriensi, vel Vesprimiensi, aut Quinqueecclesiensi dioecesis unicum aliud beneficium ecclesiasticum cum animarum cura licite recipere et libere retinere. — Datum apud Urbem veterem Id. Febr., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 266., Fejér Cod. dipl. IV. III. 228.

## 649.

1264. 31. Martii. — Urbanus PP. IV. Magistro Roberto, subdiacono suo, Archidiacono Quinqueecclesiensi in Wilko (Valko), Capellano Stephani Vanchai Episcopi Praenestini, „Canonicatum Ecclesiae Strigon. et praebendam, quos quondam Magister Gerardus de Parma, eiusdem ecclesiae Canonicus, in ea obtinuit, necnon redditus et portiones, quos idem Magister in Ecclesia s. Nicolai de Pispucki in Colloktuz (Csallóköz) Strigon. dioecesis habuit, vacantes per ipsius obitum, qui nuper est viam universae carnis ingressus,“ confert, ac eum per annulum suum praesentialiter investit. — Datum apud Urbem Veterem II. Id. Apr., P. a. 3.

Koller Hist. Ep. Quinqu. II. 189., Fejér Cod. dipl. IV. III. 232.

## 650.

1264. 12. Apr. — Urbanus PP. IV. Oratio Praeposito ecclesiae de Posega, Quinqueecclesiensis dioecesis, nepoti Episcopi Praenestini, attendens suae merita probitatis, ac per hoc et contemplatione Episcopi Praenestini, patris sui, volens gratiam facere specialem, eidem sanctae Crucis in Susol et sanctae Mariae Magdalenae ecclesias, curam animarum non habentes, Strigoniensis civitatis et dioecesis, quas quondam magister Gerardus de Parma, obtinuit, vacantes per ipsius obitum, qui nuper est viam universae carnis ingressus, confert, ac per annulum praesentialiter investit. — Datum apud Urbem veterem II. Id. Apr., P. a. 3.

Eidem 18. Mart. Canonicatum in Ecclesia Paduana vacantem aut proxime vacaturam addicit.

Theiner Mon. Hung. I. 267., Fejér Cod. dipl. IV. III. 229. 231.

## 651.

1264. 30. Apr. — Urbanus PP. IV. Praeposito Strigon. mandat, ut Andream clericum, natum Andreae de Meniis, laici Strigon. dioecesis, in aetate tenera constitutum, de quo Papae datur intelligi, quod ipse, domino concedente, virum producere debeat moribus placidum et scientia gratiosum, in ecclesia Albensi, Vesprimiensis dioecesis, recipi faciat in Canonicum — —. Datum apud Urbem veterem II. kal. Maii, P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 267., Wenzel I. c. III. 88.



## 652.

1264. 6. Maii. — „Philippus miseratione Diuina a. Strigon. Ecclesie Archiepiscopus, eiusdemque loci Comes perpetuus, aule Regis Cancellarius, — de gratia speciali“ Decano et Plebanis de Scibinio, „ad nos et Ecclesiam nostram immediate pertinentibus“, indulgit, „ut nullus citationem, uel appellacionem, ad nos eciam ex legitimis causis interpositam, contra aliquem uel aliquos eorum facere presummat, nisi prius Decano eorum secundum iuris ordinem requisito; et si idem Decanus in exhibenda iustitia insufficiens apparuerit, negligens uel remissus, vt tunc demum in huiusmodi casibus ad nostram presentiam licite citetur et etiam appelletur. — Datum Strigonii a. d. M. CC. sexagesimo III., intrante Maio die sexto.“

Teutsch et Firnhaber Urkundenbuch zur Geschichte Siebenbürgens I. 79., Wenzel l. c. III. 107.

## 653.

1264. 6. Maii. — Philippus Archiepiscopus Strigon. sumptibus et laboribus Decani et Plebanorum de Cibiniensi dioecesi ultrasilvana, „ad nos et sanctam Ecclesiam Strigon. immediate spectantium, quos ad nos propter longam viae distantiam pro sacramentis episcopalibus recipiendis veniendo et redeundo sustinent,“ parcere cupiens, eisdem de gratia speciali concedit, „a quocumque catholico Episcopo voluerint, omnia sacramenta episcopalia de nostra licentia liberam habeant recipiendi facultatem; hoc tamen cautelae studio adhibito, — quod hoc idem Episcopus non suo iure, sed nostra auctoritate — faciat, — et ipsas litteras illius episcopi — singulis annis in concilio provinciali, supradicti plebani per suos procuratores nobis praesentare et exhibere teneantur. — Datum Strigonii intrante mense Maio die sexto.“

Benkő Milkovia I. 93., Katona Hist. Crit. VI. 422., Fejér Cod. dipl. IV. III. 240. — Haec tamen cautela non videtur effectuada fuisse, quia eiusmodi litterarum Episcopaliū nulla supersunt vestigia.

## 654.

1264. 10. Maii. — Bela IV. merita Sixti, lectoris Strigon., in diuturna legatione Romana comparata, donatione terrae Hetény remuneratur.

Bela dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lomerie, Cumanieque Rex, Ommnibus, tam presentibus, quam futuris, presentes

litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. Regum proprium esse debet, vt fideles suos, erga se benemeritos et obsequiosos, qui vt Res eorum publica honoretur, vel saluetur, se non dubitant fortune et periculis terra marique exponere, prosequantur Munificencia gracie specialis. Proinde ad vniuersorum Noticiam harum serie volumus peruenire, Quod cum discretus vir, Magister Sixtus, lector Strigoniensis, dilectus et fidelis Clericus noster, missus per nos ad Curiam Romanam, ibidem pro Regie dignitatis honore et bono statu Regni nostri, spretis Capitalibus inimicis aduersariorum et Emulorum nostrorum, aeris intemperie et alijs incommodis innumerabilibus, permultos annos subeundo Jurgiorum laboriosum certamen, defendisset nos et Jura Corone nostre fideliter et prudenter, Alia quoque plurima nostra et Regni nostri Negocia, sibi in prefata Curia ad promouendum commissa, laudabiliter et vtiliter procurando. Nos hac consideratione permoti, licet sibi pro huiusmodi grauissimis laboribus et ingentibus meritis debuissimus in alcioribus et maioribus Remuneracionum stipendijs respondere; ad presens tamen quandam terram, Nomine Hethen, quam prius agasones nostrj condicionales et homines castri de Comaron et quidam preco noster ad plus numero quindecim Mansionum, pretextu condicionum et seruiciorum suorum inhabitabant, dicto Magistro Sixto, suisque successoribus et heredibus, contulimus et conferimus, irreuocabiliter perpetuo possidendam; Ita, ut Idem Magister memoratam terram Heten, tanquam verus dominus ex nostra effectus donacione, possideat perhempniter pleno Jure et donandj inter viuos, vel in morte relinquendi, cuicunque voluerit, liberam semper habeat facultatem. Vt igitur huius nostre donacionis series robur optineat perpetue firmitatis, nec per quempiam processu temporis retractarij valeat, Aut In Irritum reuocari, presentes concessimus litteras, dupplici (sic) sigilli nostrj Munimine roboratas. Datum per Manus Magistri Farcasij, Albensis electi, Aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno dominice Incarnacionis millesimo ducentesimo sexagesimo quarto. VI<sup>o</sup> Idus Maij, Regni autem nostri Anno vicesimo Nono.

E trans. Ulad. II. a. 1505. In Arch. Prim. Sec. Lad. C. Fasc. 3. Nro. 23. — Partem ed. Fejér l. c. IV. III. 200. — Ed. Cod. Strig. I. 50.

## 655.

1264. 25. Maii. — Zozimas Episcopus Varadiensis Capitulo Ecclesiae Strigon., in qua sepulturam elegit, possessionem Berey confert.

Zozymas, dei gracia Episcopus Waradiensis, vniuersis xpi. fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. Quicquid in usus pios expenditur, id non amittitur, sed potius conseruatur, cum taliter faciendo, in celis tesorizari dicatur, ubi nec tinea demolitur, nec fures efodiunt, uel furantur. Ad vniuersorum itaque noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum nos apud Strigonium constituti, exigente nostrorum mole peccaminum, in grauem et fere ineuitabilem corporis infirmitatem incidissemus et diuina dispositione accersiti, naturale debitum, quod per culpam prothoplausti certum est euadere nulli posse, soluere deberemus, Animaduertentes eciam, quod Lege nature omne compositum in sua componencia resoluitur, nec de priuacione ad habitum aliquatenus fit regressus, curauimus, ut debuimus, saluti nostre anime, quamquam in paucis, attentius prouidere et pro temporalibus spiritualia commutare, Adoptando ecclesiam beati Adalberti martiris atque pontificis nobis in patronam, defensorem et propellatorem (sic) in omnibus specialem, cui sicut animam, ita et corpus nostrum, si eiusdem dissolutio immineat, commisimus et committimus defensandum, eligentes sub eiusdem umbraculo seu gremio refrigerij sedem et pariter sepulturam. Propter quod commoti uisceribus pietatis, fratribus dicte ecclesie beati Adalberti martiris, qui quidem fratres inges et continuas preces, tam pro uiuis, quam pro defunctis, die noctuque effundere non desistunt; uolentes nos eorum oracionibus participes effici et consortes, terram nostram, Berey nuncupatam, tam hereditariam, quam empticiam, ad nos solum pertinentem, in Symigio existentem, cum vineis, sicut hereditarijs, sic et empticijs, Siluis, fenetis, curia, domibus, cellario et omnibus alijs utilitatibus ac pertinencijs suis; Preterea duos seruos, filios Zomboth, fugitiui serui nostri hereditarij, Paulum scilicet et germanum eius et similiter predictum Zomboth, patrem eorum, si redierit, dedimus, contulimus et legauimus iure perpetuo possidendam et possidendos; ita tamen, quod quamdiu uixerimus, usum fructuum eiusdem terre seu possessionis nos percipiemus, sicut hactenus percipimus, dante deo, et hijs utemur pro nostre lubito uoluntatis. Post decessum autem nostrum eandem possessionem deuolui uolumus omni iure, quo ad nos pertinebat, ad fratres ecclesie memorate, qui pro remissione nostrorum peccaminum singulis ebdomadibus singulas missas facient celebrari. Volumus eciam, quod omnes prouentus siue fructus dicte possessionis ad cotidianam distributionem fratrum residencium et in ecclesia existencium deputentur, de quibus prepositus et Lector, quicunque fuerint pro tempore, porcionem percipiant, sicut quilibet canonicus percipit in distribucione similarum de Tyrna. Preterea uo-



lumus, quod predicti fratres ydoneam et honestam personam ex ipsis preficiant, uel assignent ad procuracionem, seu regimen possessionis antedictae. Predictis eci- am seruis dedimus et reliquimus ibidem nouem iugera terre fimate, in uno loco existencia, et uolumus, quod iidem serui et eorum heredes seu successores ma- gistro uel Rectori dicte possessionis, qui ad vindempniandum illuc accesserit, ui- ginti cubulos farine de frumento bono et totidem cubulos de Annona, cum cu- bulo Symigiensi, annuatim soluere teantur (sic). Vt autem hec nostra colla- cio seu legacio robur optineat perpetue firmitatis, presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Anno domini Millesimo Ducentesimo Sexage- simo quarto. Octauo kalendas Junij.

Sig. e violaceo serico pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 67. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. II. 87., Wenzel l. c. VIII. 104.

### 656.

1264. 25. Maii. — Zozimas Episcopus Waradiensis in recompensationem beneficiorum terram Berey, Comitatus Sümegiensis, cum duobus seruis ac patre eorum fugitivo, Ca- pitulo Strigoniensi confert.

Zozimas, miseracione diuina Episcopus Waradiensis, Vniuersis xpi. fide- libus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino. Secundum utriusque iuris, scilicet Canonici et Ciuilis, sanctiones, in officio caritatis primo loco illis tenemur obnoxij (sic), a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse et donatarius dona- tori naturaliter est obligatus ad antidota. Hac igitur consideratione ducti, cum nos a sancta Strigoniensi Ecclesia a primo nostre iuuentutis tempore, tam in nostra, quam eci- am ad nos pertinencium personis, tum succesive, tum continue plurima recepisse bona recognoscamus; in susceptorum recompensationem be- neficiorum, quamuis ex condigno non sufficientem, terram nostram, nomine Be- rey, empticiam, sitam in Comitatu Symigiensi, cum uineis nostris, siluis, fe- netis, Curia, Domibus, Cellario et omnibus utilitatibus ac pertinencijs suis, Item duos seruos, filios Zumbboth, serui nostri Hereditarij, qui aufugijt, Paulum scilicet et fratrem eius, ac ipsum Zumbboth, patrem eorum, si in fuga positum reinuenire poterint, Capitulo Sancte Strigoniensis Ecclesie inter uiuos perpetuo donauimus, contulimus, tradidimus et assignauimus, ac predictae possessionis, uinearum, siluarum, fenetorum, Curie, Domorum, Cellarij et omnium utilitatum ac pertinencium suarum, necnon seruorum pre- dictorum Dominium in predictum Capitulum pleno, quo nos habebamus et possidebamus, iure transtulimus, penes nos dumtaxat quoad uiuimus, retento predictorum omnium usufructu. Hoc eci- am adicimus, quod postquam nos deo

uolente, uiam uniuerse carnis fuerimus ingressi; pro nostre anime salute fratres predicti Capituli singulis septimanis singulas missas celebrari facere tenebuntur. Volumus eciam, quod uniuersi prouentus siue fructus dicte Possessionis ac omnium supradictorum ad cottidianam sustentacionem et distribucionem fratrum, tantummodo continue residencium et ad Horas Canonicas cottidie concurrencium, diuidantur, et deputentur, de quibus Prepositus et Lector, quicumque pro tempore fuerint, porciones percipiant, sicut quilibet Canonicus percipit, et non ultra, in distribucione simularum de Tyrna. Preterea uolumus, quod supradicti Capituli fratres unum ex ipsis, ydoneum et fidelem, preficiant et assignent ad procuracionem seu regimen Possessionis supradicte. Prefatis eciam seruis damus, tradimus et assignamus ibidem nouem iugera terre fimate, in uno loco existencia, et uolumus, quod ijdem serui et eorum heredes seu successores, procuratori, magistro, uel Rectori dicte possessionis, qui ad uindempniandum uineas supradictas illic accesserit, uiginti Cubulos farine de frumento bono et totidem Cubulos de annona cum Cubulo Symigiensi annuatim soluere teneantur. Ut autem hec nostra donacio, inter uiuos facta, tam in presenti, quam in futuro robur perpetue firmitatis optineat; supradicto Capitulo Strigoniensi super premissis omnibus presentes concessimus litteras, sigilli nostri autentici munimine roboratas. Anno Domini Millesimo Ducentesimo Sexagesimo Quarto. Octauo kalendas Junij. Indiccione Septima.

Sig. e rubro serico pendebat. Orig. eleganti calamo exaratum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 67. Fasc. 1. Nro. 3. — Ed. Cod. Strig. II. 89., Wenzel I. c. VIII. 106.

## 657.

1264. 28. Maii. — Iudices Regii piscinam Csehtó Capitulo Budensi readiudicant.

Nos Philippus Strigon., Smaragdus Colocensis Archiepiscopi, Rolandus Banus tocius Sclauonie, magister Mauricius Tauarnicorum domini Regis Senioris, Ladislaus Wayuoda Transsiluanus, magister Baas Judex Curie Illustris Regis, Iudices ab vtrisque Regibus pro utilitate Regni deputati, Significamus, quibus expedit vniuersis, quod Piscinam ecclesie Budensis, Chechtow vocatam, portui Zynta adiacentem, decreuimus restitui ecclesie Budensi memorate, a quocumque detentore sine aliqua difficultate, iusticia mediante. In cuius rei memoriam perpetuam presentibus duximus Sigilla nostra autentica apponenda. Datum in Insula sancte Marie, in uigilia assensionis domini, Anno eiusdem M<sup>mo</sup> CC<sup>mo</sup> LX<sup>mo</sup> quarto.

E trans. Sigismundi Regis a. 1389. — Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. U. Fasc. 4. Nro. 39. — Ed. Fejér I. c. IV. III. pag. 239., Wenzel I. c. III. 106.

## 658.

1264. 16. Jun. — Sol praepositus Demesiensis et Ochuz frater eiusdem, Dionisio Comiti 15 marcas „ratione debiti Thomae Archiepiscopi (Colocensis), fratris eorumdem Sol praepositi et Ochuz“, persolvunt coram Capitulo Vesprimiensi. — Datum secunda feria proxima post Octavam Pentecostes.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 250.

## 659.

1264. 20. Jun. — Urbanus PP. IV. Archiepiscopo Strigon., quatenus Girolдум de Owad clericum Jauriensis dioecesis, nepotem Timothei Zagradiensis Episcopi, in possessionem quarundam capellarum Jauriensis dioecesis, ei per Praenestinum Episcopum auctoritate papali collatarum, inducat. Datum apud Urbem veterem XII. kal. Jul., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 269., Wenzel l. c. III. 89.

## 660.

1264. 14. Jul. — Urbanus PP. IV. Strigoniensi et Colocensi Archiepiscopis, ut universos Cumanos moneant, ut illi ex eis, quibus provenit perceptio gratie baptismalis, fidem catholicam observent, reliqui vero infra certum terminum fidem suscipere non omittant, secus contra eosdem, de Regno ipso eiusque finibus penitus expellendos, verbum Crucis in Ungaria, Polonia, Boemia, Austria et aliis adjacentibus provinciis praedicent. — Datum apud Urbem veterem II. Id. Jul., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 269. — Extr. Fejér Cod. dipl. IV. III. 172., Wenzel l. c. III. 91.

## 661.

1264. 15. Jul. — Urbanus PP. IV. dispositionem Belae Regis, qua montem, tunc desertum, in silva Pelis, in quo Regina de anro, ornamentis propriis, sertis videlicet aureis et monilibus, ac rebus aliis pretiosis, quae secum de domo paterna portavit, castrum, quod Wyssegrad dicitur, fecit



opere sumptuoso construi, eidem Reginae cum Castro ipso, Comitatu et districtu de Pelis, ex illa intentione donavit, ut filia sua Margaretha et plurimae generosae virgines regni, fere centum numero, quae in Monasterio Insulae Danubii convenerant, urgente necessitatis tempore se in eodem Castro recipere valeant, ratam habet et Archiepiscopo Strigon. demandat, quatenus dictam Reginam non permittat super permissis ab aliquibus molestari. — Datum apud Urbem veterem Id. Jul., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 271., Wenzel l. c. III. 94. — E verbis his ultro apparet, arcem Visegrád, celeberrimam tardius Regum nostrorum residentiam, a predicta Maria Regina, ut iam Jacobus Rupp observavit (Magyarország helyrajzi tört. 1870. I. 43.), exstructam esse. Attamen Josephus Viktorin (Visegrád hajdan és most. Pest. 1872. 10. et Visegrád einst und jetzt. Pest. 1872. 11.) ut gloriam aedificatae arcis Slavis vindicare possit, clarum verborum horum sensum contorquet, ac ex expressione illa: „montem tunc desertum,“ in quo nempe Regina arcem exstruxit, deducere nititur, montem hunc antea non fuisse desertum, sed arcem in eodem iam exstitisse, quam tunc ruinatam, aut collapsam, Regina non a fundamentis erexit, sed solum restauravit; cum tamen expressio haec, sine preiudicio considerata, nil aliud significet, quam montem tunc, dum litterae Papae editae sunt, non fuisse amplius, ob superstructam iam eidem per Reginam arcem, desertum; desertum tamen fuisse tunc, dum eundem Rex Reginae donavit. Ceterum auctorem hunc praesumpta hic opinione laborare, inde clare apparet, quia totam argumentationis suae vim ad voculam illam „tunc“ collocat, reticet autem studio primi fontis, ipsius nempe Belae Regis, verba, quia in iis vocula illa non comparet; studio dico, quia in citati operis Theinerii exemplari meo, quo in concinnando opere suo usus est, verba haec ipse propriis manibus subtraxit. Sic autem verba haec sonant: „Carissima consors nostra, domina Maria, Regina Hungariae, quendam desertum montem, in sylva Pelis existentem, pro castro construendo — — a nobis instantanter petiit sibi dari contra hostilitatem Tartaricam, que cotidie formidabilis imminebat: nos autem, qui etiam loca huiusmodi baronibus et aliis regni nostri fidelibus largiebamur pro faciendis munitionibus, ipsi consorti nostre, domine Regine, montem donavimus, quem petebat. In quo ipsa domina Regina — — — castrum de sumptuoso fecit opere construi. — — — Nos itaque considerata magnitudine sumptuum, quos ipsa consors nostra de suo proprio in opere castri fecerat memorati, idem castrum cum comitatu et districtu de Pelis, eidem, sicut locum primitus concesseramus, dedimus, tradidimus — —.“ (Theiner l. c. 253.) Non ergo vocula illa „tunc“ hic occurrit, sed simpliciter „desertus mons“ appellatur, acquiparaturque aliis huiusmodi locis, pro extruendis arcibus regnicolis concessis, in quibus certe non exstiterunt antea iam arces. Non ergo slavi, nisi forte ut operarii serviles, arcem hanc exstruxerunt, nec illa aetatem Belae IV. Regis excedit.

---

## 662.

1264. 15. Jul. — Urbanus PP. IV. Archiepiscopo Strigon. committit, ut Belam, Ducem Sclavoniae, in donatis eidem per Belam Regem Castris „de

Nitria, de Posonio, de Musum, de Supprio<sup>4</sup> et Ferreo Castro contra quoslibet impeditores conservet. — — Datum apud Urbem veterem Idibus Jul., Pont. a 3.

Theiner Mon. Hung. I. 272., Wenzel l. c. III. 97.

---

663.

1264. 15. Jul. — Urbanus PP. IV. episcopo Nitriensi, ut magistrum Sixtum, capellanum papalem, Scholasticum Strigoniensem, clericum et nuncium Belae Regis, morum et scientiae meritis praeclarum, cum idem archidiaconatum, quem in ecclesia Jauriensi pacifice obtinet, velit libere resignare, in Zagrabiensi, vel aliqua cathedrali, aut alia ecclesia, provincie Strigon, in Canonicum recipi procuret. — Datum apud Urbem veterem Id. Jul., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 274., Wenzel l. c. III. 100.

---

664.

1264. 16. Jul. — Urbanus PP. IV. Archiepiscopo Strigon., ut Stephanum, iuniorem Regem, ad restituendas matri suae certas villas et terras per censuram ecclesiasticam stringat. — Datum apud Urbem veterem XVII. kal. Aug., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 276., Extr. Fejér Cod. dipl. IV. III. 217., Wenzel l. c. III. 101.

---

665.

1264. 21. Aug. — Urbanus PP. IV. ad denuntiationem Strigoniensis Archiepiscopi, loci Metropolitanus et aliorum praelatorum et clericorum, inquisitionem contra Job Quinqueecclesiensem Episcopum faciendam Abbati de Pelis et collegis eius committit. — Datum apud Urbem veterem XII. kal. Sept., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 277., Fejér Cod. dipl. IV. III. 238.

---

## 666.

1264. 23. Aug. — Urbanus PP. IV. Praeposito Sancti Georgii Strigoniensi committit, ut Aegidium, presbyterum Jauriensis dioecesis, qui cum magistro Xisto, capellano papali, clerico et nuncio Regis et Reginae Ungariae, pro ipsorum obsequiis ad apostolicam sedem accessit et propter hoc non modicum laboravit et etiam commendatus de honestate morum et vitae, nec non litterarum scientia, nondum est assecutus beneficium ecclesiasticum, de quo commode possit sustentari, in Canonicum Budensem recipi faciat. — Datum apud Urbem veterem X. kal. Sept., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 277., Wenzel l. c. III. 103.

## 667.

1264. 23. Aug. — Urbanus PP. IV. Valentino, diacono Strigoniensi, qui sicut ex parte Regis Hungariae fuit propositum, defectum natalium, quem de presbytero genitus et soluta patitur, studio bonae conversationis et vitae, litterarum scientia et vitae amplexu redimere dinoscitur, intuitu praedicti Regis, qui per suum specialem nuncium apostolicam pro illo gratiam affectuosis precibus fecit implorari, indulget, ut huiusmodi non obstante defectu, in presbiterum promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere valeat; maxime cum defectus ipse in illis partibus, sicut asseritur, sit occultus. — Datum apud Urbem veterem X. kal. Sept., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 278.

## 668.

1264. 2. Sept. — Urbanus PP. IV. Archiepiscopo Strigon., ne in provisione Episcopi Aquinati ulterius procedat.

Urbanus — — Archiepiscopo Strigon. — —. Olim tibi et — — Paulo Vesprimiensi Episcopo, tunc preposito ecclesie de Alba, super provisione — — Episcopo Bisinanensi — — in tua provincia facienda, nostras — — litteras dicimur direxisse.<sup>1)</sup> Prelati quoque et clerici eiusdem provincie partem — —

1) Litterae hae latent.



pecunie — — ipsis imposite dicto episcopo solvere — — inceperunt. Postmodum vero, pro quodam alio episcopo de regno Sicilie super provisione, videlicet sibi ab ecclesiis et monasteriis Ungarie facienda, nostras — — litteras ad certum executorem dicimur destinasse, qui — ordinavit, ut eidem episcopo in centum et quinquaginta libris Turonensibus deberet a monasteriis dicte provincie annuatim usque ad triennium provideri.<sup>1)</sup> Tuque, cui dictus executor assignetur commisisse, ut provisionem huiusmodi dicto episcopo — — assignares, eam sibi fieri in eadem provincia mandavisti, quamquam prelati et clerici eiusdem provincie — — recusaverint ipsam eidem episcopo assignare. Cum itaque intentionis nostre non fuerit, ut in predicta provincia, in qua eodem Bisanensi (sic) episcopo — — exhibetur provisio — —, deberet alii episcopo dicti regni in provisione consimili provideri; — — — mandamus, quatenus — — in negotio provisionis eiusdem episcopi in dicta provincia — — ulterius non procedas. — — Datum apud Urbem veterem IV. Non. Sept., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 278., Wenzel l. c. III. 105.

### 669.

1264. a. 14. Oct. — Bela IV. Rex monasterium s. Leustachii de Csuth, a se fundatum, pluribus possessionibus dotat.

Bela dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Omnibus, presens scriptum inspecturis, Salutem in eo, qui est salus omnium. quoniam sumpma ratio est, que per Religionem summopere vigilare habet,<sup>2)</sup> Regali munificencia religiosis domibus manus munificas debet aperire, quia non dubium est, centena recipere stipendia pro impensis, cum Rex eternus tempus acceperit et vnique iuxta sua merita digna commercia inceperit erogare. Ad vniuersorum igitur noticiam harum serie volumus peruenire, Quod nos pia ducti deuocione erga Monasterium beati leustachij de Chwth, cuius fundatores extitimus, et patroni, Has possessiones pro remedio anime nostre eidem Monasterio contulimus, videlicet:

terram Chwth, et terram kukula, iuxta eandem existentem, condam Monasterij de Serephel, receptam pro competenti concambio ab eodem, sub eisdem metis et terminis, in quibus idem Monasterium de Serephel dinoscitur possedisse. Hospitibus, super eadem terra Chwth residentibus, talem concedentes libertatem: vt ijdem hospites villicum inter se, quem voluerint, de

1) Verba haec clare indicant, Nrum. hic 641. intelligi.

2) Hic transumptor textum mutilavit.

communi eligent voluntate, et eundem preposito dicti Monasterij de Chwth presentabunt confirmandum, qui omnes causas minores inter se exortas indicabit secundum aliorum hospitem libertatem, maiores vero causas, vtpote causam furti, homicidij, violencie, membrorum mutilaciones, effusionem sanguinis, decimarum et Incendij, Judex, per prepositum de Chwth ordinatus et statutus, Judicabit, de quibus duas partes Judiciorum percipiet Idem Judex, per prepositum deputatus, tertia parte huiusmodi Judiciorum villico eorundem hospitem remanente. Item racione census, sew terragij ijdem hospites in octaua beatj Michaelis Archangeli in quolibet anno dicto Monasterio tria pondera finiti argenti soluere tenebuntur, et munera deferent, sicut dominis terre consueuerunt exhibere in duabus solempnitatibus festis, videlicet in Natiuitate domini et in pasca.

Item in magna Insula contulimus eidem Monasterio nostro duas terras sew villas, Harus vocatas, cum decimis et Judicio, ac alijs vtilitatibus vniuersis, quarum quidem terrarum, sew villarum mete hoc ordine distinguuntur: Prima siquidem meta incipit subtus villam Harus vocatam et in inferiorj sue<sup>1)</sup> ville Bacha, filij Onuz, circa litus Danubij sunt due mete; de quibus parum procedendo vadit versus meridiem et retro domum eiusdem Bacha sunt due mete, a quibus tendit ad superiorem partem eiusdem ville Bacha, vbi sunt due mete; deinde vadit ad kapolnahegh, vbi sunt due mete et ante eundem monticulum kapolnahegh a parte meridionalj sunt due mete. Inde vadit per viam, qua itur ad ecclesiam sancti Nicolai, in locum Tyvisseswelgh vocatum, vbi sunt due mete. Abhinc parum procedendo, circa eandem viam est vna meta, de qua per eandem viam currit ad vallem Ewzmaza nominatum, in qua valle sunt due mete angulares, vbi terra Bacha a terra holharus separatur. A quibus quidem duabus metis parum eundo versus orientem . . . ad Ewzmaza sunt due mete. Inde non longe eundo in terris arabilibus sunt due mete similiter. Dehinc tendit ad montem leushegh, ante quem montem sunt due mete, et in latere eiusdem montis sunt alie due mete. Abinde . . . Wnnaghkw (?) ad duas metas, quarum vna est lapidea, altera (terre)a. Dehinc parum procedendo, in terra arabili sunt due mete, et inde peruenit ad montem kyngusholm (?), ante quem montem in arabili (terra) sunt due mete, et . . . montem sunt due mete, a quibus parum declinando ad septemtrionem ad senevswelgh, in qua sunt d(ue) mete, et ibi separat terram felharus a terra populorum Abbatis Wissegradiensis, Zeulus nominata, et ab eodem loco senevswelgh declinat interato versus orientem et vadit ad Zeksew, vbi est meta vna et de Zeksew in terra arabili parum eundo est vna meta. Inde tendit ad magnum fossatum, in quo magno fossato est meta vna, ibique terra abbatis Wysegradien-

1) Fors: fine.

sis predicta separatur a terra populorum felharus memorata, et super ipsum fossatum iuxta terram populorum de Chepel procedit ad occidentem ad angulum eiusdem magni fossati, a quo vergit directe in terris arabilibus ad monticulum kaptharhegh, et ab ipso monticulo parumper descendit ad viam, dehinc per eandem viam declinat ad partem meridionalem iterato, et super eandem viam peruenit ad foueam Ogogkelthew vocatam; de qua fouea iterum versus occidentem meat et parum descendendo peruenit ad Danobium, ibique terminatur. Et licet predictas terras, sew possessiones, felharus et olharus nominatas, metis prehabitis ab alijs terris duxerimus seperandas, tamen inter terram felharus et Chepel metas et terminos pro eo non fecimus erigi, quia villa Chepel illa eadem condicione tenetur nostre Regie maiestati, qua ville siue populi felharus et olharus tenebantur, sed solummodo signis et locorum, montium, siue vallium denominatione satis famosorum, sub quibus quidem signis populi earundem villarum inter se dinoscuntur possedissee ab antiquo, volumus separare et distingui.

Item villam fedemus, in magna Insula, cum omnibus populis melidatoribus nostris de eadem predicto Monasterio nostro contulimus, qui omni anno mel fratribus eiusdem Monasterij, sicut nostre maiestati soluere consueuerant, dare teneantur, que villa hijs metis est distincta: Prima meta incipit a parte danobij, iuxta villam Bacha predicti est meta lapidea; deinde tendit ad vnum montem, qui est inter duas vias, vbi sunt due mete. Inde vadit versus meridiem eciam ad vnum montem, vbi sunt due mete, quarum vna est lapidea et alia terrea. Inde tendit directe ad monticulum ad vnam metam lapideam. Inde vadit ad arborem populi, que Chunkawar vocatur, ad vnum metam lapideam. Inde transit ad vnum montem, vbi sunt due mete. Inde prope apud siluam vadit vsque terram Bagald ad duas metas, de quibus versus occidentem tendit ad danobium ad duas metas, et ibi terminantur. Item in eadem magna Insula contulimus eidem Monasterio nostro terram Nicola vocatam, que est inter Zenlus et felharus, sub eisdem metis et terminis, in quibus antea habita extitit et possessa, ab omni Jurisdicione Comitiss de magna Insula predictas villas penitus eximentes.

Preterea contulimus dicto Monasterio sancti leustachij terram wdornicorum nostrorum, sitam in Strigonio, intra fossatum et extra, circa ecclesiam beati Laurencij martiris et eciam in vico fabrorum, que possunt in se continere Septuaginta Curias, cum omnibus terris ad easdem pertinentibus, sub eisdem antiquis metis, quibus iidem wdornicj possidebant, et de Curijs hijs, que intra fossatum sunt, non fuit opus, vt per metas distinguantur, tam propter id, quia mixtim resident inter alios Ciues, intra fossatum existentes, tam eciam propter id, quia Curie magis note sunt, et per nullius indebitam molestacionem possunt retractari; extra vero fossatum mete terre non sunt erecte, Sed Curiarum distinciones pro metis fieri ordinauimus, Quarum prima distin-



ccio sew meta incipit inter Curias Gurk et paznan, Curia Nichilominus paznan a dextris, seu a parte meridionali ecclesie nostre beati leustachij remanente, et transeundo Curiam et ortum paznan, directe peruenitur ad Angulum cuiusdam domus, nomine puthus, in quarum distinccionem Curie, a dextris existentes, sunt ecclesie beati leustachij, a sinistris vero Capituli Strigoniensis. Ab angulo vero domus puthus reflectitur et itur iuxta magnam viam versus ecclesiam beati dominicj, et ante hostium beati dominicj reflectitur versus occidentem et itur per paruum vicum vsque viam, que vadit per medium ville fabrorum et in ipsa via reflectitur ad quatuor Curias et inter Curias Tymo et koch peruenitur vsque ad magnum fossatum et ibi distincciones seu mete Curiarum, extra fossatum existencium, terminantur.

Item contulimus ipsi Monasterio Molendinum nostrum, quod est in peych, cum duobus fundis Curiarum et feneto, quod potest quinque hominibus ad falcandum vno die sufficere et lignis, que possunt sufficere ad duo dolabra vno die.

Item ob diuine pietatis clemenciam contulimus eidem Monasterio quandam terram wdwarnicorum nostrorum, Agar nominatam, cum quinque mansionibus super eandem residentibus.

Preterea contulimus eidem Monasterio nostro duas villas, Toton vocatas et tres villas, Guum vocatas et terram duarum villarum, kemey nominatarum, et eciam quandam terram, que kyndkeurus nuncupatur, que hijs metis sunt distincte: Prima meta incipit a parte occidentali, que contigua est terre olcha. Item de Septemtrione terra kuzna ad metam eandem protenditur. Item de terra Burzwa a parte occidentali protenditur ad eandem primam metam. Item simili modo terra Boroch protenditur ad ipsam primam metam, quas prenotatas terras distingit quoddam flumen, quod Saarywe nominatur, quarum mete sunt intra fluuium nominatum, et de ipsa prima meta occidentali terra Totan protenditur cum terra Olcha per quoddam pratum magnum equaliter versus septemtrionem per finem cuiusdam Silue, Eger nuncupate, et procedit versus Monasterium Olcha. Deinde protenditur ad duas metas, que sunt circa magnam viam, que vadit de pezen et dobos, et sic transit per medium ipsius vie versus orientem ad quoddam pratum, et ex vna parte ipsius pratj est quidam monticulus, sub quo sunt due mete. Item per ipsum monticulum per longitudinem vnus Jurgeris transit similiter versus orientem et tendit ad tercium pratum et Juxta ipsum pratum protenditur versus septemtrionem, et in fine ville Olcha sunt due mete et de duabus ipsis metis transit per paruum pratum ad terram Gyapus nuncupatam et ibi iuxta quandam viam sunt due mete et exinde procedit ad pukummegye et ibi sunt due mete, videlicet Toton et pukum.

Item inde venit versus orientem vsque fonchol et ex inferiorj parte ipsius fonchol incidit in viam magnam, per quam itur (ad) villam Thulgh et iuxta eandem viam sunt sex mete villarum Toton, Fonchol et Guum, et exinde proceditur versus orientem et per ipsam viam aliquantulum eundo sunt due mete, que faciunt diuisionem Inarch et Guum; deinde procedit versus meridiem et venit ad quandam viam, de qua via itur in zeged et ibi sunt due mete ex parte cuiusdam prati, et sic versus meridiem procedit ad terram kemeij et sub una salice sunt due mete, quarum vna est Inarch et alia kemeij. Item procedit versus occidentem per viam latam et transseundo eam sunt due mete, et inde peruenit ad . . . Zoytur et retro domum eius super quandam monticulum sunt due mete. Deinde tendit ad viam, que venit de pezer et Babas et iuxta ipsam viam super quodam monticulo sunt due mete et eundo . . . foss . . . vsque in magnum fluuium Saar iuxta quandam pinum sunt due mete, quarum vna est Bessenew et alia kemey et per medium fluminis Saar tendit versus occidentem vsque ad metas superius nominatas.

Et ne (predi)ctum M(onaste)rium nostrum ratione populorum suorum predictorum vniuersorum et singulorum, cuiuscunque condicionis extiterint vel existant, sibi per nos collatorum, litibus et varijs fatigentur, ipsos populos a Jurisdicione Comitum Castrorum, in quibuscunque Comitatus existere dinoscantur, exemimus et harum serie eximimus pleno Jure. Volentes, vt illis casibus, in quibus Comites parochiales, seu Castrorum, populos aliarum ecclesiarum et Nobilium Judicare consueuerunt, nullius alterius, nisi nostre, vel successorum nostrorum Regum Judicio astare teneantur, Causas ipsorum, quas vel ipsi inter se mouerint, vel alij suscitauerint contra ipsos, Judicio prepositj de Chwth, pro tempore constitutj, decidendo. In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus literas, duplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistrj farcasij, electj albensis, Aule nostre vice Cancellarij, dilecti et fidelis nostrj. Anno domini Millesimo, ducentesimo Sexagesimo quarto, Regni autem nostri anno Vicesimo Nono.

E transunto Capituli Budensis a. 1466. In Arch. Cap. Strig. publ. Capsa 18. Fasc. 3. Nr. 8. — Ab extus manu sec. 15. „Transsumptum litterarum donacionalium et metalium prepositure de Chwth, in quibus cauetur de Capitulo Strigon.“ — Paucis commemorat Fejér VII. V. 340.

## 670.

1264. a. 14. Oct. — Bela IV. villam Nyárhid, a Cumanis propter excessus eorum auferendo, Monasterio s. Leustachii de insula Csuth confert.

Bela, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanieque Rex, Omnibus, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod nos ante omnia saluti anime nostre inuigilantes, villam Narhyd, in qua Cumani per nos fuerant constituti, propter plurimos et enormes excessus eorundem ab ipsis auferendo, cum omnibus uillis et terris, ad ipsam villam Narhyd spectantibus, uidelicet uilla Suran, Gyrok, Turmaskuz et Hydheleu, Item terra Luaz, terra vrbanus, terra seurug, terra Machard, terra Busman et terra Kucha, totisque utilitatibus et pertinencijs suis et omni tributo pontis, quibus iidem comani possidebant et tenebant, in perpetuam Elemosinam salubriter concessimus, dedimus et donauimus Monasterio sancti Leustachii, quod in insula Chuth fundauimus, in quo uiros Religiosos, prepositum et Fratres ordinis premonstratensis, deo iugiter famulantes, constituimus et locauimus, perpetuo et irreuocabiliter possidendam et easdem villas et terras dicto monasterio nostro per fidelem nostrum Mychaelem, comitem de Zoulum, certis metis uallando, fecimus assignari. Mete autem earundem, prout idem nobis in scriptis remandauit, hoc ordine distinguuntur:

Incipit itaque prima meta in terra Luaz ab occidente a fluuio Nytra, ubi de fluuio Nytra exit Fukher, ibi est meta in littore et uadit superius in terra arabili et ante villam populorum domine Regine ante pontem in campo est meta et ibit superius in uia erbosa et transiens uiam, intrat pratum et ibi est in prato meta angularis et separat terram Luaz a terra populorum domine regine et a terra Iwan de Zeg et transiens uenit ad uiam, ubi est meta iuxta uiam, post hoc intrat quandam uallem, que Her uocatur et vadit superius satis longe et ille uallis intrat magnum pratum et inter pratum et uallem est meta et uadit in illud magnum pratum et ibi est meta in medio prati sub dumo zylbukur, et hee omnes mete separant terram Luaz a terra populorum domine Regine; inde in illo magno prato procedit ad orientem et uenit ad quandam aquam, que Turmas uocatur et iuxta Turmas est meta, ex altera uero parte illius fluuij est pirus pro meta in terra abbatis de Zubur et post hoc uadit inferius in Turmas inter terram abbatis et terram Luaz ad nullam exiens partem et ibit in aqua satis longe circuendo et exit de aqua turmas quedam fossa, que Hudusher uocatur et ibi iuxta fossam et aquam Turmas est meta, sed Hudusher cedit in ius prepositi ad terram agasonum et uadit inter arabilem terram et inter Hudusher et ibi est meta prope pirum



et inde declinat ersus meridiem u in terra arabili et uenit ad metam angularem et disiungit terram Luaz a terra abbatis et terra comitis Thome de Tarnuky et uadit in Fukher, eundo inferius usque fluuium nitra et ibi terminatur.

Item in Turmaskuz incipit meta a fluuio nitra, ubi in littore in terra arabili est meta et intrat pratum, ubi iuxta domum Thome de tarnuk in prato est meta et iterum intrat terram arabilem et uenit ad aquam Turmas, ubi in littore est meta, inde intrat aquam Turmas et uadit superius in ipsa et transit ad aliam partem aque, ubi in littore est meta, inde uadit superius in prato et ante domum Thome est meta, aqua Turmas mediante et in ipso prato declinat ad orientem et transit pratum et inter pratum et Humuk est meta et inter ipsam ibit superius in tribus locis, metis impositis usque ad metam angularem, et ibi distingit terram ad narhyd pertinentem, a terris Thome et Odoword et uadit uersus Beseneu inter pratum et terram arabilem et exit ad uiam, que ducit ad Beseneu, et est meta in angulo inter pratum et uiam, et transiens uiam ibit uersus uduord in terra arabili, tribus uicibus positis metis usque ad metam angularem, que separat terram as, a terra ad narhyd pertinente; inde uertit ad meridiem et in terra arabili est meta, que diuidit terram Episcopi Nitriensis a terra narhyd, et iterum uadit in terra arabili inter meridiem et orientem et sunt in quinque locis mete posite usque ad uiam magnam, que ducit ad Oduord, et transit uiam, iuxta quam est meta; inde in terra arabili procedendo sunt due mete usque ad pratum, et iuxta pratum eundo in uia erbosa sunt tres mete iuxta eandem et ibi intrat magnum pratum aquosum, in quo est quidam monticulus, Holm dictus, in quo est meta; inde declinat ad unam aquam, que Gormouher uocatur, et ad nullam exiens partem, uadit satis longe, inde exiens de aqua et prato ad terram Oboz et ibi inter terram arabilem et pratum est meta, et ipsa adiacet terre narhyd et terre Oboz, et inde procedit uersus occidentem inter terram narhyd et terram comitis paznani, inter pratum et campum in uia herbosa sunt mete in tribus locis posite usque ad terram arabilem, in qua sunt mete in tribus locis posite et uenit ad fluuium Nytra et est in littore meta, et transit per aquam Nytra et finitur, separando terram Narhyd a terra comitis Paznani.

Item meta terre Gorok (sic) incipit a fluuio Nitra ab oriente et est meta sub Piro, que diuidit ipsam terram et terram abrae comitis, et paululum ibit in magna uia, habens metam iuxta ipsam, inde tendit superius in terra arabili inter terram Gorok et terram comitis abraam in uia herbosa, iuxta quam habet metas in tribus locis positas usque ad uiam, que ibit ad Borolh, habens metam iuxta ipsam et transiens uiam, procedit in terra arabili per unam uallem usque ad metam angularem, ubi deficit terra comitis abraam. Inde declinat ad meridiem et uenit ad uiam, que ducit ad Borolhc, et ibi iuxta uiam habet

metam, que separat terram Oduord a terra Narhyd, et redit ad septemtrionem, habens metam in campo, per quam fit distinccio inter terram narhyd et terram iobagionum castri nitriensis, et procedendo per magnam terram est meta in campo, que separat terram Soulumus a terra Narhyd, et ibi flectitur ad orientem, estque meta inter Meger et Narhyd; inde ueniens ad magnam uiam, que ibit ad narhyd, et iuxta ipsam uiam habet metam inter terram Oculman et terram Narhyd; deinde in eadem magna uia procedit uersus uillam Narhyd, distinguendo terram Narhyd et terram Gabrielis, et uenit prope uillam; exiens de uia uenit inferius usque ad fluuium nitra inter terram Narhyd et terram abbatis de Zubur et intrat ipsum fluuium et finitur.

Item mete terrarum Suran incipiunt ante domum comitis pauli de Zeg, de superiori parte molendini ipsius pauli ab oriente in littore nitra est meta, et uadit in uia herbosa ad occidentem, ubi prope uillam in eadem uia est meta, inde in eadem uia uadit superius et iuxta eandem habet metam in praticulo, et ibi intrat terram arabilem, in qua habet metam, post hoc exit ad magnam uiam, que de castro Nitriensi ducit ad Narhyd, et iuxta eandem uiam est meta, inde transeundo magnam uiam, uadit superius in terra arabili et sunt multe mete in longitudine inter terras, inde intrat campum et uenit usque metam Cheke; Sed incipiendo a fluuio Nitra usque ad metam Cheka, separatur terra comitis pauli, a terris Suran, ibique in campo declinat uersus septemtrionem et uadit in monticulo, Berch uocato, ueniens ad metam angularem, que separat terram Suran a terra Chez et iterum procedit uersus orientem in campo et sunt in campo quinque mete, ita longe ab inuicem, quod de una ad aliam uix uideri potest; postea intrat terram arabilem, in qua sunt quinque mete distincte ab inuicem, quod de una ad aliam uidetur, iuxta terram feldkuz, que nunquam aratur; inde iterum iuxta magnam uiam est meta et transeundo magnam uiam, uadit inferius in terra arabili in uia herbosa iuxta uillam Chez uocatam et usque ad uillam sunt septem mete; postea declinat quasi ad orientem, et usque ad fluuium Nitra sunt tres mete et inde uadit ad paruulum nemus, Reketias dictum et in littore circa dumum Reketia est, in quo eciam dumo est spina, que Ebfa dicitur, et intrat in fluuium Nitra, et dimidia pars ipsius fluuij cedit in ius monasterij de Chut, et ultra ipsum fluuium est molendinum filiorum Hunth, cuius dimidia pars propter dimidiam partem aque cedit in ius Monasterij; unde ex hoc sciendum est, quod ubicunque mete terre dicti monasterij ueniunt ad fluuium Nytra, in omnibus locis dimidia pars aque cedit monasterio memorato. Id eciam nolumus pretermitti, quod molendinum quatuor Rotarum, quod ijdem Cumani tenebant in fluuio Nytra, dedimus iam dicto monasterio cum uillis et terris nominatis.

In cuius rei memoriam et perpetuam firmitatem presentes concessimus lit-

teras, Duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasij, Electi Albensis, aule nostre vice cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo CC<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>. quarto, Regni autem nostri Anno vicesimo Nono.

Fragm. sigilli dupplicis e serico rubro et viridi pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. M. Fasc. 1. Nro. 3. — Extr. Fejér l. c. IV. III. 184. — Ed. Cod. Strig. I. 52.

## 671.

1264. 11. Nov. — Maria Regina Magistro Sixto, lectori Strigon., ob legationem suam ad Curiam Romanam, terram reginalem Hetény in perpetuum confert.

(M)aria, dei gracia Regina Hungarie, omnibus, presentes litteras inspecturis, salutem et omne bonum. Cum seruitoribus nostris fidelibus per premiorum beneficia prospicimus, nobis eciam ipsis consulimus in hac parte, quod eos ad exhibenda nobis fidelitatis obsequia promciores efficiamus, cum eis Largius aperimus munificentem (sic) nostre manus. Hinc est, quod ad uniuersitatis uestre noticiam horum serie uolumus peruenire, quod cum Discretus magister Syxtus, lector Strigon., dilectus et fidelis clericus noster, tam domino Bele, illustri Regi, karissimo nostro coningi, quam nobis et Corone Regie honus laboriosi itineris, ad curiam Romanam frequenter eundo, subiens, nostra ibidem et Corone Regie Arduissima negocia, per multos annos moram trahendo ibidem, ad honorem Regie magnificencie et nostrum procurauerit et promouerit fideliter, laudabiliter et prudenter, non dubitando se exponere terre, maris, ac emulorum nostrorum periculis et fortune; nos, etsi non ex condigno, cum istud, habito respectu ad meritorum suorum prerogatiuam et seruiciorum magnitudinem, exiguum reputemus; volentes tamen eiusdem bonis et magnis laboribus respondere aliqualiter, terram nostram, que in uilla Heten, in comitatu de Kamarun, Strigon. Diocesis, pro indiuiso nos contingebat, sibi, suisque heredibus, Heredumque successoribus, de uoluntate et beneplacito predicti domini nostri Regis contulimus, donauimus, concessimus, ac tradidimus, ab eo et suis heredibus, heredumque successoribus iure perpetuo irreuocabiliter possidentem, facientes eundem magistrum Syxtum per abraam, prepositum sancti Georgij de Strigonio, in corporalem possessionem predictae terre introduci, per quem eciam homines nostros, qui incolatum eiusdem terre renuerant, inde fecimus remoueri. In cuius rei testimonium presentes dedimus litteras, duplici (sic) sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Pauli, Episcopi Wesprimiensis, aule nostre cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LX<sup>o</sup> quarto, tercio ydus nouembris.

E transumto Capituli Albensis a. 1272. Vide Nrum. 789. — Fejér Cod. dipl. IV. III. 254.



## 672.

1264. — Magister Joannes, Archidiaconus de Gradna, Canonicus Nitriensis, coram Capitulo Strigon. praesentat nomine Capituli Nitriensis „litteras Venerabilis Patris, Domini nostri, Philippi, Archiepiscopi Strigon., aulae Regiae Cancellarii, continentes, quod Dionysius nobilis de Chermel, in sua constitutus praesentia, qui infirmitate praepeditus ad nos accedere non potuit, dixisset viva voce, quod portionem suam“ terre cuiuspiam Capitulo Nitriensi legasset.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 241.

## 673.

1264. — Sibridus, teutonicus Medlicensis, tributum de Udvard Philippo Archiepiscopo Strigon. coram Capitulo Jauriensi vendit.

A

B

C

Capitulum ecclesie Jauriensis, vniuersis xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino sempiternam. Ad vniuersorum noticiam tenore praesentium uolumus peruenire, quod comes Sebridus, Theuthonicus de Medlek, in nostra proposuit presencia constitutus, quod cum ipse erga dominum nostrum Belam, dei gracia illustrem regem Vngarie et eiusdem regni magnates suam efficaci titulo fidelitatem cupiens refulgere, se totum ad quendam ipsius domini regis et regni exposuisset negocia exequenda, et in ipsa execucione per hostiles fuisset insidias captiuatus, detentusque diucius, nec remissus, nisi se debuisset redimere dato censu. Hoc eum necessitatis articulo compellente, Tributum de Wduord, a prefato domino rege in seruiciorum suorum recompensationem sibi collatum, ex regali beneplacito et assensu, prout in patentibus eiusdem domini regis litteris vidimus continerj, venerabili patri, domino Philippo, archiepiscopo Strigon., Aule regie Cancellario, pro septuaginta marcis boni et finitj argenti, ab eodem plene receptis, se confessus est uendidisse, in perpetuum pacifice possidendum. Regale priuilegium, cuius auctoritate idem tributum possedit, coram nobis ipsi venerabili patrj, domino archiepiscopo assignando, <sup>1)</sup> ut eo idem pro ipsius conseruacione tributi, si opus fuerit, uti possit. Ut autem hec uendicio maiori ualeat testimonio confirmarj, partibus a nobis petentibus, in huius contractus munimen presentes dedimus litteras, sigilli nostrj munimine roboratas. Anno do-

1) Vide Nrum. 570.

mini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LX<sup>o</sup> Quarto. Chepano preposito, Jurkone Cantore, Hectore Custode existentibus.

Sigillum sat bene conservatum et rubro et viridi serico pendet. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. M. fasc. 1. Nro. 4. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 251.

---

674.

1264. — Comes Sebridus de Medlek terras Örs et Vérth Philippo Archiepiscopo Strigon. vendit coram Capitulo Jauriensi.

A

B

C

Capitulum ecclesie Iauriensis, vniuersis presencium inspectoribus salutem in omnium saluatore. Vniuersitati uestre presentibus innotescat, quod comes Sebridus, Theutonicus de Medlek, coram nobis proposuit constitutus, quod cum ipse ad proseguendum quedam domini Bele, dei gracia illustris Regis vngarie, et ipsius Regni negocia, ut eius fidelitas clariorem penes ipsum dominum Regem et eiusdem Regni magnates titulum sortiretur, Zelo probabili penitus se exponens, in manus inimicorum, sibi insidencium, incidisset, eas nonnisi datis pro se censibus euasurus, formidans vitam suam per eos misero mortis genere terminari, Quasdam terras suas, terram videlicet uille Wrs, in comitatu castri de Camarum situatam, ab eodem castro exceptam, sufficientem ad vsum duodecim aratrorum, Item aliam terram Werth uocatam, de castro de Bana exceptam similiter et exemptam, quatuor aratrorum vsui competentem, Quas quidem ex donacione, seu collacione Regalj, seruiciorum suorum meritis exigentibus, possidebat, ipso domino Rege, sicut in eiusdem litteris patentibus nobis euidenter constitit, permittente, venerabili patrj, domino Philippo, miseracione diuina archiepiscopo Strigon., perpetuo pacifice possidendas, pro Triginta marcis finj argenti se asseruit uendidisse, ipsis Triginta marcis coram sibi plenarie persolutis. In testimonium igitur huius Rei, ad petitionem parcium, presentes dedimus litteras, sigilli nostri munimine Roboratas. Anno ab Incarnacione domini Millesimo Ducentesimo Sexagesimo Quarto. Chepano preposito, Jurkone Cantore, Hectore Custode existentibus.

Fragm. sigilli e serico rubro et viridi pendet. Orig. lacerum in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. Fasc. 4. Nro. 68. — Ed. Cod. Strig. I. 56.

---

## 675.

1264. — Litterae metales possessionis Kiszelow — Pecheny vocatae ad Abbatiam s. Benedicti de Gran pertinentis.

Ita Fejér Cod. dipl. IV. III. 256. — Originales in Archivo Capituli Strigon. non occurrunt.

## 676.

1265. 14. Jan. — Bela IV. Rex iura praedialium liberorum, Hungarorum videlicet et jobagionum Castri de Ryuche „mediante venerabili patre, Philippo, Archiepiscopo Strigon., aule nostre Cancellario, dilecto et fideli nostro, cui status ac libertas predictae terre de Ryuche plenius constabat ab antiquo,“ sententialiter ordinat. — Datum XIX. kal. Febr.

Wenzel l. c. VIII. 124.

## 677.

1265. 28. Mart. — Bela IV. Rex ad salutandum neoelectum Papam, Clementem IV., dilectum et fidelem clericum suum, magistrum Ladizlaum, capellanum papalem, archidiaconum sancti Eustachii in Ecclesia Strigon., familiarem notarium et apocrisiarium aulae regiae, dirigit, quem ad supplicandum Papae et impetrandum litteras tam de gratia, quam simplices, suum procuratorem constituit et nuncium specialem. Ad hoc compositionem inter ipsum et filium suum Stephanum Regem, mediantibus Strigoniensi et Colocensi Archiepiscopis factam, nominatim petit confirmari. Datum apud Phyzegou a. d. 1265. V. kal. Apr.

Theiner Mon. Hung. I. 279., Katona Hist. Crit. VI. 442., Fejér Cod. dipl. IV. III. 258.

## 678.

1265. 1. Apr. — Bela IV. Waltero, Comiti Camerae Regiae, quia Castrum Comaromiense, a filiis Judaei Henel, administratoribus Camerae Regiae, titulo debiti receptum, ac pro eadem summa debiti sibi collatum, magnis sumtibus restauravit, etiam Civitatem Comaromiensem confert.

Bela, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Omnibus, tam presentibus, quam futuris, presentes



litteras inspecturis, Salutem in omnium saluatore. Quia in lata gente gloria Regis existit, Ideo Regiam Maiestatem non solum moribus augere suam expedit dignitatem; Verum etiam largicionum munificencia, maxime in subiectos, omnibus excellencius anteferri. Ad vniuersorum igitur noticiam harum serie volumus peruenire, Quod cum castrum de kamaron a Wluelino, oltmano et Neklino Judeis, filijs videlicet Henel, quondam comitis camere nostre, ad manus nostras remansisset pro magna summa pecunie, ex administracione camere fisco Regio debite, Nosque Idem castrum Waltero, Comiti Camere nostre, pro eadem magna summa pecunie dedissemus et statuissimus perpetuo possidendam; Idem comes Walterus non abscondens talentum, iustis laboribus et studijs acquisitum, sed in lucem proferens, et in opus, in honorem sublimitatis Regie et Regni decorem, vtpote Regni fidelis, illud idem castrum magnopere studuit suis sumptibus adornare, nobis Nichilominus humiliter supplicando, vt ad bonum statum eiusdem castri Inuigilare et adicere, quod sua possibilitas non valebat, Regia benignitate dignaremur. Nos itaque, qui ex officio suscepti Regiminis in lance consideracionis et iusticie metiri debemus merita et fidelitates omnium, nostro Regiminis subiectorum, nec id omittere, quod etiam publice vtile fuerat providere, eundem Valterum comitem munificencia Regia ex animo prosequi cupientes, villam kamarun, quam nostri inhabitabant vdwornici, eidem castro propter sui situs adiacenciam plurimum opportunam, cum omnibus vtilitatibus suis, terris videlicet, fenetis, piscacionibus et alijs Juribus, predicto Waltero comiti ad ipsum castrum de kamarun dedimus et contulimus perpetuo et pacifice possidendam, eosdem vdwornicos nostros transferentes alias de eadem. Et quia Regum est proprium, gaudere in multitudine populorum, vt ad ipsam villam securius et liberius hospites congregentur, hospitibus ad ipsam villam congregatis et congregari volentibus in futurum, eandem per omnia concessimus libertatem, Qua ciues nostri de Nouo Monte Pesthiensi gratulantur. Vt igitur huius nostre donacionis, concesse libertatis, series robur optineat perpetue firmitatis, nec per aliquem processu temporum valeat retractari, presentes litteras concessimus, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Farkasij, Albensis Ecclesie electi, Aule nostre Vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo, ducentesimo Sexagesimo quinto, kalendas aprilis, Regni autem nostri Anno Tricesimo.

E trans. auth. Uladislai II. de a. 1504. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. Fasc. 1. Nro. 24. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 282.

## 679.

1265. 11. Apr. — Frater Laurentius Magister et Andreas, ac Kenesius, Cruciferi domus hospitalis s. regis de Strigonio, coram Bela Rege contra Joannem, filium Szöc h, procedentes, Rex „possessionem ipsius Joannis et filiorum suorum, Telky vocatam, in Comitatu Simigiensi existentem, propter damna, per ipsum Joannem — — illata, dictae Ecclesiae s. regis Stephani adiudicasset, reliquissetque dictis Cruciferis perpetuo possidere.“ Datum III. Id. Apr.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 311. Extr. X. VII. 164.

## 680.

1265. 25. Jun. — Clemens PP. IV. Archiepiscopis Strigoniensi et Colocensi iniungit, ut contra Tartaros, qui, prout ad Belam Regem relatu fide digno pervenit, associatis sibi quibusdam aliis Paganis et diversis suis exercitibus congregatis, in terras christianorum, Hungariae et Poloniae conterminas, in brevi proponunt insultum facere, illosque sibi subiugare, processuri ulterius, nisi eis viriliter resistatur, — praedicent in Ungaria, Boemia, Polonia, Stiria, Austria, Carinthia et Marchionatu Brandenburgensi verbum crucis, ac reverenter illam omnibus, qui suscipere ipsam voluerint, largiantur. — Datum Perusii VII. kal. Jul., P. a. 3.

Theiner Mon. Hung. I. 280., Fejér Cod. dipl. IV. III. 299., extr. VII. V. 344., ubi erronee 23. Jun. exaratam dicit.

## 681.

1265. 5. Jul. — Magister Brictius, sublector Nitriensis, terram Szölen Monasterio de iuxta Grón legat coram Capitulo Nitriensi.

Vniuersis xpi. fidelibus, tam presentibus, quam futuris, Nitriensis ecclesie Capitulum oraciones in domino. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, Quod cum magister Bryccius, subLector ecclesie nostre Nitriensis, in graui egritudine infirmitatis iaceret articulo et tamen compos sue mentis esset, disponens suum testamentum coram nobis, ut cum iam de hoc mundo transitoriam mutaret ad dominum, quandam particulam terre sue hereditariam, ad duo aratra, Zeulen vocatam, vicinam et commetaneam cum Kadar, prope Gran, reliquit et permisit, pro remedio anime sue, Monasterio sancti Benedicti de iuxta Gran, in perpetuum possidendam cum uno Nemore,

coram nobis. In cuius rey testimonium presentes concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum III. Nonas Julij, magistro Demetrio lectore nostro existente. Anno gracie M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> sexagesimo quinto.

Sig. e viridi et albo serico pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40. Fasc. 1. Nro. 10. — Ed. Cod. Strig. I. 91., Wenzel I. c. VIII. 137.

### 682.

1265. 21. Jul. — Bela IV. Rex hospitibus de Hybe de Lypton inter caetera concedit, ut „sacerdotem siue Plebanum eligant, siue suscipiant, quemcumque et undecumque voluerint, de communi voluntate, qui omnes decimas eorumdem in agris percipiet et exiget in specie ex integro; pro quibus idem Plebanus de singulis quinquaginta mansionibus domino Archiepiscopo Strigon. in una marca fini argenti tenebitur respondere.“ — Datum XII. kal. Aug.

Wenzel I. c. VIII. 126.

### 683.

1265. 29. Julii. — Bela IV. litem Nobilium de Zellő contra Archiepiscopum Strigon. super villis Szalatna. Verebuna et Zellő, ac Ecclesia s. Nicolai, quas actores a Stephano Vanchai, tunc Archiepiscopo Strigon., iniuste occupatas asserebant, per partes compositam fuisse testatur.

Nos B. dei gracia Rex Hungarie, memorie commendantes, significamus vniuersis, quibus expedit, presencium per tenorem, quod cum Nobiles viri Petrus, Peturka, Syxtus et Iwan de Zulu, beate recordacionis Benedictum, quondam archiepiscopum Strigon., super villis Zalathna, verebuna, Zelw et ecclesia Sancti Nicolai coram nobis traxissent in causam et pecijsent predictas villas cum terris sibi restitui, tamquam suas hereditarias, quibus se per potenciam venerabilis patris, domini Stephani, tunc archiepiscopi Strigon., nunc episcopi Prenestrini, se dicebatur contra iusticiam spoliatos; procurator bone memorie Benedicti, quondam archiepiscopi. Strigon., procuratorio nomine domini sui, proposuit ex aduerso, quod predictas villas et ecclesiam non per uiolenciam, nec per potenciam venerabilis pater, dominus Stephanus, Episcopus Prenestrinus, tempore, quo ipse fuit archiepiscopus Strigon., occupauit predictas terras et ecclesiam (sic), sed ex donacione bone memorie Nicolai, quondam custodis Strigon., inter uiuos de supradictis terris et



ecclesia, sibi archiepiscopatus nomine facta, tenuit, habuit et possedit, quas villas et ecclesiam eciam dominus suus, vniuersalis successor ipsius domini Stephani, archiepiscopatus Strigon. nomine, habet et habuit, tenet et tenuit, possidet et possedit; nec est uerosimile, vt idem procurator dicebat, quod prefatus dominus Stephanus, Prenestrinus Episcopus, qui probitatis sue merito ad excellencio rem statum est vocatus, villas, Ecclesiam, vel alia bona predictorum nobilium, vel quorumlibet aliorum, contra iusticiam occupasset. Cumque super hijs inter partes fuisset coram nobis diucius altercatum, tandem predicti nobiles iusiurandum bone memorie domino Benedicto, tunc Strigon. archiepiscopo, acceptante procuratore suo et nobis approbantibus, detulerunt; super eo videlicet, quod ecclesia et ville, superius comprehense, per Strigon. archiepiscopum non sint violenter occupate, sed iusto titulo archiepiscopatui acquisite; sed proh dolor, negocium preordinato modo expediri non potuit, utpote eo, qui iurare debuit, ante diem, iuramento prestando assignatum, morte sublato de medio et humanum iudicium euadente. tandem ipsi domino Benedicto, venerabili patre Philippo, quondam Zagrabiensi episcopo, nunc Strigon. archiepiscopo, in archiepiscopatum succedente, prefati nobiles super villis et ecclesia prefatis suam nobis iterum porrexerunt querelam et tandem partes, hoc est antedicti nobiles, ex una parte, et procurator venerabilis patris Phylippi, Strigon. archiepiscopi, ex altera, super villis, Zalathna et verebuna uocatis et ecclesia sancti Nicolai, coram nobis constitute, ante ingressum cause, ex nostra permissione inter se taliter conuenerunt, quod predicti nobiles ecclesiam et uillas predictas Strigon. Archiepiscopo pleno iure dominij reliquerunt habendam et habendas, possidendam et possidendas pacifice et quiete; Venerabilis autem pater Philippus, Strigon. archiepiscopus, soluet nobilibus, superius nominatis, Triginta quinque marcas argenti de pagamento, pro bono pacis, in terminis infrascriptis; hac interiecta condicione, vt si aliquis, uel aliqui de cognacione vel agnacione, vel quauis propinquitate ipsorum, Strigon. archiepiscopum, qui fuerit pro tempore, super villis et ecclesia premissis impecierit, vel impecierint, ipsi nobiles tenentur archiepiscopum Strigon. defendere et penitus expedire. Contra extraneos autem impetitores archiepiscopi super villis et ecclesia sepefatis tenentur ipsi nobiles archiepiscopo, vel eius procuratori assistere et eum defendere et adiuuare pro uiribus et pro posse. Super eo autem, quod predicti nobiles dicebant, occassione terre predictarum villarum terram suam de prato seu fenili ad dimidium aratrum iuxta Verebena occupatam, taliter inter partes extitit ordinatum, quod usque ad prefatam quantitatem, idest ad dimidium aratrum, assignabitur ipsis nobilibus per officialem archiepiscopi de terra arabili ville Verebuna ex parte terre nobilium prefatorum; assignabit eciam idem officialis venerabilis patris, archiepiscopi Strigon., Iwan terram, ex parte terre sue, de terra ville Verebuna ad tantam quantitatem, quantam de terra ipsius Iwan uiderit et sciuerit fuisse per populos de Verebuna occupatam.

Mete etiam terre predictorum nobilium et ipsius Iwan, que per populos de Verebuna destructe esse asseruntur, emendabuntur in fide trium nobilium, scilicet Peturke, Syxti et Iwan, coram officiali archiepiscopi iusto modo, sicut in litteris Benedicti, bone memorie quondam Strigon. archiepiscopi, uidimus contineri, et quod ipsa terra, que ex parte archiepiscopi in concambium dari debet ipsis nobilibus, iudicio omnium minoris utilitatis dicitur, archiepiscopus conuentis Triginta quinque marcis adiciet marcam vnā, quarum triginta sex marcarum medietatem archiepiscopus soluet, uel solui faciet, in octauis sancti michaelis nobilibus suprascriptis, Reliquam vero dimidiam partem in quindena sancti Martini coram Capitulo Budensi. Solucione autem facta, Capitulum prefatum suas dabit partibus litteras, solucionis seriem et omnem processum et conuencionem, inter eos habitum et habitam, continentes, secundum tenorem nostrarum presencium litterarum. Debent etiam predicti nobiles in quindena sancti Martini totali solucione sibi facta, archiepiscopo, vel eius certo nuncio, restituere coram eodem Capitulo omnes litteras siue nostras, siue aliorum quorumcumque iudicium nostrorum, siue quaslibet litteras predecessoris, vel predecessorum dicti archiepiscopi, et omnia munimenta, siue documenta, que Strigon. archiepiscopo vllō vnquam tempore possent preiudicium generare et ipsis nobilibus, quantum ad predictas villas et ecclesiam, in aliquo suffragari, et si aliqua documenta, vel alique littere aliquo malo ingenio non essent redditę vel reddita, cassa et irrita habeantur. In cuius rei memoriam et robur perpetuum presentes dedimus litteras, simplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum in Lypcha, Anno domini Millesimo cc°. LX°. V°. Indiccione octaua, die tercio exeunte mense Julio.

In dorso vestigium sigilli appressi. Ibidem: Super terra Zeleu in Comitatu Neugradiensi. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. F. Fasc. 8. Nro. 153. Aliud par orig. ibidem Lad. Q. Fasc. 1. Nro. 7. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 269., Extr. ib. VII. I. 328.

---

684.

1265. Jul. — Magistratus Strigon. Syrlyz civem domum suam filiae suae Annae vendidisse testatur.

Nos Comes Rvbynus, maior ville, Jaanyus et Hermannus comites, Banko, Mauritius, Rubynus paruus, Cunc comes, Godinus, ceterique ciues de Strigonio, — — uolumus fieri manifestum, quod Syrlyz, noster conciuis, ab una parte; Gyllys, filius Bonifacij de Alba, pro domina Katharina, filiamdicti Syrlyz, matre sua, et Johannes, filius xristofori Trayec lensis, gener eiusdem domine, pro eadem domina, ab alia constituti coram nobis, equa-

nimiter proposuerunt, quod Syrlyz antedictus medietatem terre sue et palacij magni, existentis retro ordinem camerarum Rubyni comitis, ex parte orientali, videlicet inter vicum exteriorum, per quem itur ad forum retro cameras antedictas et inter terram Arrucyni comitis ab oriente, cuius medietatem, que est ab anteriori parte uersus vicum memoratum, pridem cum eadem domina filia sua, cum eam nuptui tradidit, donauerat, modo illam medietatem terre residuam, ut supradictum est, cum edificijs, que in porcione Syrlyz, tradita filia a parte posteriori uersus terram Arrucyni comitis remanserant, vendidit eidem domine filie sue pro quinquaginta marcis payment (sic) — —. Datum — — mense Julio.

Codex Dipl. Com. Zichy I. 13.

---

685.

1265. 9. Sept. — Bela IV. Rex testatur, quondam Martinum Banum fundato a se Monasterio de Ság h inter alia contulisse „et partem suam, ipsum in insula Tobold contingentem, quae aliorum partibus, scilicet Stephani comitis et Abbatissarum Strigoniensium maioris Ecclesiae dictae quantitatis.“ — Datum in Gurgeu V. Id. Sept.

Procul dubio erronee descriptum. Fejér Cod. dipl. IV. III. 282.

---

686.

1265., 12. Oct. — Zozimas Episcopus Varadiensis, beneficia accepta repensurus, Capitulo Strigon. terram Berei, usu vinearum reservato, donat et statuit.

Zozymas, dei gracia Episcopus Waradiensis, omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, Salutem in domino sempiternam. Cum nichil habentes ingressi simus in mundum, et relictis omnibus regredi debeamus; sacre scripture eloquio salubriter ammonemur,<sup>1)</sup> Vt temporalia, que in vite presentis subsidium et per caritatis studium ad promerendum eterne retributionis premium a domino recepisse cognoscimur, in pios vsus, dum viuimus, eternorum intuitu dispensemus. Hac igitur consideratione ammoniti, hac inducti ratione, requisito et habito beneplacito et consensu domini nostri, Illustris Bele Regis Hungarie, terram nostram, Berey uocatam, in comitatu Symigiensi, tam hereditariam, quam empticiam, cum Vineis, Siluis, fenetis, Curia, domibus, Cella-

---

1) In transumto Belae Regis: ammonentur.



rio et omnibus Vtilitatibus, pertinencijs et attinencijs suis; Item duos seruos, filios Zomboth,<sup>1)</sup> serui nostri hereditarij, qui aufugijt, Paulum scilicet et fratrem eius, ac ipsum Zomboth, patrem eorum, nunc in fuga constitutum, Capitulo sancte Strigon. ecclesie, a quo prosperitatis et aduersitatis tempore nos et ad nos pertinentes grata et oportuna subsidia meminimus recepisse, contulimus, dedimus, donauimus et assignauimus inter viuos; vino dumtaxat predictarum Vinearum, deductis exinde expensis, in ipsis vineis factis, per ipsum Capitulum nobis annuis vicibus, dum vixerimus, Strigonij assignando.<sup>2)</sup> In cuius terre hereditarie et empticie, vinearum, Sylue, feneti, Curie, domorum, ac cellarij predictorum corporalem possessionem Wytkam<sup>3)</sup> decanum, canonicum Strigon., vice ac nomine ipsius Capituli introduximus, in presencia Elie decani, fratris Hospitalis sancti Regis de Strigonio, ad nostram requisicionem a magistro et Conuentu dicti hospitalis sancti Regis dati nobis ad hoc specialiter pro testimonio et concessi. In cuius donacionis, collacionis et assignacionis nostre de terra, vineis, Siluis, fenetis, Curia, domibus, ac Cellario, cum vtilitatibus et pertinencijs, Strigon. Capitulo prefato modo facte, memoriam, testimonium et robur, presentes nostras patentes litteras concessimus et eis Sygillum nostrum autenticum apponi fecimus et appendi. Datum anno domini Millesimo cc<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>. Quinto, Quarto Idus Octobris.

A tergo: Super donacione Zoumi (sic) episcopi varadiensis. — Sigillum e viridi et flauo serico pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 67. Fasc. 1. Nro. 4. — Edit Fejér l. c. IV. III. pag. 263.

## 687.

1265. 13. Oct. — Bela IV. Rex magistrum Demetrium, archidiaconum Borsensem, (Canonicum Strigon.) nurus suae, ducissae Cancellarium, et fratrem Paulum, ordinis Minorum, confessarium suum, super suis et Regni sui negotiis et specialiter pro facto ecclesiae Zagrabiensis, ad Clementem PP. IV. misit. — Datum in Visegrad III. Id. Oct., A. d. 1265.

Theiner Mon. Hung. I. 281., qui Demetrium hunc erronee Boisiensem archidiaconum scribit. Vide Nrum. 694. — Fejér Cod. dipl. IV. III. 266.

1) Ib. Zomboth.

2) Vide Nros. 655. et 656.

3) Ib. Vitkam.

## 688.

1265. 17. Oct. — Bela IV. Rex transumit et confirmat Nrum. 686.

Bela, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino sempiternam. Iusta petencium desideria benigno fauore prosequimur, quibus non solum obtinendi petita fiduciam tribuimus, sed etiam ut obtenta perpetuo valeant et consistent, auctoritatis Regie presidio solidamus. Proinde ad vniuersorum, tam presencium, quam futurorum, noticiam presentibus volumus peruenire, quod Venerabilis pater Zozimas, dei gracia Waradiensis Episcopus, dilectus ac fidelis noster, nobis humiliter supplicauit, quod donacionem, collacionem, assignacionem et tradicionem terre sue, in Comitatu Symigiensi, tam hereditarie, quam empticie, vinearum, Seruorum, Siluarum, fenetorum, Curie, Domorum, ac Cellarij, cum omnibus vtilitatibus, pertinenecijs et adiacencijs, facte ab eo inter vivos Strigon. ecclesie Capitulo, secundum tenorem suarum litterarum, super ipsa donacione facta confectarum, quas cum suo autentico sigillo pendenti vidimus et perspeximus, gratam et ratam haberemus et ei confirmatione nostra preberemus robur, perpetuo valiturum. Tenor autem litterarum prefati venerabilis patris, Episcopi Waradiensis, nobis exhibitarum, donacionis facte seriem continencium, talis fuit.

Sequitur Nrus. 686.

Nos itaque sepefati venerabilis patris, Episcopi Waradiensis precibus, equitate et pietate plenis, inclinati, quod ab eo factum est, idest donacionem, collacionem, assignacionem et tradicionem, sancte Strigon. ecclesie Capitulo per ipsum prefato modo factam, terre hereditarie, siue empticie, vinearum, siluarum fenetorum, Curie, domorum, Cellarij, Seruorum et omnium superius comprehensorum, approbamus et presentibus nostris litteris ex certa sciencia confirmamus; supplentes defectum, si quis in ipsa donacione esset, de nostre plenitudine potestatis. Datum anno domini Millesimo CC<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>. Quinto. XVI. kalendas Nouembris. Regni autem nostri anno Tricesimo.

Sig. e flavo et viridi serico pendeat. Orig. nitidissima manu pulchris initialibus exornatum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 67. Fasc. 1. Nro. 5., Ed. Fejér l. c. IV. III. 263.

## 689.

1265. 12. Nov. — Bela IV. Rex testatur, „quod cum fideles nostri Abram praepositus, Valentinus Cantor, Magister Gregorius et Wytka Decanus, Canonici de Capitulo Strigoniensis Ecclesiae, pro ipso Capitulo Strigon. con-

tra Andream Comitem de Bana super tribus articulis, inferius exprimentis, in facie terrae Aha vocatae, sacramentum secundum formam litterarum Comitis abraam de Moroucha, tunc iudicis per nos deputati, coram testimonio Capitali Nitriensis et fratris Petri, Magistri domus hospitalis, ac conventus s. regis de Strigonio; super eo videlicet, quod quarta pars fruticeti, quod vulgo Harazt dicitur, non esset Comitis Andreae memorati, sed totaliter fuisset ipsius Capituli; secundo super eo, quod quadraginta iugera terrae non fuissent dicti Andreae Comitis hereditariae; et tertio super eo, quod in nemore, quod Beruk dicitur, quarta pars non fuisset Comitis Andreae supradicti, sed fuerit totaliter Capituli memorati, praestare debuissent; eadem partes taliter super ipsa terra comparendo, et praedictis viris de Capitulo Strigon. iurare paratis, prout in litteris Capituli Nitriensis et in litteris Conventus dictae domus hospitalis s. regis de Strigonio<sup>1)</sup> contineri vidimus, concordarunt, sicut etiam partes coram nobis comparendo retulerunt, quod terra, quae erat a parte meridionali versus villam Aha, per populos Capituli Strigon., tam in terra arabili, quam in nemore, silva et fruticeto, dictus Comes Andreas reliquit eidem Capitulo Strigon. perpetuo possidendam. E conuerso idem Capitulum reliquit terram, fruticetum, seu etiam silvam, seu nemus, quae erant ex parte villae Andreae Comitis, nomine Jókai, similiter eidem Andreae Comiti perpetuo possidenda. Quam compositionem Rex rati habet. — Datum II. Id. Nov.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 273.

---

690.

1265. 30. Nov. — Bela IV. Rex causam filiorum Ryhen, prout „in litteris, sigillis venerabilis patris Ph(ilippi) Strigon. Archiepiscopi, aule nostre Cancellarij, et Laurencij Comitis, Judicis Curie nostre, impressis, compositionis factum inter partes factae continentibus,“ comperit, ordinat. — Datum in Kamarum in festo Andree Apostoli.

Rómer Győri füzetek I. 210. — Wenzel l. c. VIII, 130.

---

1) Litterae hae hucdum latent.



## 691.

1265. — Maria Regina Benedicto Comiti, fratri Pauli Episcopi Vesprimiensis, pro revocata per Regem possessione Pel, terram suam propriam Wyceps confert.

Maria, dei gracia Regina Hungarie, Omnibus xpi. fidelibus, tam presentibus, quam futuris, salutem in domino sempiternam. Vniuersorum noticie tenore presencium declaramus, Quod cum dominus Rex possessionem comitis B u k e n, sine herede decedentis, P e l uoca tam, pro multiplicibus meritis seruiciorum venerabilis patris Pauli, Episcopi Wesprimiensis, aule nostre Cancellarij, tunc albensis ecclesie Electi, aule regie vicecancellarij, fratri eiusdem, comiti Benedicto, fidei nostro, ad nostram petitionem et instanciam contulisset perpetuo possidendam, in corporalem eum possessionem inducendo, et quodam posthumo, a Relicta eiusdem postmodum nato, dicta collacio fuisset per dominum Regem reuocata: Nos alta et ardua eorundem episcopi et fratris sui seruicia, que domino Regi et Regno, ac nobis in diuersis legacionibus et Regni expeditionibus fideliter impenderunt, benignitate regia attendentes, quandam terram nostram, W y c e p s uocatam, de gracia domini Regis nobis, et non Reginatui donatam, in comitatu Strigoniensi constitutam, tum in recompensationem seruiciorum eorundem, tum in concambium possessionis predictae, P e l uocate, que ab eodem comite Benedicto fuerat reuocata, eidem comiti Benedicto et per eum suis heredibus, ad domini Regis instanciam, beneplacitum et consensum, de plenitudine nostre gracia contulimus, dedimus et donauimus pacifice et perpetuo possidendam, eum in corporalem possessionem eiusdem terre induci et metas, ac terminos eiusdem terre per magistrum Stephanum, fidelem aule nostre vicecancellarium, nullo contradictore apparente, circumspici et conscribi faciendo. Cuius quidem mete hoc ordine distinguuntur: Prima meta incipit per siccum fluuium et uenit ad congeriem lapidum, inde uadit directe ad duas metas tereas; deinde uadit ad tres metas antiquas. Postea per frutices transeundo uersus aquilonem sunt tres mete terree. Dehinc eundo iuxta viam antiquam, sunt tres mete terree. Deinde transeundo per eandem viam, sunt tres mete iuxta ipsam viam. Postea declinat versus montem et transeundo iuxta nouam viam, sunt tres mete. Dehinc eundo iuxta nouam viam sunt due mete iuxta compita. Postea per frutices eundo, sunt tres mete. Deinde transit per vallem et inter vepres a parte aquilonis sunt tres mete. Deinde iuxta viam antiquam tendendo, sunt due mete. Postea transit uersus orientem et sunt quatuor mete, et ibi finiuntur mete nobilium de genere Turda, et incipiunt mete populorum nostrorum de R a d. Dehinc per unam viam transit uersus orientem et sunt tres mete iuxta viam eandem. Postea tendit uersus meridionalem partem iuxta vallem et sunt (sic) montem sunt due mete magne. Dehinc uenitur ad arborem piri, ubi sunt due mete noue. Postea uenit ad salices per vallem transeundo, in fine cuiusdam feneti est

una meta antiqua, prope quam est una magna pirus. Dehinc multum transeundo in circuicione magni montis uenitur ad duas metas antiquas. Post hec transit per rubos et sunt due mete, et ibi finiuntur mete terre Symeonis comitis. Deinde parum eundo, sunt tres mete, donec uenitur ad montem et postea sunt due mete. Post hec parum transeundo, uenitur ad duas metas per eundem montem. Dehinc uenitur ad duas metas, ad magnum montem transeundo, uenitur ad duas metas. Deinde versus occidentem uadit iuxta magnam viam et iuxta eandem viam sunt due mete, in quarum una est lapis erectus; abhinc incipiendo uenitur ad quandam pirum, ubi est congeries lapidum, et ibi mete ipsius terre terminantur. Vt igitur huius nostre collacionis series rata in posterum perseueret, presentes eidem concessimus litteras, Dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Stephani, vicecancellarij nostri, anno domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> Sexagesimo quinto.

E transumpto Fenennae Reginae. Vide ad a. 1294. 1. Mart. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 286.

## 692.

1265. — Sebridus, theutonicus Medlicensis, tributum de Udvard, cum terris Örs et Vérth, Philippo Archiepiscopo Strigon. coram Cruciferis Strigon. vendit.

Frater Petrus, diuina miseracione magister domus Hospitalis sancti Stephani Regis de Strigonio et conuentus eiusdem, omnibus xpi. fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium salvatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod comes Sebridus, theutonicus de Medlek, coram nobis personaliter constitutus, est confessus, quod tributum in vduord, quod ex donacione, seu munificencia Bele, illustris Regis Hungarie, obtinuerat in suorum recompensacionem seruiciorum, necnon terram Wrs, in comitatu Kamariensi, ad duodecim aratra, ut dicebat, sufficientem, terram quoque Wert, ad castrum de Bana pertinentem, ad quatuor aratra sufficientem, cum omnibus pertinencijs earundem, utilitatibus, siluis, fenetis et pisscinis, quas eciam ex ordinacione predicti domini B. Regis illustris possederat et possidebat, ex permissione et beneplacito prefati domini Regis, prout in ipsius litteris patentibus, super hoc confectis, uidimus contineri, vendidisset venerabili patri, domino Philippo, archiepiscopo Strigon., aule Regie Cancellario, pro centum Marcis boni et finiti argenti in perpetuum possidenda, <sup>1)</sup> quam summam centum Marcarum dictus Sebridus comes asseruit sibi a domino archiepi-

1) Vide Nros. 673. et 674.

scopo plenarie persolutam. In signum eciam irreuocabilis contractus, prefatus comes Sebridus vniuersa instrumenta, siue priuilegia, que super tributo et terris memoratis ex parte sepedicti B. domini Regis obtinuerat, assignauit et tradidit domino Archiepiscopo memorato, super huiusmodi contractu in argumentum fidei reseruanda. In cuius rei testimonium presentes dedimus litteras, nostri sigilli munimine roboratas. Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo sexagesimo quinto.

A

B

C

Sigillum e rubro et viridi serico pendebat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. M. Fasc. 1. Nro. 5. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 309.

## 693.

1266. 13. Jan. — Bela IV. Rex ad terminandam causam Episcopi Vesprimiensis contra Comitem Martinum, cum Philippo Archiepiscopo Strigon. et reliquis delegatis Iudicibus in Octauis Epiphaniarum Domini in villa Kosuk convenit.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 326.

## 694.

1266. 21. Jan. — Clemens PP. IV. Belae Regi, ut Timotheum Episcopum Zagrabiensem, licet ignobili loco natum, recipere velit.

Clemens — — Bele, Regi Ungarie. — — — Cum — — — Thimoteum, Zagrabiensem Episcopum a fel. rec. Urbano papa, predecessore nostro, promotum, et ab ipso, — — et a nobis — — commendatum, adeo — — abhorrueris, ut nec precibus aquiescens, nec consiliis te coaptans, — — nec mandatis obediens, eum duxeris admittendum; — — mirati fuimus et miramur, — — dum attendimus, ignorare te non debere, Regem Regum — — sic Regibus secularibus rerum regnum secularium concessisse, ut ad spiritualia disponenda manus suas, cum eisdem non competat, non extendant. — — Scimus equidem iam diversis temporibus tuos ad apostolicam sedem nuntios accessisse, et quod primi dixerant, refricabant sequentes, quorum unus, immo novissimus, — — magister Demetrius, Strigon. archidiaconus, subdiaconus noster, in nostra nuper et fratrum nostrorum presentia, a tua magnitudine sibi, ut asserebat, iniuncta proposuit, que nisi tuo proposuisset nomine, cum sua non interesset in aliquo, vel nullam, vel modicam super eis



audaciam habuisset; pro tua tamen reverentia patienter auditus, et sicut viro eloquens et peritus, pulchre proponens turpia, et decenter inserens indecentia, personam Episcopi multipliciter asserens contemptibilem, tum defectu consilii, tum originis vilitate, quin imo condicione servili, tamen ex causis quibusdam aliis indignum tuo latere multiplici ratione conclusit. Sed et magnatum Regni tui litteras nobis reddidit, quas tamen legi publice non permisimus, quia nec tuam, nec alterius poterant causam instruere sine iuris suffragio, solam iniuriam continentes. — — — Si igitur, quod vix credimus, — — nec Strigon. Archiepiscopi, cui secundo scripsimus, acquievisti monitis spiritualibus; — — — scire te volumus, quod — — — omittere non poterimus, quin causam pauperis, qui relictus est domino, prosequamur; nec te turbet aliquorum suggestio clericorum, qui, prout dicitur, Episcopatum potius, quam Episcopum insequentes, ad viventis successionem aspirant, quam profecto nobis viventibus per hanc viam, vel verius invium, non habebunt. Datum Perusii XII. kal. Febr., P. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 281. — Extr. Katona Hist. Crit. VI. 448., et Fejér Cod. dipl. IV. III. 358.

---

695.

1266. 23. Mart. — Ut conventio inter Belam IV. et filium suum Stephanum inviolabiliter observetur, „nos (Bela) et predictus filius noster, — — Strigon. Archiepiscopo presente et codicem evangeliorum tenente, iuramus corporaliter tactis sacrosanctis evangeliiis et vivifice dominice crucis ligno. Ad superhabundantem etiam cautelam prefatus venerabilis pater Strigon. Archiepiscopus, nobis volentibus et cum instantia requirentibus, tulit in scriptis sententiam excommunicationis in nos presentes, processu temporis omnium, vel cuiusvis articulorum, in premissis comprehensorum, violatores, transgressores, temeratores et quovis ingenio contemptores; ita, ut si aliquis nostrum contra ordinationem premissam venerit, et in sententiam, per ipsum Strigon. Archiepiscopum prefato modo latam, inciderit, non de novo per prefatum Archiepiscopum excommunicari debebit, cum ipso facto iam sit excommunicatus, sed excommunicatus denunciari publice et periurus, et ipse Archiepiscopus, impresenciarum constitutus, nobis petentibus, promisit firmiter, sine delectu alterutrius partis, denunciacionem huiusmodi, cum transgressor apparuerit, se facturum. Actum et datum in Insula beate virginis, a. ab incarn. dom. 1266. Indiccione 9., nono die Martio exeunte. — — Nos eciam Phylippus, miseratione divina Archiepiscopus Strigon., aule regie Cancellarius, ad instantiam

et petitionem prefatorum Illustrium Regum Ungarie, presenti carte sigillum nostrum autenticum apponi fecimus et appendi."

Theiner Mon. Hung. I. 285. 287., Wenzel l. c. III. 128.

---

696.

1266. 27. April. — Bela IV. Rex Demetrium, Archidiaconum Strigon., oratorem ad Papam denuo mittit.

— — Supremo Pontifici, B. — — Rex Ungarie. — — Si miramur, vestra non debet admirari beatitudo, super admonicionibus, diversis ad nos directis temporibus, — — quod — sanctitas vestra — —, ut credimus, nullatenus fecisset, nisi assidua obloquencium suggestio — — aures vestras nequiter perturbasset: ecce igitur — — magistrum Demetrium, archidiaconum de Strigonio, karissime nurus nostre Cancellarium, super ipsis et aliis agendis nostris, ad vestram direximus sanctitatem, beatitudini vestre per eundem nostras petitiones humiliter porrigentes. — — Datum in Erchy V. kal. Maii, a. d. 1266.

Theiner Mon. Hung. I. 282., Fejér Cod. dipl. IV. III. 341.

---

697.

1266. 9. Maii. — Bela IV. magistro Sixto, Archidiacono Comaromiensi, ob eximia merita terram Hetény confert et collationem terrae Reginalis, similiter Hetény, eidem factam, rati habet, ac metis distinguit.

(B)Ela, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Omnibus, tam presentibus, quam futuris, presentes litteras inspecturis, Salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, Quod cum discretus vir, magister Sixtus, Archidiaconus de kamarun, Geuriensis dyocesis, dilectus et fidelis clericus noster, missus per nos ad curiam Romanam, ibidem pro Regie dignitatis honore et bono statu Regni nostri, spretis capitalibus Inimicijijs aduersariorum et Emulorum nostrorum, aeris Intemperie et alijs Incomodis innumerabilibus, per multos annos subeundo Jurgiorum laboriosum certamen, defendisset nos et Iura Corone nostre fideliter et prudenter, alia quoque plurima nostra et Regni nostri ne-

gocia, 'sibi in prefata Curia, diuersis temporibus ad promouendum commissa, laudabiliter et vtiliter procurando, nos hac conderacione permoti, licet sibi pro huiusmodi grauissimis laboribus et ingentibus meritis debuissimus in maioribus, et alioribus remuneracionum stipendijs respondere; ad presens tamen quasdam terras nostras, nomine Heten, terre hereditarie eiusdem magistri Sixti ibidem pro indiuiso ammixtas, Quas quidem terras nostras agasones et precones nostri et Castrenses de kamarun et de Bana et homines Reginales inhabitabant, dicto magistro Sixto contulimus et conferimus, ab eo irrenocabiliter perpetuo possidendas. Ita, vt idem magister memoratas terras Heten, tamquam verus dominus ex nostra effectus donacione, possideat perhempnaliter pleno Jure, et vendendi et donandi inter viuos, vel in morte relinquendi, cuicumque voluerit, liberam semper habeat facultatem. In quarum terrarum corporalem possessionem eundem magistrum Sixtum discretus vir, Abraham, prepositus sancti Georgij de Strigonio, fidelis noster, de nostro mandato speciali, sub testimonio Strigoniensis Capituli, quibus eciam super hoc nostras litteras miseramus, Donk Comite filio pauli; Gurgus, ac Johanne, officialibus Archiepiscopi Strigon.; et dictis agasonibus de Heten, videlicet Johanne et Michaele clerico, filio Reuka; Item Buz et alijs; Guene Comite; et Poncoz, Jobagionibus agasonum; Castrensibus eciam predictis et nominatim: Morodek et Itemerio; et Jobagionibus dicti Castri, scilicet Symone et Symuna, fratre suo de Kezeu; hominibus eciam Reginalibus, scilicet Gallo, Chama et Fabiano, ac Ipsorum Jobagionibus, videlicet Phycabyloco et Bana, de villa Macha; Necnon et preconibus ipsis, ac alijs vicinis et commetaneis et generaliter omnibus, quorum intererat, vocatis et presentibus, pacifice, nullis contradicentibus, introduxit. Et quia idem magister Sixtus in dicta villa Heten terram hereditariam habere dinoscitur, quam ante tempus presentis donacionis nostre cum predictis hominibus nostris pro indiuiso et mixtim, vt premisimus, possidebat; vt tamen inter terram suam hereditariam et illas, quas sibi donauimus, Distinccio habeatur; dictam terram suam a terris predictorum hominum nostrorum et Reginalium, de voluntate eiusdem domine Regine, karissime consortis nostre, que similiter eandem terram suam magistro contulit antedicto, per predictum pristaldum nostrum metis, per medium tocus terre Heten in longum erectis, fecimus ante omnia separari. Et sic pars ipsius terre meridionalis, In qua Ecclesia In honore sancte Marie virginis est fundata, cum area, siue fundo et domibus ipsius Magistri, per arbitrium et ordinacionem pristaldi nostri, et commetaneorum et uicinatorum ipsius terre, de quibus superius est expressum, In partem predicti magistri Sixti, ratione terre sue patrimonialis, assignata extitit, pleno Jure. Reliqua vero pars dicte terre, scilicet septentrionalis, sibi cessit titulo donacionis, quam in presenciarum nos et predi-



eta domina Regina, karissima consors nostra, eidem magistro Sixto duximus liberaliter faciendam. Ad hec cum domina Maria, illustris Regina, consors nostra karissima, prefatam terram Reginalem, in eadem terra de Heten inclusam, ipsi magistro Sixto et suis successoribus propter eximia eius seruicia et merita contulerit, prout in ipsius priuilegio, super hoc confecto, plenius continetur, nos donacionem ipsam ratam et gratam habentes, Ipsam auctoritate presencium confirmamus et presentis scripti patrocinio comunimus. Mete vero terrarum ipsarum, tam a septemtrionali, quam a meridionali parte, incipiunt a flumine quodam,<sup>1)</sup> vocatur Sytua, et metis pluribus hinc inde et in medio interpositis, procedunt et contiguntur terre ville Scleuleus.<sup>2)</sup> Ab eadem autem parte meridionali eodem terre contiguntur terre Chepani, parui cognomine, qui etiam assignacioni et metacioni terrarum ipsarum cum predictis commetaneis interfuit. A parte vero septemtrionali contiguntur terre Comitum Donk supradicti. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam presentes eidem concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Farkasij, albensis ecclesie Electi, aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno Dominice Incarnacionis Millesimo CC<sup>o</sup> LX<sup>mo</sup> Sexto, Septimo Idus Maij, Regni autem nostri Anno Tricesimo.

E transunto Comitum Pauli Iudicis Curiae Regiae a. 1345. In Arch. Prim. Sec. Lad. C. Fasc. 1. Nr. 13.

---

#### 698.

1266. ante 20. Jun. — Stephanus iunior Rex donationes, a parte suo matri suae factas, sub poena excommunicationis, „quam nobis volentibus et consentientibus, Philippus Strigon. ecclesie Archiepiscopus, — — exnunc tulit in scriptis,“ confirmat. — Datum a. d. 1266.

Litteras has confirmat Clemens PP. IV. a. eodem 20. Jun.

Theiner Mon. Hung. I. 283., Koller Hist. Ep. Quin. II. 194., Fejér Cod. dipl. IV. III. 364.

---

#### 699.

1266. 23. Jun. — Stephanus iunior Rex terram Kemencze Comiti Andreae confert.

Nos Stephanus, dei gracia Iunior Rex vngarie et Dux Transsiluanus, tenore presencium significamus uniuersis, quod ob merita Seruiciorum et fidelitates

---

1) Emansit: quod

2) Pro: Scleuleus.

Andree comitis, filij yseph, quendam terram uacuam, Kemunch uocatam, quondam Thab, Bolosey, Marci et Dominici, iobagionum castri Neugradiensis, sine herede decedencium, contulimus eidem andree comiti, sub eisdem metis et terminis perpetuo possidendam. Datum iuxta Budynum in uigilia sancti Johannis baptiste. Anno domini Millesimo ducentesimo sexagesimo sexto.

E transumto Ladislai IV. Regis. Vide ad. a. 1273. 14. Maii. — Ed. Cod. Strig. I. 59.

---

700.

1266. 4. Jul. — Clemens PP. IV. Archiepiscopo Strigon. et Timotheo Zagrabiensi Episcopo, ut magistrum Farchasium, electum Praepositum albensem, „postquam negotium Zagrabiensis ecclesie iuxta formam, que tibi, frater Archiepiscope, per alias nostras traditur litteras, <sup>1)</sup> fuerit expeditum, quod vehementer cordi nostro inherens, ad effectum perducere optamus celeriter expectatum,“ intuitu Regis, cuius est Vicecancellarius, confirment. — Datum Viterbii IV. Non. Jul., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 287., Wenzel l. c. III. 146.

---

701.

1266. 8. Jul. — Clemens PP. IV. magistrum Demetrium, Archidiaconum in ecclesia Strigon, subdiaconum suum, gratum sentiens de fama probitatis eius odorem, Capellanorum suorum consortio aggregat. — Datum Viterbii VIII. Id. Jul., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 288., Wenzel l. c. III. 147.

---

702.

1266. 31. Julii. — Stephannus Vanchai, Episcopus Praenestinus, cui cura Ordinis s. Guilelmi et personarum ipsius est a Sede Apostolica commissa, hunc ordinem cum ordine s. Augustini, tamquam arbiter, arbitrator et amicus

---

1) Hucdum latent.

compositor, unit, et litteras desuper edit „Viterbii in hospitio nostro, — — — magistro Paulo Archidiacono Camarensi in Ecclesia Strigon. — — et aliis ad haec vocatis et rogatis testibus. — — Mense Julio, die ultima eiusdem mensis.“

Fejér Cod. dipl. IV. III. 350—357.

### 703.

1266. 24. Sept. — Clemens PP. IV. fratri Eneco, ordinis minorum, Poenitentiario suo, iniungit, ut in excessus Episcopi Quinqueecclesiensis, cum causa haec Romae, licet procuratores eiusdem Episcopi, et Archiepiscopi Strigon. et quidam Canonici Quinqueecclesienses, qui una cum eodem Archiepiscopo, iussu Alexandri PP. IV. predictum prosequuntur negotium, comparuerint, non possit salubriter expediri, ad loca necessaria personaliter accedens, inquirat. — Datum Viterbii VIII. kal. Oct., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 288., Koller Ep. Quin. II. 197., Fejér Cod. dipl. IV. III. 367. — Alexandri PP. IV. litterae super hoc negotio latent. Vide Nrum. 665.

### 704.

1266. 26. Oct. — Capitulum Strigon. Nobiles de Balan, possessiones suas „presente Jacobo, sacerdote de Choro Ecclesie nostre, ad petitionem predictorum nobilium per nos ad hoc transmissa,“ inter se divisisse testatur, „per manus Magistri Syxti, Lectoris Ecclesie nostre. Datum — — VII. kal. Nov.“

Wenzel l. c. VIII. 154.

### 705.

1266. 11. Dec. — Clemens PP. IV. Stephanum, Praepositum Posoniensem, in Archiepiscopum Colocensem electum, confirmat.

Clemens — — Stephano Colocensi et Bachiensi electo. — — Coloc. et Bachiensi ecclesiis — — pastoris solacio destitutis, — — Capitula earundem — — te, tunc Cappellanum nostrum et Posoniensem Prepositum, Bononie litterarum studio insistentem, — — concorditer elegerunt. — — Quia tamen quorundam Canonice earundem ecclesiarum litteras recepimus, continentes, quod ante electionem ipsam quedam alia — — de Magistro Demetrio,



Archidiacono de Bors in ecclesia Strigon, celebrata fuerat electio, — — nos — — terminum peremptorium duximus prefigendum, ut quicumque vellet huiusmodi primam electionem defendere, vel aliam impugnare, compareret — — coram nobis. Cumque predicto elapso termino nullus se — — presentasset, qui — electionem — — de dicto Demetrio prosequeretur; — — nos electionem, de te — — factam, examinavimus, — et tandem — — considerationis nostre sollicitudini fidelis memoria obtulit, qualiter tu dudum, tempore — — Urbani pape, — — a Zagrabiensis ecclesie — — capitulo postulatus,<sup>1)</sup> examinationis discussionem sollicite subiisti, et licet in huiusmodi examine in litteratura fueris inventus et extimatus ydoneus, nichilominus postmodum studio moram Bononie extunc continuando vacasti, propter quod non indigne presumimus, — — ex tanti successu temporis, in studii labore transacti, non in otii torpore deducti, tue scientie plurimum accrevisse. Illud etiam de nostra memoria non abolevit oblivio, quod licet predecessor ipse postulationem huiusmodi propter defectum dumtaxat etatis tue non duxerit admittendam; idem tamen predecessor attendens, quod tu nobilitatem generis morum honestate nobilitans et etatem ipsorum maturitate preveniens, defectum huiusmodi virtutibus redimebas, — tecum — dispensans, concessit tibi, ut ad episcopalem, Archiepiscopalem et quamcumque aliam posses eligi dignitatem. — — Et quamquam eodem predecessore morte preventivo, littere, super huiusmodi dispensatione confecte, bullate non fuerint; nos tamen, — — quod taliter — — factum fuerat, — — approbantes, tibi super hoc litteras apostolicas duximus concedendas.<sup>2)</sup> Hec igitur provide attendentes, — — te — — — in Archiepiscopum prefecimus. — — Datum Viterbii III. Id. Dec., P. a. 2.

Eodem die Archiepiscopo Strigon. et Episcopo Vaciensi, ut praedictum Electum in Archiepiscopatum inducant et defendant, committitur. Theiner Mon. Hung. I. 291. 292., Wenzel l. c. III. 148. 150.

---

### 706.

1266. — Bela IV. Rex litteras super tributo pontis „quem prope Monasterium de Ságh in fluvio Ipul fieri iussimus,“ litteras edit Strigonii.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 313.

---

1) Vide Num. 632.

2) Latent.

## 707.

1266. — Philippus Archiepiscopus Strigon. emit iure perpetuo particulam terrae Zeuleus.

Ita Fejér Cod. dipl. IV. III. 384.

---

## 708.

1266. — Gregorius Praepositus et Capitulum Strigon., Wycke Decanum de mandato Regio ad reambulandas terrarum Comitum Hunt-Paznan metas exmittunt.

Wenzel l. c. VIII. 151.

---

## 709.

1267. 11. Febr. — Clemens PP. IV. Stephanum, Praepositum Poseniensem, Demetrii Archidiaconi Strigon. electione reiecta, in Archiepiscopum Colocensem denuo confirmat.

Clemens — — ad futuram rei memoriam. Resumpto Nro. 705., prosequitur:

Sane magister Jacobus Praepositus et Helyas Canonicus Colocenses, memorati Demetrii Capellani nostri, necnon et Coloc. et Bachiensis Canonicorum procuratores, — — sedem apostolicam postmodum adeuntes, — — proposuerunt —, quod ad electionem dicti Demetrii fuerat rite processum, cum electio dicti Stephani, qui patiebatur in scientia et etate defectum, nulla fuerat ipso iure, et electores ipsius, qui ad illam scienter processerant, fuerant eo ipso eligendi potestate privati. Quo ad solos electores prefati Demetrii devoluto, electio, ab ipsis canonice de ipso Demetrio celebrata, confirmanda erat, et ipsam, non obstante confirmatione electionis dicti Stephani, quam obrepticie dicebant obtentam, — — confirmare cum instantia petierunt. Nos autem pluries procuratores ipsos requisivimus, si vellent proponere alia et specialiter in personam memorati electi; quibus respondentibus, se aliquid aliud — — non habere, nos — — electionem dicti Demetrii, quia invenimus eam post dictam canonicam electionem memorati S. electi, cui etatis defectus, super quo — — dispensatum — — fuerat, non obstabat, cuiusque scientia fuerat dudum — — sufficiens reputata, — — cassavimus, — — prefato Demetrio et suis electoribus — — perpetuum silentium imponentes. Datum Viterbii III. Id. Febr., P. a. 2.

Theiner Mon. Hung. I. 292., Katona Hist. Crit. VI. 452., Fejér Cod. dipl. IV. III. 360.

---

## 710.

1267. Mense Febr. — „Conventus Monasterij Waradiensis“ testatur, fratrem Filium, Abbatem et Conventum Sexardiensem terram Peturd „ex permissione domini Regis Bele et ex consensu et assensu reuerendissimi Patris, domini Philippi, Strigon. Archiepiscopi, prout in eorumdem patentibus litteris, exinde confectis, nobis exhibitis et perlectis, plenius vidimus contineri, presentibus etiam magistro Macha, filio Michaelis, homine domini Regis et religioso viro, fratre Thoma, Abbate de Felduar, homine domini Philippi Strigon. Archiepiscopi, per eosdem — — ad reambulandam ipsam terram Peturd, — — destinatis,“ Comiti Bodur, filio Pouse, Vice Judici Laurentii Palatini, pro 60 marcis vendidisse. — — Datum mense Febr.

Wenzel l. c. III. 171—176.

## 711.

1267. 20. Jul. — Bela IV. Rex, merita et fidelia servitia Comitis Joachimi, de genere Churla, ac filiorum Thomae et imprimis Philippi Archiepiscopi Strigon., laudibus celebrat et remuneratur.

Bela — — —. Cum Nobilis vir, Comes Thomas, filius Comitis Joachim, de genere Churla, inclyte recordacionis Domino Regi Colomano, Magnifico Duci Sclauonie, karissimo fratri nostro, a primis puericie sue annis, donec idem dominus Colomanus Rex vitales carpsit auras, diuersis temporibus diuersa obsequiorum genera curasset laudabiliter et fideliter exhibere; tandem eodem karissimo fratre nostro uiam uniuerse carnis ingresso, nobis adherens, Corone Regie cum summo deuotionis ardore eximie fidelitatis a multis retro annis exhibuit famulatum. Dictus etiam Comes Joachim, pater eius, exponendo se in diuersis Regni nostri expeditionibus pro nostra et Regni nostri defensione periculis et fortune, grata similiter nobis impendit seruicia quoad vixit; frater quoque dicti Thome Comitis, videlicet Venerabilis pater noster, Dominus Philippus, Sancte Strigon. Ecclesie Archiepiscopus, cum Zagradiensi Ecclesie digne et laudabiliter presideret, missus per nos pro nostris et Regni nostri necessitatibus ad Romanam Curiam et in vltiores partes Italie, ac alias regiones, ibidem multis vicibus in propriis stipendiis militando, et se aeris intemperiei, maris et viarum periculis et aliis innumerabilibus incommodis exponendo, uniuersa nostra negocia, sibi commissa, peregit ad cumulum honoris Corone nostre fideliter et prudenter. Procedente etiam tempore, idem dominus



Archiepiscopus, ad regimen sancte Strigon. Ecclesie propter suorum prerogati-  
uam meritorum Diuina clemencia sublimatus, dum inimico homine supersemi-  
nante zizania, inter nos ex una parte, et dominum Regem Stephanum, karis-  
simum filium nostrum, ex altera, essent hincinde diuersis temporibus guerre,  
discordie, ac intestina prelia suscitata, pro Corone nostre statu sereno et Re-  
gni nostri integritate, ac felicitate seruandis, se mediatorem, ymo quasi Scu-  
tum et murum interposuit, et sic post multos labores et angustias, inter nos  
et predictum karissimum filium nostrum pacis ordinans federa, nos et Regnum  
nostrum ad statum quietis et tranquillitatis, amputato mutue cedis exicio, re-  
ducere studuit frequencius pro viribus et pro posse, exponens se propter hoc gra-  
uibus sumptibus, periculis et pressuris. Et ut cuncta breuiter perstringamus,  
ipsi et tota eorum generacio, adeo omnibus retroactis temporibus usque ad  
presens fideles et deuoti Corone Regie exstiterunt, quo eis circa nos quasi na-  
turaliter inserta ipsa fidelitas presumatur.“ His omnibus permotus, Thomae  
Comiti „terram Pradaviz, in Ducatu Sclauonie iuxta Drauam existentem  
et a Comitatu Symigiensi a tempore, cuius non exstat memoria, exceptam pe-  
nitus et exemptam“ confert. — Datum in Zolum, in octauis B. Margarethe  
XIII. kal. Aug.

Magyar Sion. III. 359., Wenzel l. c. VIII. 162.

## 712.

1267. 26. Nov. — Bela IV. Rex Magistro Sixto, Scholastico Strigon. et per eum  
suis e sorore nepotibus, terram Rodovan confert.

Bela, — — nos attendentes merita et seruicia, que (nobis Magister Sixtus)  
Scolasticus Strigon., dilectus et fidelis clericus noster, in Regno nostro et  
in Romana Curia per multos annos subeundo ibidem pro ho-  
nore Corone nostre iurgiorum laboriosum certamen, deuote  
et fideliter inpendit, exponendo se periculis et fortune, — — eidem totam ter-  
ram nostram, nomine Rodowan, in Comitatu Camariensi iuxta Danubium  
existentem, et nominatim ac specialiter porciones eiusdem terre, que agasones  
et bacciferos nostros, ibidem commorantes, contingebant, cum insula et  
piscacionibus in Danubio, agriculturis, ac alijs utilitatibus et pertinencijs suis,  
cum plenitudine gracie nostre contulimus, — — ab eo et suis nepotibus, ex  
sorore filijs, videlicet Laurencij de Heten, iure perpetuo et irreuocabiler  
possidendam. In cuius terre — — corporalem possessionem eundem Magistrum  
per fratrem Petrum, magistrum Domus Hospitalis Sancti Regis de Strigo-

nio, — — iussimus introduci, qui ipsum — — induxit in possessionem dictae terre. — Datum VI. kal. Dec.

Wenzel l. c. VIII. 166., Extr. Fejér IV. III. 430.

### 713.

1267. 9. Dec. — Laurencius Palatinus, iubente Rege, Jobagiones equites monasterii Tihany, duodecim exceptis, in condicionarios populos redigit.

Laurencius Palatinus et Comes Symigiensis, vniuersis xpi. fidelibus, presencium noticiam habituris, Salutem in domino sempiternam. Ad vniuersitatis vestre noticiam tenore presencium cupimus peruenire, quod cum dominus noster rex, percepta et considerata magna et inuili multitudo Jobagionum equitum Monasterij sui de Tykon, de quorum vniuersitate Idem Monasterium paruum, seu nullam vtilitatem reportabat; aduocatis ad presenciam suam tam abbate et Conuentu, quam vniuersis Jobagionibus predictis, nobis sue viue uocis oraculo precepisset, vt redactis omnibus eisdem Jobagionibus in condicionarios populos, quosdam paucos ex ipsis exceptos, numeri scilicet duodecim,<sup>1)</sup> Jobagionatu et Officio equestri secundum morem antiquum relinquere deberemus; et hanc excepcionem excipiendorum et relinquendorum Jobagionum faciendam abbati et Conuentui predictis commisisset; sic tamen, quod nos eisdem exceptis Jobagionibus, nostris super sua libertate litteras concedamus. ijdem Abbas et Conuentus per suas nobis litteras significarunt, Quod fideles ipsorum, Petrum Comitem et Pokam, fratrem eius, filios Guze Comitis, qui Monasterio suo multiplicia et fidelia seruicia semper exhibuerunt, ad permanendum in Officio Jobagionatus equestris, prout superius memorauimus, elegerunt; vnde pecierunt a nobis abbas et Conuentus sepepredicti, quod eisdem petro Comiti et Pouka super sua libertate nostras litteras concedamus. Nos itaque eorundem abbatis et Conuentus precibus annuentes, ipsos petrum Comitem et Poukam in Jobagionatu et Officio equestri permanere, atque eisdem abbati et Conuentui, dominis suis, tali obsequio fideliter deservire, auctoritate regia decreuimus; hanc nostram ordinacionem tenore presencium litterarum, quas nostro sigillo communiuimus, confirmantes. Datum a l b e anno domini Millesimo CC<sup>mo</sup> LX<sup>o</sup> septimo, quinto Idus decembris.

E transumto Stephani Palatini a. 1389. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. U. Fasc. 8. Nro. 170. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 418.

1) Emansit : i n

## 714.

1267. — Bela IV. et Stephanus iunior Rex libertates, a s. Stephano Rege Nobilibus Regni concessas, confirmant. „Si quis autem nostrum imposterum praesentis statuti et libertatis, a s. Stephano constitutae, transgressor exstiterit, quod absit, illum Dominus Archiepiscopus Strigon. per censuram ecclesiasticam compellat ad promissa inviolabiliter observanda.“ —

Kovachich Vestigia Comitior. 134., Fejér Cod. dipl. IV. III. 391.

## 715.

1267. — Stephanus iunior Rex servitia militaria Joannis, filii Chabanka, collatione terrae Halász remuneratur.

STEPHANUS, dei gracia Junior Rex Hungarie et dux Transsiluanus, omnibus xpi. fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem in vero salutari. Licet Regia pietas manum munificam porrigere debeat vniuersis, illos tamen, quorum experta probitas laudata est in prosperis et in aduersis, principaliori debet prosequi munere et fauore; vt alij eorum exemplijs inuitati, ad fidelitates et seruicia facienda forcius accendantur. PROinde vniuersorum noticie harum serie volumus peruenire, Quod licet Johannes, filius Chabanka, dilectus et fidelis noster, a primeis puericie nostre temporibus in arduis Regni nostri negocijs varijs fortune casibus intrepide et viriliter se exponens, in multis articulis, nobis et Regno nostro plurimum necessarijs et admodum oportunis, grata et accepta maiestati nostre impendisset obsequia, que ad presens enarrari sufficienter per singula nequeant suo modo; quedam tamen de suis seruicijs et milicijs, pro nobis impensis, in medium duximus proferenda: Quod cum graues persecuciones per parentes nostros sine meritis et excessibus pateremur, et conflictum cum suis barronibus et exercitibus iam sepe sepius habuissemus, ubi idem nobiscum semper vna cum alijs fidelibus nostris, nostro lateri in ipsis conflictibus adherentibus, uiriliter et probabiliter dimicauit non parcens rebus, nec persone. Postmodum tamen, cum in Ilsuazeg cum Herico palatino conflictum habuimus, vbi idem cum duobus filijs suis captus fuit, dictus Johannes pre ceteris supervenienti aciey se exponens, nobis et alijs cernentibus uiriliter dimicando, tres bonos milites nobis captos duxit. Nos igitur uolentes sibi grata uicissitudine occurrere, In recompensationem seruiciorum suorum prehabitorum, licet ea, que ad presens agimus, respectu eorum, que facere intendimus eidem et meretur, minima uideantur, quandam terram castri nostri de Heues, Halaz vocatam,



cum omnibus vtilitatibus et pertinencijs suis, sub hysdem metis et terminis, prout ipsum castrum dictam terram habuit, et possedit, eidem Johanni et suis heredibus, heredumque successoribus contulimus, iure perpetuo et inreuocabiliter possidendam, sicut eciam per priores litteras nostras patentes eandem terram primo uidimus contulisse. Vt igitur huius nostre donacionis et collacionis series robur obtineat perpetue firmitatis, nec processu temporum per quempiam in irritum possit, vel debeat retractari, seu reuocari, presentes concessimus litteras, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Petri, aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo, Ducentesimo Sexagesimo septimo.

Sigillum duplex, e serico flavo, rubro et viridi pendens, regem in throno sedentem, in alia autem parte equo rapido insidentem, ac hasta et scuto armatum exhibet; epigraphe viciatum. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. T. Fasc. 23. Nro. 495. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 414.

## 716.

1267. — Philippus Archiepiscopus Strigon. et delegati cum eo Iudices, super portione terre Nykh, Ponyth filio arnoldi, perpetuum silentium imponunt.

Fejér Cod. dipl. IV. III. 385. — Huc referendae videntur etiam litterae Belae IV. absque dato expeditae, in quibus cum contra eundem Ponyth ad exhibitionem litterarum Philippi Archiepiscopi et coiudicum sententiam proferre voluisset, idem Ponyth respondit: „quod ipse haberet litteras predictorum venerabilium patrum (Philippi Archiepiscopi nempe et coiudicum), per quas praedictas litteras — — exhibitae posset infringere, seu annihilare.“ Wenzel l. c. VIII. 47., qui tamen litteras has ca. 1262. exaratas putat. Huc item pertinent aliae quoque eiusdem Belae litterae, pariter absque dato emanatae, quibus eundem Ponyth „secundum sententiam venerabilium patrum, Ph. Strigonien-sis et S. Colochensis Archiepiscoporum ac Baronum nostrorum“ peremptorie citat. Wenzel l. c. VIII. 264.

## 717.

1268. 24. Febr. — Clemens PP. IV. Praeposituram de Titel confirmat, exemptamque Archiepiscopo Strigon. subiicit.

Clemens, episcopus seruus seruorum dei, dilectis in xpo. filijs, vniuersis Episcopis, prepositis, abbatibus, Prioribus, ac alijs omnibus, qui fide censentur xpiana, salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum, tam vigor equitatis, quam eciam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officij nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibitis (sic)

siquidem litteris conuentus domus hospitalis Iherosolimitani de alba, super donacione cuiusdam terre, Teul vocate, habitatore et cultura destitute ac deserte, Quinqueecclesiensis Dyochesys existentis, per nobiles viros Kencz, Seletuk et Nycolaum, filios Selee, Paulum filium Johannis, Loran dum et Reunaldum, ffilios Reunaldij, Ladislaum, Detricum et Heym, ffilios Odun de kecs cel, de terra ipsorum hereditaria exempte et distincte certis metis et terminis, Paulo et agustino fratribus, ac eorum successoribus irreuocabiliter collate, confectis, in qua dicti fratres proprijs laboribus et expensis, necnon xpi. fidelium elemosinis, pie et deuote expendendo, in honore beati Hemirici Monasterium fundauerunt et construxerunt, et alias possessiones, videlicet vyneas, terras, siluas et fieneta in diuersis Comitatibus eidem Monasterio recuperauerunt, utpote viri sancti et deo deuoti. Columbanus, Episcopus Traguriensis, noster frater in xpo. deuotus, humili et instanti prece supplicando postulauit, ut ipsam donacionem simul cum Monasterio antedicto et suis possessionibus, necnon Paulo et Augustino ffratribus, ac eorum successoribus pro tempore constitutis, ad instituta ordinis beati Augustini subiugaremus, auctoritate confirmantes apostolica. Nos itaque ratam et commendabilem habentes tenorem litterarum premissarum super donacione pretaxata, per nobiles viros antedictos data et assignata, confectarum, petitioni et supplicacioni Columbani Episcopi prefati incliti, donacionem sepefatam simul cum Monasterio in eadem fundato et reliquis possessionibus, in quolibet Comitatu existentibus, necnon Paulo et Augustino ffundatoribus iam sepius repetitis, ac eorum successoribus, fratribus ad instituta ordinis beati agustini subiugauimus et auctoritate apostolica confirmamus, et presentis scripti patrocinio communiuimus, tali constitucione interposita, quod iustas decimas tam in vino, quam in ffrugibus, ac alijs decimacionibus de fratribus sepepredictis, ac ipsorum iobagionibus et nobilium supradictorum, ac ab eisdem provenientes, ffratres monasterij sepius recitati ad suum vsum exigere teneantur. Item flunera, per omicidia (sic) facta, libere sepeliant, ius, quod ab hijs dependet, nullo contradicente repetentes. Item decreuimus, quod fratres Monasterij pluries repetiti, prepositum habeant, tali condicionem, quod si non ipsius voluntati placuerit, perseueret (sic) in eodem, similiter et eandem ffratres eiusdem Habeant condicionem. Item exemptos Habuimus omnino a iudicio Episcopi et archiepiscopi parochyalis, ad conuentum autem archiepiscopi ire tenentur. Nulli ergo omnino Hominum liceat Hanch (sic) paginam nostre confirmacionis infringere, uel ei aussu temerario contraire. Si quis autem Hoc attemptare presumpserit, indignacionem omnipotentis dei et Beatorum petri et Pauli apostolorum eius se nouerint incurssurum. Datum viccinhnij (sic) VI. kal. Marci, pontificatus nostri anno quarto.

E trans. Lodomerii Archiepiscopi Strigon. a. 1294. — In Arch. Primat. eccl. vet. Nr. 17. — Fejér Cod. dipl. VI. I. 322.

## 718.

1268. 24. Sept. Clemens PP. IV. statutum regnicolarum circa decimas reprobat, Regesque a praestito eatenus iuramento dispensat.

Clemens, — — archiepiscopis et episcopis et — — ceteris prelati regni Vngarie. — — — Id, quod, sicut ad nostrum pervenit auditum, barones et alii nobiles dicti regni, divine legis institutionem pervertere non verentes, in preiudicium libertatis ecclesiasticae duxerant statuendum, videlicet, ut decime non solverentur ecclesiis iuxta morem et ipsius regni consuetudinem, pacifice diutius observatam, Et — — Bela et Stephanus, Vngarie reges illustres, auctoritate regia confirmarant, corporali prestito iuramento, quod illud observarent et facerent a suis subditis observari, omnino irritum et inane decernimus, dictum iuramentum temerarium reputantes et ipsos reges decernentes ad observationem ipsius aliquatenus non teneri. Quo circa — — vobis — — mandamus, quatenus — — latas, seu ferendas propter hoc a nobis communiter vel divisim excommunicationis vel interdicti — — sententias, inviolabiliter observetis. — — Decimas nichilominus eisdem ecclesiis, iuxta morem et consuetudinem patrie debitas, ab ipsarum ecclesiarum parochianis exigere nullatenus obmittentes, non obstante aliquo statuto contrario, a laicis super hoc edito, litteris regum regni Vngarie, ac regum eorundem iuratorum prestacione vallato. — — — Datum Viterbii VIII. kal. Octobris., P. a. 4.

Tkalcic Mon. Zagr. I. 143., qui tamen litteras has erronee a. 1269. exaratas asserit; Clemens IV. enim iam 1268. 29. Nov. mortuus est. — Bulla haec de comitiis hucum ignotis testatur.

## 719.

1268. post 24. Sept. — Archi- et episcopi Hungariae litteras Clementis PP. IV., Nro. 718. exhibitas, se recepisse testantur.

Nos Philippus, dei gracia Strigoniensis, Stephanus colocensis archiepiscopi, Lampertus agriensis, Paulus vesprimiensis, Philippus vaciensis, Lodomarius waradiensis episcopi, significamus, quibus expedit, omnibus presencium per tenorem, Nos et omnes episcopos regni Vngarie recepisse litteras apostolicas sub hac forma. — — sequitur Nrus. 718.

Tkalcic Mon. Zagr. I. 143. — Praelati, probabilius Strigonii, ideo convenerint, ut de modo executionis litterarum papalium consultarent.



## 720.

1268. a. 14. Oct. — Bela IV. villam Udvard, post recessum Tartarorum Ressel militi teutonico collatam, et tributum, ibidem exigi consuetum, Sebret militi donatum, Archiepiscopo Strigon., qui villam hanc a Regina 100 marcis, tributum vero a Sebret pariter 100 marcis comparavit, in perpetuum confirmat.

Bela, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, omnibus, presentes litteras inspecturis, Salutem in domino sempiternam. Ea, que sacrosanctis dei ecclesijs acquiruntur, siue largitione principum, siue ex alijs legibus<sup>1)</sup> cognitis titulis, perpetua debent firmitate esse subnixa, et ne vlllo vnquam tempore inminucionem uel corrupcionem sentiant, circumspeccione prouida Regalis priuilegij patrocinio sunt sollicitius solidanda et robori perpetuo commendanda. Proinde ad uniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod cum pridem Regnum nostrum permissione diuina Tartari inuasissent et sua barbarica feritate vastauissent, Regnicolis in magna parte vel peremptis, vel abductis, et Vngaria, ante plena populo, multis in locis in solitudinem esset redacta, de cunctis mundi partibus homines, tam agricolas, quam milites, ad repopulandum terras depopulatas et habitatoribus vacuatas, edicto Regio studuimus conuocare. Venientibus itaque ad uocationem nostram causa inhabitandi Regnum nostrum, dedimus et assignauimus terras et possessiones, et aliquibus redditus, unicuique prout status sui exigencia requirerat. Inter quos terram, villam, seu possessionem Vduord, quondam vduornicorum, desolatam, vtpote suis primis incolis uacuam, cuidam militi teutonico, Ressel<sup>2)</sup> nomine, cum quibusdam terris, ad eam pertinentibus, dedimus, contulimus et assignauimus Sibi et heredibus suis, heredumque successoribus, iure dominij perpetuo possidendam. Tributum vero, quod in eadem villa Vduord a transeuntibus exigi consuevit, alteri militi, Sebret nomine, cum quibusdam alijs terris dedimus, contulimus et assignauimus, similiter iure dominij per eum et per suos heredes possidendum perpetuo et habendum. Qui Ressel miles terram Vduord, prefato donacionis nostre titulo, sicut uerus dominus et legitimus possessor, ipsam terram Vduord (sic) bene per quindecim annos vel citra, pacifice et quiete habuit, tenuit et possedit. Processu uero temporis ipsi Ressel, conuento coram nobis per villicum et Cines de Tyrna super morte cuiusdam conciuis sui, cum inficiaretur se occidisse conciuem eorum, nobis indicantibus fuit a parte altera duellum oblatum et ab eo susceptum, partibus a nobis ad congregiendum et duellandum certo termino assignato. Quo termino adueniente, in ipso congressionis inicio, licencia, primitus a nobis petita et optenta,

1) Lud. Rex: legalibus.

2) Ludov. Rex: Ressel.

inter partes talis transaccio intercessit, quod predictus Ressel uxori interfecti Ciuis de Tyrna solueret centum marcas, quas ad soluendum certis loco et terminis, per nos assignatis, sub pena Regalis Iudicij, si primum terminum omitteret, sub pena vero duppli, si ultimo termino non solueret, per nostras se litteras obligauit; quo non soluente primo, nec secundo terminis, ymo nec ulterioribus, sibi, super cessacione solucionis conuento, sub grauioribus penis assignatis; villa Vduord fuit pro ipsis centum marcis et pro penis commissis villico et Ciuibus de Tyrna, uice et nomine Relicte interfecti conciuis eorum, sentencialiter assignata, Redempcione ipsius ville Vduord, principali debito et penis commissis solutis, prefixo ad hoc Sibi termino reseruata; quod redimere non curante, sed potius insolutum dimittente et recepta licencia de Regno nostro exeunte, predicta terra Vduord adiudicata fuit relicte interfecti, possidenda cum pleno dominio et habenda; que Relicta interfecti de Tyrna, attendens se possessionem tenere non posse, a domina Regina, karissima consorte nostra, precibus obtinuit, ut villam Vduord ad se reciperet et Sibi illas solueret certum marcas. Quinquaginta igitur marcis nunc ei solutis, ad soluendum alias quinquaginta marcas breuem terminum assignaremus, et villa Vduord fuit ad dominam Reginam deuoluta titulo empcionis, et officiali ipsius domine Regine, Dominico Comiti, assignata. Postmodum vero venerabili patre Phylippo, Strigon. ecclesie archiepiscopo, aule nostre Cancellario, dilecto et fideli nostro, exponente domine Regine, nobis presentibus, quod terra Vduord multum erat Sibi utilis, cum esset commetanea villis et terris archiepiscopatus, Domina Regina, gratificari Sibi in hoc uolens, confestim liberaliter concessit terram Vduord Sibi relinquere, et reliquit archiepiscopatus nomine, refusis Sibi quinquaginta marcis, quas soluerat, et solutis quinquaginta marcis Relicte interfecti Ciuis de Tyrna, quas promiserat ad soluendum, et quod pluris ualeret villa, dixit et protestata est, archiepiscopatu se donare, statimque per hominem suum, magistrum M., prepositum de Scepus, hominem archiepiscopi, procuratorio nomine ipsius archiepiscopi et archiepiscopatus nomine, in corporalem possessionem ipsius ville Vduord fecit introduci. Archiepiscopus uero ad mandatum domine Regine quinquaginta marcas, quas refundere debuit, soluit Bartholomeo de Weccha in stipendium suum, et alias quinquaginta marcas soluit relicte interfecti de Tyrna, cui domina Regina tenebatur, sicut villicus et fere omnes maiores Ciues de Tyrna coram nobis dilucide sunt confessi. Prefato igitur modo villa Vduord archiepiscopo, archiepiscopatus nomine, deuoluta, cum in eadem villa Tributum, quod in ipsa villa a transeuntibus exigitur, esset ex donacione nostra cuiusdam militis teutonici, Sebret nomine, pecijt idem archiepiscopus, quod cum Sibi molestum esset et quodammodo<sup>1)</sup> possessionis turbacio, vt in archiepiscopatus villa

---

1) Ibid. q u e m a d m o d u m.

alius Tributum exigeret, Concederemus et Sibi licenciam daremus, vt si posset, ipsum tributum, quod in sua villa exigitur, emeret ab ipso eodem milite, vt sic ipsa villa Vduord, adiecto Tributo, integraliter esset sua. Petita itaque et optenta a nobis licencia emendi, postmodum prefatus archiepiscopus et Sebret miles antedictus ad nostram accedentes presenciam, sepefatus Sebret confessus est, Tributum Vduord, quod ex nostra largicione habuit, tenuit et possedit, uendidissem venerabili patri, Strigon. archiepiscopo, archiepiscopatus nomine ementi, pro centum marcis fini argenti, quas centum marcas dixit predictum archiepiscopum ad plenum Sibi soluisse et se habere, supplicans, quod nos firmum et ratum haberemus, quod ex sua licencia factum fuerat per eundem. Nos itaque de incremento status Strigon. ecclesie gaudentes et eam magnificare semper desiderantes, ut pote nostre specialis patrone, et uendicionem et gratificacionem domine Regine, Strigon. archiepiscopo et archiepiscopatui factam de terra Vduord, et uendicionem Tributi, per Sebret factam de nostra licencia, ratas et firmas habentes, quod pluris, vel villa, vel tributum valeret, quam empta vel emptum est, ex munificencia regia archiepiscopo et archiepiscopatui pro remedio anime nostre, precibus et meritis beati adalberti, ut speramus, optinendo et habendo, ex certa sciencia donamus, conferimus et assignamus, In uendicionis tam ville, quam Tributi, gratificacionis domine Regine, nostre ratificacionis, confirmacionis et supererogacionis memoriam et robur perpetuum, presentes nostras litteras in priuilegium ipsi archiepiscopo et archiepiscopatui concedentes, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistrisij Demetrii, albensis ecclesie Electi, aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo Ducentesimo Sexagesimo octauo, Regni autem nostri anno Tricesimo tercio. <sup>1)</sup>

Sigillum e rubro et viridi serico pendebat. Orig. lacerum integre amplius legi non potest, defectum e trans. Ludovici Magni de a. 1382. suppleuimus. In Arch. Prim. Sec. Lad. M. Fasc. 1. Nro. 6. et 19. Edidit Fejér Cod. dipl. IV. III. pag. 438. — Diploma hoc iam a. 1362. defectuosum fuisse, Ludovicus Magnus Rex ita testatur: „quia idem priuilegium tum propter diuturnitatem temporis, tum etiam propter minus bene conservantis incuriam, in charta quodammodo vetustum et laniatum, sed in sigillo saluum et integrum et bene conservatum foret.“ Fejér. IX. V. 563.

## 721.

1268. a. 14. Oct. — Bela IV. venditionem Castri Comaromiensis, a filiis Judaei Henel pro debito 800 marcarum Mariae Reginae cessi, Valtero Comiti pro eadem summa argenti factam, ratihabet et pertinentias Castri metis distinguit, eidemque Comiti una Civitatem etiam Comaromiensem donat.

In nomine sancte trinitatis et indiuidue vnitatis, patris, filij et spiritus sancti,

1) Ibidem per lapsum calami: octauo.



amen. Bela, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanieque Rex, Omnibus, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium salvatore. Eorum, qui Regiam conducunt Cameram, vel potius pro redditibus Camere Regie certam pecunie quantitatem se soluturus constituunt, obligant et promittunt, necnon conductores tricesime, seu emptores reddituum tricesime pro tempore, si non attenderint, quod promiserunt, uel non exsoluerint, quod debuerunt, siue nobis ratione Camere, siue domine Regine, karissime consorti nostre, ratione tricesime; bona omnia, mobilia et immobilia et se mouencia, Iure Regio occupantur et nisi celeri satisfaccione sibi prouiderint, distrahuntur pro modo et mensura debite quantitatis, emptoribus propter auctoritatem Regiam contra quoslibet premunitis. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, Quod cum Wluen, Nekkul et Olthmannus, <sup>1)</sup> Judei, filij Henel <sup>2)</sup> Judei, nobis scientibus, conduxissent tricesimam a domina Regina (sic), karissima consorte nostra, pro certa pecunie quantitate, nec exsoluissent totam debitam et conuentam quantitatem, sed adhuc remansissent debitores in octingentis marcis fini argenti, obligauerunt pro illis octingentis marcis fini argenti domine Regine Castrum suum Camarun, cum omnibus pertinencijs suis et vtilitatibus, ac Molendino in Thotha existenti, Quod castrum nos post Tartaros Henul Comiti, Judeo, patri eorum, donaueramus, dederamus et assignaueramus, certo termino redimendum, soluta prefata debite pecunie quantitate; quo termino veniente, uel non valentibus, uel non curretibus soluere, quod debebant; ad petitionem et nimiam instanciam eorundem, domina Regina adhuc assignauit eis alium terminum, in quo termino si non soluerent, quod debebant, astrinxerunt se preter principale debitum ad certam summam pecunie, ipsi domine Regine pene nomine persoluedam. Cum igitur iidem Judei nec debitum persoluissent et in multas penas commisissent (sic) propter plures terminos, sibi semper sub certis penis pluries concessos, et ab eis susceptos, Ita, quod coaceruacio penarum summam principalem debiti excederet. Tandem ad nimiam instanciam ipsorum Judeorum, profitencium, se plus debere, quam habeant in bonis, domina Regina recepit predictum Castrum ipsorum, Camarun vocatum, cum omnibus vtilitatibus et pertinencijs, Juribus et attinencijs suis, et quodam molendino, existenti in Thotha, ad predictum Castrum pertinenti, prout pater eorum et ipsi habuerunt, tenuerunt et possederunt, ipso Wluino et fratribus suis, Judeis, sponte offerentibus, dantibus et assignantibus in solutum, tam pro penis commissis, quam pro debito principali. Domina itaque Regina, Castro Camarun ad manus suas prefato modo deuoluto, nobis requisitis et nobis consencientibus et approbantibus, ven-

1) In transunto anni 1383: Wluyn Nekkel, et Olthmanus; in transunto Uladislai II. Weluen, Nekkul et Olthmanus.

2) In trans. 1383: Helel; Ulad. Henul.

didit ipsum Castrum Comiti Waltero, fideli nostro et suo, cum omnibus vtilitatibus, pertinencijs, Juribus et attinencijs suis et predicto molendino, in Totha existenti, pro octingentis marcis fini argenti, quas octingentas marcas predicta domina Regina confessa est, predictum Walterum Comitem plene soluisse et se habuisse, et quantum ad precium ipsius Castri Comitem Walterum a se penitus expeditum. Petens ipsa domina Regina, vt vendicionem Castri et pertinenciarum eius, Comiti Waltero ab ipsa factam, ad rei memoriam et robur perpetuum dignemur et velimus nostro aureo priuilegio communire. Nos igitur attendentes, iusticie et honestati conuenire, quod petebatur, votis annuimus, vendicionem prefatam, Comiti Waltero factam per dominam Reginam, karissimam consortem nostram, ex certa sciencia confirmantes et ipsum Comitem Walterum in possessionem Castri predicti, villarum, possessionum, Molendini, vtilitatum, Jurium et pertinenciarum, per hominem nostrum olyuerium, magistrum Tauarnicorum domine Regine, dilectum et fidelem nostrum, adiuncto sibi pro testimonio de Capitulo Strigon. Nena magistro, distinctis metis et terminis concordii voluntate omnium commetaneorum, prout idem magister Olyuerius, homo noster, et magister Nena de Capitulo Strigon., ad nos reuersi, retulerunt, fecimus introduci. Cuius Castri, villarum, possessionum, terrarum, aquarum, vallium et fenestorum, secundum assercionem concordem ipsius magistri Oliuerij, hominis nostri, et magistri Nena de Capitulo Strigon., hoc ordine distinguuntur.

Inprimis inchoatur a terra<sup>1)</sup> ville sancti andree et a terra ville Kezw,<sup>2)</sup> que pertinent ad ipsum Castrum,<sup>3)</sup> quarum prima meta incipit,<sup>4)</sup> vbi Waag fluuius intrat danubium sub Castro, et vadit superius uersus Ecclesiam s. Andree apostoli, ascendendo Juxta danubium; deinde venit ad metas populorum domini Archiepiscopi de villa Wrs, positas prope danubium in superiori parte Monasterij de Kothpan, In cuius terre longitudine medietas danubij pertinet Castro memorato, altera vero pars, que est ex parte monasterij de Kathpan, prouenit eidem monasterio. De metis autem predictorum populorum archiepiscopi venit iuxta terram Chena et Nogud, Jobagionum domini archiepiscopi, que est commetanea ex altera parte abbatis de Kathpan, et ab illo loco dicti Chena et Nogud tenent quartam metam, que tendit per paludem usque aquam Waag, que dicitur Kubuldukforem, et protendit inferius iuxta aquam Waag, cuius aque medietas spectat Comitatu memorato, alia autem populis de Nandur, vbi assignata est quinta meta<sup>5)</sup> Ec-

1) Ulad. Imprimis incipit meta terre.

2) In trans. a. 1383. Kezew.

3) Uladisl. ville kescu Castro pertinentis.

4) Ulad. in locum harum quatuor vocum ponit: in loco.

5) Uladisl. addit: in terra.

clesie de Moyk, que vocatur Kothouch <sup>1)</sup>, et inde descendit ad wagt u, scilicet ad priorem metam, vbi terminatur.

Item mete ville vrs, Castro pertinentis, sic distinguuntur: cuius prima meta incipit prope danubium, que vicina aque danubij, Monasterio de Kathpan prouenientis, superius ascendendo, que est commetanea alteri ville domini archiepiscopi, que vrs vocatur; deinde vadit ad partes Ecclesie sancti pauli, vbi sunt populi ecclesie Jauriensis, et inde vadit usque ad locum, qui dicitur Oxunteluke <sup>2)</sup>, qui est iuxta aquam, que vocatur Guestre, et ulterius propter inundacionem aque nequiverunt transmeare, neque metas assignare; deinde est meatus aque, que vadit per arundines ad stagnum, verch nominatum, vbi meta est posita partis utriusque de consensu; abhinc vadit per uiam aquaticam, que habet transitum ad locum, qui dicitur sasuch; a sasuch <sup>3)</sup> autem incipiendo est aqua, que vocatur duduag, pertinens Comitatu usque locum, Kormun <sup>4)</sup> nominatum, vbi commetaneus est Stephanus Zulugageuriensis, <sup>5)</sup> et sic inferius declinando uersus orientem, tendit usque terram Balyan, de genere Kathpan, vbi meta est communis; inde facit egressum versus villam Zakalus <sup>6)</sup> vduornicorum, vbi meta est assignata; ab illa vero meta sunt inferius commetanei <sup>7)</sup> domini Regis de villa Zakalus; <sup>8)</sup> abhinc habet metam communem cum abbate monasterij de Kathpan, rediendo per aquam paludosam usque locum, Bursos <sup>9)</sup> vocatum, et sic redeundo ad danubium, usque dictam villam vrs domini archiepiscopi venit cum binis metis, pacifice assignatis.

Item incipiunt mete terre vrkey Castro pertinentis, cuius prima meta incipit ab aqua, Erchen <sup>10)</sup> vocata, et venit usque magnam viam per aquam <sup>11)</sup>, vbi meta est posita, que tendit ad vallem, kokol nominatam; deinde vadit ad Kurtuelus, <sup>12)</sup> ubi sunt due mete, et venit ad locum, qui dicitur Fyuesuth, ubi sunt due mete; et inde tendit ad illum locum, qui uocatur folufolde, <sup>13)</sup> binis metis assignatis, quibus Salomon Comes est commetaneus, ex altera parte usque terram Job, Jobagiones domini archiepiscopi; a terra vero Job vadit us-

1) Ulad. Gothouch.

2) Trans. a. 1383. Oxunteleke.

3) Ulad. sasuth.

4) Trans. a. 1383. Kormon.

5) Ibidem: Zolgageuriensis.

6) Ibid. Zakalos; Ulad. Scakalus.

7) Ulad. addit: agazones.

8) Ulad. Zakalws.

9) Ibid. Bursous.

10) Trans. a. 1383. Erchyn.

11) Ulad. perquam.

12) Trans. a. 1383. Kurthuilis; Ulad. Curtuelus.

13) Trans. a. 1383. folufeuld; Ulad. folufelde.



que Meger s,<sup>1)</sup> ubi meta est, que nominatur potteluke<sup>2)</sup>. Inde transit aquam duduag, et uadit ad locum, allosceghatya<sup>3)</sup> dictum, vbi meta est assignata, et sic terminatur.

Item distinciones metarum ville Oronos<sup>4)</sup>, que est Castri, in qua iuxta aquam est vna piscina, que vocatur Louch<sup>5)</sup>, cuius pars superior spectat predictae ville Oronos, inferior vero pars pertinet alteri ville Oronos, que est Zulugageuriensis; Inde egreditur ad paludem, Meenkeri<sup>6)</sup> vocatam, cuius medietas inferior est Zulugageuriensis, superior vero pars pertinet ad Castrenses de Oronos, transitque ad lacum, qui dicitur Kuper<sup>7)</sup>, cuius via est communis, transeundo per metas aque usque terram Salomonis; deinde egreditur ad terram Marcelli, Jobagionis archiepiscopi, ubi meta est posita; et inde tendit ad terram populorum domine Regine, vbi sunt due mete assignate; dehinc commetaneus est abbas sancti Saluatoris de Seraphino, et ab altera parte sunt commetanei dictorum Castrensiu, Gabriel et Paznan, de villa Ekl, et sic transeundo, tenent metas cum Paulo de eadem uilla Ekl, veniendo ad paludes, in quibus sunt mete Stephani de eadem villa Ekl, et castrensiu, que Lys vocantur; Hijs autem metis relictis, venit ad metas Megerch et ad pratum, Gelper<sup>8)</sup> vocatum; abhinc inferius veniendo, sunt commetanei populi Ecclesie Jauriensis, vbi mete de Oronos finiuntur.

Item sequitur distincio metarum ville Oucha, pertinentis ad Castrum Camarun, cuius prima meta est in palude arundinosa, in qua est aqua decurrens, cuius pars superior pertinet ad dictam villam Oucha, inferior autem pars ad aliam villam Oucha, que est villa voncha<sup>9)</sup>, et filij sui, ac cognacionum eius, usque aquam duduag, et per aquam Saar inter arundines transeundo, sunt commetanei Castri nobiles de Kathpan. Inde redeundo per lacum, Eer vocatum, sunt due mete innouate, et sic venit versus meridiem per metas usque terram Samud<sup>10)</sup>, vbi sunt due mete communiter eleuate; deinde tendit inferius versus occidentem ad metas abbatis sancti Benedicti, et ad metas almus<sup>11)</sup>, Jobagionis Zulugageuriensis; postmodum descendit ad quandam vallem iuxta villam Oucha, vbi sunt tres mete antique et ibi reliquerunt conterminium Almus nominati; ab istis autem tribus metis reuertitur ad pratum vnum eundo per

1) Trans. a. 1383. Megerch; Ulad. Megyers.

2) Trans. a. 1383. potteluke.

3) Ibid. Allosceghachtya.

4) Ulad. Aronos.

5) Ibid. Lowth.

6) Trans. a. 1383. Menkery; Ulad. Menkyri.

7) Trans. a. 1383. Kwpeer.

8) Trans. a. 1383. Gelper.

9) Ibid. Wncha; Ulad. Woncha.

10) Trans. a. 1383. Samod.

11) Ibid. almos.

aquam, Eer dictam, et venit per aquam Saar vsque priorem metam, vbi predictas villas, videlicet Oucha et Kuchud mete separant ab inuicem.

Item sequitur metacio terre Culchud<sup>1)</sup>, cuius priores commetanei sunt populi ville Guler<sup>2)</sup> Zulugageriensis. Inde egreditur uersus occidentem per piscinam, que dicitur babalatow<sup>3)</sup>. Inde venit ad aliam aquam, que vocatur vegag<sup>4)</sup>; deinde venit ad vnum fossatum, quod tendit usque uillam Bogha<sup>5)</sup>, cuius fossati medietas pertinet ad predictam villam Kulchud, alia vero medietas spectat ad uillam Gyuler. Inde egreditur ab oriente usque aquam duduag, eundo per arundines, vbi sunt commetanei nobiles de villa Ekl, ita, quod in illo loco partes ad inuicem per aquam non possunt accedere per spacium triginta cubitorum, et illi triginta cubiti positi sunt pro signo metarum; ab illo vero loco reuertitur ad priorem metam ville Kulchud et ibi terminatur.

Item mete ville Bogha, que est castri, incipiunt: prima meta incipit uersus meridiem apud locum, qui dicitur molunchel<sup>6)</sup> et protendit ad occidentem ad villam Gyuler<sup>7)</sup>, inde venit ad quandam terram dicte ville Gyuler, que Holm<sup>8)</sup> dicitur, et aliam terram, que est ville Bogha, Ozu<sup>9)</sup> nominatum, inter quas in valle meta est assignata; abhinc recedit ad unum angulum, similiter Ozu dictum, vbi intrat in paludem arundinosam, transeundo ad alium angulum, qui dicitur aprouscyl<sup>10)</sup>. Inde vadit ad locum, qui dicitur Magla, qui pertinet ad villam Bogha; ex altera parte dicti loci est terra Chene, de genere Kathpan; deinde reuertitur ad piscinam communem que Semlekus<sup>11)</sup> appellatur; postea venit ad aliam piscinam, Labuantow<sup>12)</sup> nominatam, cuius pars vna pertinet ad predictam villam Bogha, altera vero pars spectat ad villam Guta, que est archiepiscopi Strigon.; deinde venit contra orientem ad salicem Lugur<sup>13)</sup>, ubi est meta communis; abhinc transijt aquam duduag, cuius aque superior pars est predictae ville Bogha, inferior autem Chene supradicti.

Item mete ville Zakalus<sup>14)</sup>, in qua est Ecclesia sita in hono-

1) Ambo: Kulchud.

2) Trans. a. 1383. Guler; Ulad. Guller.

3) Trans. a. 1383. Babatatow; Ulad. Kabalatou.

4) Trans. a. 1383. vygag.

5) Ibid. Bokha.

6) Ibid. Molonhel.

7) Ulad. Gyuller.

8) Trans. a. 1383. Halm.

9) Ulad. Ozw.

10) Trans. a. 1383. Aprozil; Ulad. Oprouseyl.

11) Trans. a. 1383. Semlykus.

12) Ibid. Labwantow; Ulad. Laboantho.

13) Trans. a. 1383. Lugor.

14) Ibid. Zakalos.

re sancti Mychaelis, pertinentis ad Camarun, primus commetaneus est Chenz, de genere Karthpan, solummodo in terra, in aqua uero nullam habet porcionem; inde vadit per meatum aque ad aliam villam superiorem, que eciam Zakalus nominatur, pertinentem Comitatus supradicto. Inde vadit per paludes ad villam Ekech, que eciam pertinet ad Castrum, et est ibi commetanea villa Gyuler. Inde tendit ad piscinam, que Myler est vocata, et est spectans Comitatus supradicto; deinde vadit ad villam Meger, vbi piscina est, que Euren<sup>1)</sup> appellatur, et ibi meta separatur a villa Meger; postea venit ad conterminium/ville abrahe, que vocatur Bolat, et inde transijt ad aliam villam, Staul nominatam; postea tendit ad orientem ad villam, que dicitur Beryn; Inde vadit ad villam Sygarth<sup>2)</sup> et ibi ultima meta diffinitur.

Item villa Fyur in vna parte ad occidentem tenet metam cum villa Potouch<sup>3)</sup> ad lacum, vocatum Megeag. Inde transijt iuxta dictam megeag<sup>4)</sup> ad terram Egidij. Inde vadit ad terram Ylemer<sup>5)</sup>, iuxta quem est locus, qui dicitur Gyrew, vbi meta Comitatus terminatur; a dicto autem declinando loco inferius ad orientem venit usque ad villam Samuelis; postea transijt aquam Chelch ad villam Rodouan<sup>6)</sup>, vbi finis est metarum dicte ville Fyur.

Item Comes Camariensis in villa Meger habet ducenta Jugera terre arabilis et sedecim loca piscatoria, que vlgo Veyzhel vocantur, et in villa Vamus<sup>7)</sup> in lacu, qui Chelch dicitur, Castrenses de villa Meger habent eciam quinque loca piscatoria, que similiter Veyzhel vocantur.

Item mete ville Thon Castrensiarum: priorem metam habent iuxta Almus supradictum. Inde vadit ordinatim versus meridiem per paludes transeundo, que babana nominantur, et venit usque metas, Foncholcahacya vocatas. Inde transijt ad aliam metam, que Kazmergholtia vocatur, et transijt ultra aquam, veniendo ad metam, que appellatur Bolotuntu<sup>8)</sup>, vbi est dumus, que vlgo dicitur Gyrowbukur<sup>9)</sup>; postea veniendo inferius iuxta aquam Sypol<sup>10)</sup>, Ibi meta est assignata. Inde transijt dictam aquam ad villam Bartolomei, Kezu<sup>11)</sup> nominatam, vbi meta est communis, et venit ad aliam aquam, Myler

1) Ibid. Euryu; Ulad. Ewrem.

2) Ibid. Sygrach; Ulad. Sygart.

3) Ibid. Potouch; Ulad. Potthoch.

4) Ibid. Megyeagh.

5) Ibid. Ilemer; Ulad. Cylemer.

6) Ulad. Bodonan.

7) Trans. a. 1383. Vamos.

8) Ibid. Bolotontw.

9) Ibid. Gyrewbokor; Ulad. Gyrewbukur.

10) Ibid. Sypol.

11) Ibid. Kezew.



dictam, vbi est alia villa Kezu, que spectat Stephano <sup>1)</sup>, filio Pauli, et transit ad villam korardi, que Nena dicitur, vbi fossa vna est posita pro communi meta, iuxta quam est piscina, que vocatur Holostow <sup>2)</sup>. Inde protendit ad locum, Nemamagula nominatum, ubi villa abbatis sancti Martini, Fyus vocata, est commetanea dicte ville Thon. Inde vadit ad occidentem vltra aquam Er ad locum, qui dicitur agtu <sup>3)</sup>, vbi est meta communis cum predicta villa Fyus. Inde vadit ad dorsum aque, que nominatur Mogfew <sup>4)</sup>; deinde uenit in terra, vbi eciam est meta communis cum eadem villa Fyus; inde transit aliam aquam, Corzan vocatam, veniendo ad villam Horozth, vbi meta est communis; Inde transit aquam Mege usque villam Gyuler, vbi meta est in terra statuta, iuxta quam sunt due piscine, quarum una, que Horozt vocatur, cum omnibus vtilitatibus suis pertinet predictae ville Thon, alia vero, que Fuzes <sup>5)</sup> dicitur, spectat ad prefatam villam Gyuler. Inde circuendo redit ad sepulcrum Elze, iuxta villam Kulchud, vbi mete predictae ville Thon terminantur.

Item mete ville Horozt <sup>6)</sup>, que pertinet ad Camarun, cuius prima meta est apud villam Thon et est ibi Piscina, Corzan nominata, que separat metam terre Thon a terra Horozt. Inde venit ad villam Fyus, que est abbatis sancti Martini; deinde transit per aquam usque villam Chychow <sup>7)</sup> et per aliam aquam, Myler dictam, ascendendo, venit ad villam Culchud et per eandem aquam transit ad villam vamos. <sup>8)</sup> Inde redit ad villam Gyuler; postea venit ad aquam Horozthzorm, vbi mete dicte ville Horozth finiuntur.

Item distincio metarum ville Chychow, que est Castri, cuius prima meta Egreditur ad orientem, transeundo per aquam Myler usque villam Fyus, vbi meta est communis. Inde reuertitur contra meridiem ad metam magistri Jacobi, filij Mychaelis, usque paludem, que requezth <sup>9)</sup> nominatur; deinde transit aquam Erech, et ad aliam aquam Chelech vocatam, que tendit sursum veniendo ad villam abbatis sancti Martini et usque alteram villam, Culchud dictam, iuxta quam est aqua, que megeag dicitur, et ibi ad priorem metam rediendo terminatur.

Item villa Nema spectat Comitatu de Camarun in quarta parte, cum omnibus vtilitatibus suis, pertinentibus ad eandem, cuius terre prima meta incipit a populis ducatus, et transit per aquam Myler vsque villam Thon

1) Ulad. Chepano.

2) Trans. a. 1383. Halastow.

3) Ibid. agtw; Ulad. agcu.

4) Ibid. Magfew; Ulad. Mogfeu.

5) Ibid. Fyzes; Ulad. Fyuzes.

6) Ibid. Harazth.

7) Ibid. Chychaw; Ulad. chychou.

8) Ibid. Vamos.

9) Ibid. Rekezth; Ulad. Reguest.

et venit ad villam **Kezw** <sup>1)</sup>. Inde redit ad villam **Gunu** <sup>2)</sup> usque danubium. In superiori autem danubij parte commetaneus est **Corardus Comes**.

Item mete ville **Megerch**, que sita est inter arundines, taliter distinguntur: eundo per aquam ad orientem **Ikur** <sup>3)</sup>, vadit usque aquam **Ygyz** <sup>4)</sup>, que est prope villam **Zakalus**, vbi **Nicolaus**, agaso domini Regis, est commetaneus. Inde egreditur inferius ad piscinam, que dicitur **Labuan**, <sup>5)</sup> qua transita, sunt commetanei **Georgius** et **Barianus**, <sup>6)</sup> de genere **Kathpan**; deinde procedit ad villam **Vrkey**, vsque piscinam **Oklus**, que pro meta habetur. Inde facit metam <sup>7)</sup> versus occidentem ad villam **Oronos**, ad piscinam, **vydere** nominatam. Abhinc venit ad **Janus**, de genere **Kathpan**, usque locum, qui dicitur **Paulto** <sup>8)</sup>, et ibi mete finiuntur.

Item mete ville **Zakalus** apud ecclesiam sancti **Georgij**, cuius prima meta egreditur ad orientem, eundo ad piscinam, **Kormuntu** <sup>9)</sup> vocatam. Inde vadit ad aliam piscinam, **Balata** <sup>10)</sup> nominatam, que cum palude circumstanti pertinet ad dictam villam **Zakalus**. Inde exit de aqua **duduag**, vbi est aqua pro meta assignata, que **Kengelfew** nominatur et inde ascendit per aquam **duduag** usque locum, qui **loaztu** <sup>11)</sup> appellatur, et venit ad aliam piscinam, que **Fyul** dicitur, que pertinet ad predictam villam **Zakalus Castrensem**.

Item sunt alie piscine, que pertinent specialiter ad personam Comitis de **Kamarum**, quarum nomina hec sunt: **Musnalou**, **Labuan**, **Ygyz**, **Solou**, et **Jokud** <sup>12)</sup>, due piscine, **Fuzes** nominate, et alie due, **vdurnukuth** <sup>13)</sup> vocate; item **Tepech**, **Pecud**, **Clithca**, vbi sunt duo loca piscatoria.

Item mete ville **Arpa**, que est Castri **Camarun**, cuius prima meta egreditur et vadit versus meridiem per binas metas ad aliam villam **Arpa**, que est villa domine **Regine**. Inde venit ad villam **Bana**; deinde per circuitum redeundo ad partes meridionales, tendit ad uillam **vytez**, que eciam **arpad** nuncupatur. Inde redeundo uersus occidentem, venit ad terciam villam arpa,

1) Ibid. **Kezew**; Ulad. **Kezu**.

2) Ibid. **Gwnew**.

3) Ibid. **Iker**; Ulad. que vocatur **Ikur**.

4) Ibid. **Igyz**; Ulad. **cygyz**.

5) Ulad. **laboan**.

6) Ulad. **Balyanus**.

7) Ulad. **meatum**.

8) Trans. a. 1383. **Paultow**; Ulad. **Paulcou**.

9) Ibid. **Kormontw**.

10) Ulad. **Balach**.

11) Trans. a. 1383. **louaztw**; Ulad. **luaztu**.

12) Ibid. **Musnalow**, **labwan**, **Igyz**, **Sulew**, **Jokod**; Ulad. **Musnalou**, **laboan**, **cygyz**, **Sulou**, **Jokud**.

13) Ibid. **wdurnokkwith**.

que pertinet ad Apa, Jobagionem Castri de Camarun, et inde tendit versus villam Zelebeg usque magnam viam, que vadit Jaurinum, et ibi terminatur.

Item est alia villa Arpa, cuius terre medietas pertinet Comitatus de Camarun, alia autem medietas preconibus domine Regine, quam possident communiter, metis vndique inclusam. Cuius terre prima meta incipit iuxta terram Paulini, de genere Kathpan, et egreditur ad orientem. Inde reuertitur uersus meridiem ad uillam Bana, deinde venit usque uillam Hazuga<sup>1)</sup> et Syke arpa nominatam, ad primam metam postmodum redeundo.

Item mete ville Kurth, iuxta danubium existentis, que est uilla castri, vadunt ordine hoc: prima est in inferiori parte insule, existentis in danubio. Inde exit de insula et vadit directe uersus domum Bunda, vbi est meta assignata; postmodum vadit ad aquam, que dicitur Zytua,<sup>2)</sup> vbi etiam Bunda est commetaneus, et ibi medietas dicte aque pertinet ad prefatam villam Kurth; deinde egreditur ad terram Poth, vbi meta est communis usque danubium et ibi medietas danubij a dicta terra Poth, que est Jobagionis Castri Camarun, usque uillam Ysa,<sup>3)</sup> cum omnibus vtilitatibus suis spectat ville Kurth memorate.

Item tertia pars terre Heten<sup>4)</sup> cum pratis, aquis et omnibus vtilitatibus ac pertinencijs suis, pertinet Comitatus de Camarun sepedicto.

Item quarta pars terre Bylle, feneti, aque, ac omnium vtilitatum et pertinenciarum eius et vnum molendinum pertinet Comitatus memorato.

Item molendinum, quod erat Regium, in villa Thotha, uidelicet due rote in vna domo, contulimus Comitatus de Camarun cum terra vnus aratri, ad idem molendinum pertinente.

Et quia prefatus Comes Walterus propter multa fidelia seruicia sua nobis placere meruit et in cottidianis et familiaribus obsequijs domus nostre gratus nobis semper extitit et deuotus, volentes ipsum in recompensationem meritorum suorum fauoribus extollere et gracia prosequi speciali, villam Camarun, vbi nostri vduornici fuerunt, sibi, filijs et filiorum suorum heredibus contulimus, Jure perpetuo, quiete et pacifice possidendam, In cuius ville Camarun possessionem et tenutam ipsum Comitem Walterum per Olyuerium, magistrum Thauarnicorum domine Regine, karissime consortis nostre, dilectum et fidelem nostrum, fecimus introduci.

Vt autem per dominam Reginam Comiti Waltero Castri Camarun et pertinenciarum eius vendicio, et per nos ville Camarun donacio apud ipsum Co-

1) Ulad. Hozuga.

2) Ibid. Zythwa; Ulad. Zythua.

3) Ibid. Isa; Ulad. cysa.

4) Ibid. Hetyn.



mitem Walterum, filios suos, filiorum heredes, necnon apud vltiores successores perseuerent et robur obtineant firmitatis; presentes nostras, in priuilegium perpetuum, tam super vendicione, quam super donacione, concessimus litteras, quibus litteris bullam auream manibus proprijs duximus apponendam. Datum per manus venerabilis patris Phylippi, sancte Strigon. Ecclesie archiepiscopi, aule nostre cancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. CC<sup>mo</sup>. sexagesimo octauo, Strigoniensi archiepiscopo Phylippo prefato, cancellario nostro; Stephano Colocensi archiepiscopo; Lamperto agriensi; Paulo Wesprimiensi; Phylippo Wacyensi; Farkasio Jauriensi; Job quinqueecclesiensi et Vincencio Nitriensi; Gallo transilvaniensi; Briccio Chanadiensi; Thymoteo Zagrabiensi; Lodomerio Waradiensi; Pousa Boznensi et Johanne Sirimiensi Episcopis existentibus et Ecclesias dei feliciter gubernantibus. Laurencio palatino et Comite Symigiensi; Hernico (sic)<sup>1)</sup> bano tocius sclauoniensis (sic); Stephano Comite Posoniensi et Iudice Curie domine Regine; Erney Comite Castri ferrei et Iudice Curie nostre; Chak bano, Comite Zaladiensi; Laurencio Comite Supruniensi et magistro dapiferorum nostrorum; Herrando<sup>2)</sup> Comite Musuniensi; magistro Mauricio Comite de Barania et magistro Tauarnicorum nostrorum, et alijs Comitatus et magistratus tenentibus.

E transumto Capituli Budensis de anno 1347. Idem Capitulum denuo transcripsit anno 1383. Litteras has Bela Rex etiam privilegialiter sub duplici sigillo edidit sub tali clausula: presentes nostras litteras In priuilegium perpetuum, tam super vendicione, quam super donacione concessimus, dupplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Magistri Demetrii, Albensis Ecclesie Electi, Aule nostre vice cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo ducentesimo Sexagesimo octauo, Regni autem nostri anno Tricesimo Tercio. — Has iterum transumit Uladislav II. a. 1504. — Lectiones variantes adnotare e re esse duximus. — Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. Fasc. 2. Nro. 25. et 26. bis. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 443.

## 722.

1268. — Capitulum Strigon. Mortunus et Georgium, interpretes Kelduchini Cumani, e mandato Maria Reginae in terra Nyir, excepta portione Petri, civis Strigon., statutos fuisse testatur.

A

B

C

D

Gregorius prepositus et Capitulum Ecclesie Strigon. omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino. Ad uniuersorum notici-

1) Ibid. Henrico.

2) Ibid. Herrardo.

am tenore presencium uolumus peruenire, Quod cum domina Maria, Illustris Regina Vngarie, nobis per suas litteras precepisset, ut unum ex nobis, cum comite Rubyno, Villico Strigoniensi, homine suo, mittere deberemus, cuius testimonio idem comes Rubynus terram ipsius domine Regine, Nyr uocatam, quam Mortunus et Georgio, interpretibus Kelduchyni cumani, eadem domina Regina in prefatis suis litteris se contulisse scribebat, perambulet et statueret hominibus memoratis, Nos iuxta ipsius domine Regine mandatum, vnum ex nobis, uirum ydoneum et discretum, videlicet Wytkam presbiterum, Ecclesie nostre Decanum, ad terram misimus antedictam; qui demum rediens, nobis retulit, quod cum dictus comes Rubynus, ad ipsam terram accedens, eandem per metas suas ueteres, uocatis et presentibus hominibus Reginalibus, supra eadem terra Nyr residentibus, perambulet et circuiret et prefatis Mortunus et Georgio assignare intenderet; Petrus, filius Johannis de Nyr, ciuis Strigoniensis, in ipsa terra comparens, presentibus prefatis hominibus Reginalibus de Nyr, et nominatim ex eisdem Georgio, Palen, Syka, Leguen et Petro, filio Buchte, ac alijs ipsius terre vicinis et commetaneis, terram hereditariam, ad usum trium aratorum sufficientem, non cum metis separatam, sed mixtim adiacentem, distinctam cum herbis, in eadem terra Nyr dixerit se habere. Et tam dicti populi Reginales, quam etiam alij commetanei eundem Petrum in ipsa terra Nyr affirmauerunt et confessi fuerunt, habere terram quantitatis memorate. Predicti etiam Mortunus et Georgius, quibus ipsa terra Reginalis assignata extitit, terram prefati petri, in eadem mixtim adiacentem, ut premisimus, cum feneto et alijs utilitatibus, ac pertinencijs suis reliquerint et dimiserint eidem Petro, pacifice sine aliqua inquietudine possidendam. In cuius rei testimonium et memoriam presentes nostras concessimus Litteras, sigilli nostri munimine Roboratas. Datum per manus magistri Sixti, Scolastici Strigon. Anno domini. M<sup>o</sup>.cc<sup>o</sup>.Lx<sup>o</sup>. Octauo.

Sig. minus bene conservatum e serico viridi pendet. Orig. nitide conscriptum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 29. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. I. 93., Wenzel I. c. VIII. 214.

### 723.

1268. — Cruciferi Strigon. Martinum, Abbatem de Grón, ecclesiae suae terram de Párkány Simeoni, Jobagioni Castri Strigon., donasse testantur.

Frater Petrus, diuina miseracione magister domus Hospitalis sancti Stephani Regis de Strigonio et conuentus eiusdem, vniuersis xpi. fidelibus, litteras presentes inspecturis, salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam

volumus pervenire, quod accesserunt ad nostram presenciam Martinus, abbas sancti Benedicti de Goron, ab una parte, et Symun, Jobagio castri Strigon. de Neek, ab altera, Idem abbas confessus est uia uoce, quod communi uoluntate fratrum et Jobagionum suorum terram et piscaturam ecclesie sue de kokotli cum suis vtilitatibus antedicto Symun et alijs hospitari volentibus contulisset, Ita eidem et alijs ordinando libertatem, ut prefatus Symun situm curie et terram sufficientem pro uno aratro, non mensuratam, sed uno aratro sufficientem, habere possit, et annuatim duo pondera Idem Symun et alij hospites super predictam terram residentes soluere tenerentur, et idem Symun hospites, dicti ecclesie protegere et defendere ab infestatoribus indebite teneretur et terram sepedicte ecclesie hospitibus, super prefatam terram commorantibus, uel etiam supervenientibus, ordinare et collocare, uel diuidere secundum iuris formam, liberam haberet facultatem; Ita uidelicet, ut sepedictus Symun, cuicumque vellet relinquere post decessum secundum ordinem libertatis, siue consanguineo, sive alijs, nullo contradicente, relinquere posset; et ut hoc ut (sic) firmum et ratum habeatur, ad instanciam utriusque partis nostras dedimus litteras, sigillo nostro roboratas. Datum anno domini M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. Sexagesimo Octauo.

A

B

C

Sigillum e flavo et rubro serico pendet. Orig. in Arch. Aerarii Regii Hung. Acta Eccl. Fasc. 24. Nro. 6. — Ed. Fejér Cod. dipl. IV. III. 475., Wenzel l. c. VIII. 223.

---

724.

1269. 13. Mart. — Bela dux Sclavoniae, patri suo Belae Regi terram Orosz confert.

Bela, dei gracia dux tocius Sclauonie, Dalmacie et Croacie, Vniuersis xpi. fidelibus, presens scriptum inspecturis, Salutem in vero salutari. Ad vniuersorum noticiam Tenore presencium volumus peruenire, Quod nos volentes occurrere voluntati domini Bele Regis, patris nostri karissimi, sincero cum affectu, quandam villam nostram, sitam iuxta Goron, Wruz nuncupatam, nostro ducatu pertinentem, ad petitionem dicti domini Regis, patris nostri karissimi, eidem dedimus et contulimus cum terris et omnibus vtilitatibus suis, sicud nos possedimus, vt idem dominus Rex, karissimus pater noster, de eadem villa facere et ordinare possit iuxta sue libitum voluntatis. In cuius rei stabilitatem presentes contulimus, dupplicis Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus venerabilis patris Ladislai, Episcopi Tynniensis, Aule nostre Cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno dominice Incarnacionis Millesimo CC<sup>mo</sup> LX<sup>mo</sup> Nono, Tercio Idus Marcij, Ducatus autem nostri anno primo.

Ex auth. transunto Capituli Strigon. de a. 1387. In Arch. Prim. Sec. Lad. T. Fasc. 2. Nro. 30. — Ed. Cod. Strig. I. 61.



## 725.

1269. 14. Maii. — Comes Dionysius terram suam *Barbata* Monasterio s. Ben. de iuxta Grón donat, coram Capitulo Strigon.

A

B

C

Capitulum ecclesie Strigon., omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, Salutem in domino. Ad Vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod nobilis vir, Comes Dyonisius, filius *Beke*, unacum fratre *Michael*e, monacho de Conuentu Monasterij sancti Benedicti iuxta *Granam*, in nostri presencia personaliter constitutus, terram suam, quam dixit se habere in terra, *Barbata* uocata, iuxta terram predicti Monasterij, quam a filijs *Hysce* asseruit se emisse, dedit, tradidit et donauit coram nobis, pro remedio anime sue, predicto Monasterio, perpetuo possidendam. In cuius rei testimonium et memoriam, ad petitionem eiusdem Dyonisij comitis, presentes nostras concessimus litteras, Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri *Sixti*, Lectoris Strigoniensis. Anno domini Millesimo cc<sup>o</sup> Lx<sup>o</sup> Nono, Secundo Idus May.

A tergo „Pro terra *Barbata*, quam Dyonisius comes sancto benedicto tradidit.“ Tum manus sec. 16. addidit: „Cum siluis, Nemoribus, virgultis et pratis inter fluuium *Gorón* et viam publicam existent.“ Inferius autem: „eciam cum alia particula terre, ab alia parte ipsius vie versus terram *pinar* (?) existentis“. Alia iterum manus adiecit: „*Kyskalna*“, tum recentior: „*Barbata* praedium in *Cottu Bars*.“ — Sig. sat bene conservatum e flavo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40. Fasc. 1. Nro. 11. Aliud par cum litteris incisis in inferiori margine ibidem Nro. 1. — *Fejér* bis memorat. l. c. IV. III. 100. et VII. V. 339., sed erronee ad a. 1262. — Ed. Cod. Strig. II. 93., *Wenzel* l. c. VIII. 241.

## 726.

1269. 29. Junii. — Capitulum Albense requirit Capitulum Nitriense, ut litteras suas super vendicione terrae *Baroch*, Nro. 727. exhibitas, privilegialiter expediat.

Viris venerabilibus et discretis, amicis suis karissimis, Capitulo Nytriensi, Albensis ecclesie Capitulum mutuam in domino caritatem. Nouerit discrecio uestra, quod *Dominicus*, comes de *Barana*, coram nobis personaliter comparando, uoluit et petiuit, ut super uendicione terre *Boroch* priuilegium uestrum domino *Phylippo*, venerabili archiepiscopo Strigon., aule illustris domini regis cancellario, eodem modo et ordine detis, quemadmodum seriem ipsius contractus in priuilegio nostro uideritis plenius contineri. Datum in festo Sancti Petri.

E Nro. 731. — Edidit *Fejér* Cod. dipl. IV. III. pag. 534. — Datum litterarum praesen-

tium sic determinari potest: Nrus. 727., ad quem transumendum Capitulum Nitriense hic provocatur, extrodatum est 30. Junii, Nrus. autem 731., in quo transscriptio fit, 1. Aug. est exaratus; incidit quidem in hunc diem 1. Aug. festum ad Vincula Petri, sed festum hocce sub dato litterarum praesentium ex eo latere non potest, quia tunc litterae hae, die 1. Aug. Albae Regiae exaratae, eodem iam die Nitriae, ut Nrus. 731. ostendit, transumtae fuissent, quod ob distantiam fieri non potuit; cum autem intermedio tempore nullum festum s. Petri occurrat; dicendum est, litteras praesentes festo ss. Petri et Pauli, seu 29. Junii, uno nempe die ante expeditionem litterarum transumendarum, exaratas esse.

---

727.

1269. 30. Jun. — Dominicus, comes de Baranya, terram suam Baroch vendit Philippo Archiepiscopo Strigon. coram Capitulo Albensi.

(C)Apitulum ecclesie albensis, Omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino sempiternam. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod Dominico, comite de Barana, filio Petri comitis, de genere Chak,<sup>1)</sup> ab una parte, Magistro Walentino, cantore Strigon., procuratore venerabilis patris Philippi, Strigon. archiepiscopi, aule Regis cancellarij, ex altera, in nostra presencia constitutis; prefatus Dominicus, comes de Barana confessus est, se vendidisse quandam terram suam, nomine Boroch, in comitatu Nitriensi situatam, prope nouum Naswod, Curtem archiepiscopalem, prefato<sup>2)</sup> venerabili patri, archiepiscopatus nomine ementi, pro quadraginta marcis communis argenti, cum pratis, piscaturis, Insulis et alijs pertinencijs, ac vtilitatibus, sub eisdem metis et terminis, sub quibus idem ipsam terram habuit, tenuit et possedit, quas quadraginta marcas communis argenti, precium conuentum predictae terre, Magister Walentinus, cantor Strigon., procuratorio nomine Strigon. archiepiscopi, prefato comiti Dominico in conspectu nostro dedit, soluit, numerauit et assignauit, qui comes Dominicus nichilominus protestatus et confessus est, recepisse et penes se habere totum precium vendite ab eo terre et sibi plenitus (sic) satisfactum, et ipsam terram cum pleno dominio coram nobis ex nunc magistro Walentino cantori, uice et nomine archiepiscopatus et archiepiscopi nomine<sup>3)</sup> assignauit. In cuius rei testimonium et robur perpetuum, presente, volente et petente ipso comite Dominico, sepefato Cantori, procuratorio archiepiscopatus et archiepiscopi nomine, presentes nostras litteras dedimus et concessimus et eis sigillum nostrum<sup>4)</sup> autenticum apponi fecimus et

---

1) In transumto Capituli Nitriensis: Ch a a k.

2) Ib. vox haec emansit.

3) Ib. vox haec desideratur.

4) Ib. vox haec pariter deest.

appendi. Datum Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>. Nono, pridie kalendas Julij. Magistro Demetrio ecclesie nostre preposito, aule Regis vicecancellario; Myke Cantore, Feliciano Custode, Micaele decano existentibus.

Sigillum e rubro et violaceo serico pendebat. Orig. pulchre exaratum, sed igne corruptum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 49. Fasc. 1. Nr. 6. — Transuntum Cap. Nitr. vide sub Nro. 731. — Ed. Fejér Cod. dipl. IV. III. 534, extr. ib. VII. V. 358. — Ed. Cod. Strig. II. 93., Wenzel l. c. VIII. 243.

---

728.

(1269.) 8. Julii. — Bela IV. committit Capitulo Strigon., ut decem marcas, quas Stephanus, filius Amadei, Urka clavigero regali solvere debet, procuratori eius admanuari procuret.

B. dei gracia Rex Hungarie, fidelibus suis, Capitulo Strigon. salutem et gratiam. Cum Vrka, clauiger noster de Lyptou, quia in seruicio nostro est, ad recipiendas decem marcas, quas eidem magister Stephanus, filius Omodey, debet soluere coram uobis pro precio cuiusdam terre, personaliter accedere non potuerit, sed miserit hominem suum, tam pro recipienda pecunia, quam pro reddendo priuilegio nostro, quod super dicta terra habuit; fidelitati uestre mandamus precipientes, quatenus decem marcas, quas magister Stephanus debet, solui faciatis et priuilegium, quod Vrka, clauiger noster misit, pecunia soluta, magistro Stephano statuatis, facti seriem nobis per uestras litteras remandetis. Datum in Lypche in quindena beati Johannis baptiste.

E Nro. 729., unde etiam annus dati diplomatis colligitur. — Ed. Cod. Strig. I. 62.

---

729.

1269. 13. Jul. — Urka de Kural, Tavernicus regalis, terram Vezekény cedit Stephano, filio Amadei, pro decem marcis, a procuratore eius coram Capitulo Strigon. receptis.

Gregorius prepositus et Capitulum ecclesie Strigon. omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, Salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod sicut in litteris comitis Stephani, viceiudicis Curie domini Bele, Illustris Regis Hungarie, uidimus contineri, magister Stephanus, filius comitis Omodey, ex una parte, et Vrka, filius Baas de Kurol, Tawarnicus domini Regis, ex altera, coram ipso comite Stephano viceiudice constituti, super quadam terra, Wezekeu uo-



cata, in comitatu Huntensi existenti, quam quondam preconum fuisse asserebant, super qua inter eos contencio mota fuerat, per arbitrium Michaelis, comitis de Zoulum, dixerunt se taliter concordasse, quod dictus Vrka prefatam terram, super qua eciam priuilegium domini Regis se habere dixerat, deberet relinquere et assignare magistro Stephano memorato in quindena festi Natiuitatis sancti Iohannis baptiste, predictum priuilegium, quod super eadem asseruerat se habere, restituendo eidem in ipsa quindena coram nobis; ita tamen, quod ipse magister Stephanus eidem Vrka in eadem quindena decem marcas pro ipsa terra persolvere teneretur. In ipsa autem quindena dicto Vrka personaliter non comparente coram nobis, Martinus, filius Theodori de Egres, qui se generum eiusdem Vrka esse dicebat, ad nostram accedens presenciam, litteras domini Regis clausas exhibuit nobis sub hac forma:

Sequitur Nrus. 728.

Visis igitur huiusmodi litteris Regijs, Solum de Zolosun, seruiens prefati magistri Stephani, filij Omedey, nomine eiusdem domini sui, dictas decem marcas prefato Martino, homini scilicet dicti Vrka, qui predictas litteras domini Regis et priuilegium eiusdem, confectum super terra antedicta, nobis exhibuit, qui eciam ipsum priuilegium ipsi Solum restituit, persoluit plenarie coram nobis, in denarijs Viennensibus, singulas nouem pensas pro qualibet marca numerando. Datum per manus magistri Sixti, Lectoris Strigon. Anno domini Millesimo cc<sup>o</sup>. lx<sup>o</sup>. Nono, Tercio Idus Iulij.

A

B

C

Sig. e rubro serico pendebat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. T. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. I. 62.

### 730.

1269. 22. Iulii. — Philippus Archiepiscopus Strigon. vineam in monte Bala Rectori altaris s. Luciae contra Jacobum, eam indebite reclamantem, adiudicat.

Nos Ph., miseracione diuina sancte Strigoniensis ecclesie Archiepiscopus, aule Regis Cancellarius, significamus uniuersis presencium per tenorem, quod cum Jacobus, filius Potus, Paulum presbiterum ecclesie sancte Lucie, prebendarium ecclesie nostre, super quadam vinea, in monte Bala existenti, coram domino rege conuenisset, postmodum dominus rex ipsam causam ad nostram petitionem nobis iudicandam transmisit; partibus itaque in nostra presencia constitutis, dictus Jacobus proposuit contra ipsam Paulum presbiterum, quod vineam suam existentem in monte Bala, quam tempore venerabilis patris Stephani, tunc archiepiscopi Strigon., nunc Cardinalis episcopi Penestrini, habuit, te-

nuit et possedit pacifice et quiete, post recessum eiusdem venerabilis patris idem Paulus presbiter detineret, uiolenter contra deum et iusticiam occupatam; prefato Paulo presbitero respondente, quod predictam vineam de Bala idem venerabilis pater, Stephanus Cardinalis, cum idem esset archiepiscopus Strigon., contulit, donauit, et assignauit pro remedio anime patris sui ecclesie beate Lucie, et usque ad hec tempora ipse nomine dicte ecclesie tenuisset eandem et possedisset pacifice et quiete. Nos uero auditis responsionibus parcium, utrique parti super ipsa vinea probacionem duximus indicendam, probacioni huiusmodi partibus terminum prefigentes. productis itaque ab utraque parte testibus coram nobis, idem Paulus presbiter litteras ipsius venerabilis patris, domini Stephani, tunc archiepiscopi Strigon., nunc cardinalis episcopi Penestrini, quibus ipsam vineam tenuit et possedit, nobis exhibuit et ostendit; in quibus uidimus contineri, quod predicta vinea de Bala a venerabili patre, bone memorie B., quondam archiepiscopo Strigon., quando idem fuit archiepiscopus Colochensis, ad ipsum venerabilem patrem dominum Stephanum, tunc archiepiscopum Strigon., extitit empcionis titulo deuoluta, et ipsam vineam idem venerabilis pater, dominus Stephanus, pro remedio anime patris sui ecclesie beate Lucie contulit, donauit et assignauit; et cum idem presbiter pluribus et magis idoneis testibus, ac maioribus et senioribus de ecclesia nostra, et per litteras prefati venerabilis patris, domini Stephani cardinalis episcopi Penestrini, intencionem suam sollempniter probauisset, et pars dicti Jacobi per nos requisita, litteris prefati venerabilis patris, domini Stephani, tunc archiepiscopi Strigon., nunc cardinalis episcopi penestrini, nollet aliquatenus contradicere, neque posset; interloquendo decreuimus, quod predictus Jacobus quatuor homines de testibus Pauli presbiteri super ipsa vinea eligeret ad iurandum, pro sue libito uoluntatis, assignantes terminum ad prestandum huiusmodi sacramentum; adueniente autem termino iuramenti, nec per se, nec per procuratorem suum dictus Jacobus comparuit, ad exigendum predictorum hominum iuramentum. Vnde nos ipsum Jacobum conuictum habentes in hac parte, predictum paulum presbiterum ab inpeticione ipsius super prefata vinea sentencialiter duximus absolendum; eidem Jacobo super hoc perpetuum silentium inponendo. In cuius rei memoriam et robur presentes nostras concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Strigonij in festo beate Marie Magdalene, anno domini Millesimo CC<sup>o</sup> sexagesimo Nono.

Sigillum cum zona avulsum. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 71. Fasc. 1. Nro. 1. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 531.

---

## 731.

1269. 1. Aug. — Capitulum Nitriense ad requisitionem Capituli Albensis Nrum. 727. privilegialiter expedit.

A.

B.

C.

Uniuersis xpi. fidelibus, quibus presentes littere patuerint, Nytriensis ecclesie Capitulum, salutem in omnium saluatore. Tenore presencium vniuersorum noticie uolumus declarare, quod per manus Magistri Valentini, cantoris Strigon., procuratoris Venerabilis patris et domini nostri Phyllyppi, Strigon. archiepiscopi, aule Regis cancellarii, accepimus litteras Albensis ecclesie Capituli, taliter continentes:

Sequitur Nrus. 726.

Nos enim petitionem nominati comitis Dominici, in prescriptis litteris nobis transmissam, uidentes fore legitimam, congruam et honestam, continenciam pretacti priuilegij nostris litteris inseri et appositione sigilli ecclesie nostre fecimus communiri. Cuius quidem priuilegii continencia talis est:

Sequitur Nrus. 727.

Datum in die kalendarum Augusti.<sup>1)</sup> Anno gracie Millesimo ducentesimo sexagesimo nono, ecclesie nostre lectore magistro Demetrio existente.

Ab extus: Super terra Borouch. Sigillum e violaceo serico pendeat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. Q. Fasc. 1. Nro. 9. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 534.

## 732.

1269. 3. Oct. — Bela IV. „decimas in Durguche, unacum plebania Segusdiensi, Venerabilibus in Christo Patribus Pelagio, Episcopo Arbensi et Stephano, Basilicae duodecim Apostolorum Presbytero, Cardinalibus, inter Strigoniensem Archiepiscopum et Wesprimiensem Episcopum Auditoribus per sedem Apostolicam deputatis, ordinantibus, inspectis eorundem Venerabilium Patrum litteris,<sup>2)</sup> ecclesiae Vesprimiensi subiectos“ agnoscit eique restituit. — Datum V. Non. Oct.

Egyházi Értekezések 1821. II. 172., Fejér Cod. dipl. IV. III. 500.

1) Fejér: in die Clarae Augusti!

2) Hucdum latent.



## 733.

1269. a. 14. Oct. — Bela IV. terram Kér Castri Nitriensis Philippo Archiepiscopo Strigon. confert.

Bela — — Rex — — „nos recensentes meritoria obsequia et obsequiosa merita venerabilis patris Philippi, Archiepiscopi Strigon., aule nostre Cancellarij, dilecti et fidelis nostri, que nobis et Regno nostro in diuersis nostris et Regni nostri negociis fideliter et laudabiliter in omnibus studuit exhibere, propter que volentes eidem occurrere Regio cum fauore, ad ipsius instanciam et petitionem quandam terram castri Nitriensis, Keer vocatam, iuxta fluuium Nitra sitam, — — contulimus ex Regia munificencia predicto venerabili patri Archiepiscopo perpetue donacionis titulo possidendam. — Datum — —, Regni a. 34.“

E Mss. Hevenesianis Wenzel l. c. III. 200.

## 734.

1269. 19. Oct. — Soldan de Kék terram, iniuste occupatam, Monasterio de Tihany remittit, coram Capitulo Vesprim.

Nos magister F. prepositus et Capitulum Vesprimiensis ecclesie, Memorie commendamus, quod Comes petrus, officialis Monasterij Tykoniensis, pro abbate et Conuentu eiusdem Monasterij, ab una parte, et Soldan, filius Bench de keek, ab altera, constituti coram nobis, proposuerunt, quod super causa, quam vir venerabilis Jeronimus, abbas Monasterij supradicti, vicesimo secundo die beati Michaelis archangeli contra eundem Soldan coram Laurencio Palatino, Comite Symigiensi et de kemlek (?), mouere volebat, partes renunciando liti, per arbitrium bonorum virorum in huiusmodi concordiam deuenissent, quod idem Soldan dimidium Juger terre Monasterij memorati, pertinens ad molendinum pethurke, exequiatoris ipsius Monasterij, quod in fundum Curie occuparat, situm iuxta dictum Molendinum a parte septemtrionis, super quo eciam Juger terre stabulum ipsius Soldan fuerat situm seu edificatum, eidem Monasterio et consequenter dicto pethurke resignasset, reliquisset et restituisset, Jure perpetuo et pacifice possidendum. Datum anno domini Millesimo cc<sup>ma</sup>. sexagesimo nono, sabbato proximo post festum beati Galli.

E transumto Stephani Palatini a. 1389. in Arch. Prim. Sec. Lad. U. Fasc. 8. Nro. 170.

## 735.

1269. — Maria Regina merita Pauli Episcopi Vesprimiensis renumeratura, fratri ipsius, Comiti Benedicto, terras Monyoród et Munkád confert.

Maria, dei gracia Regina Hungarie, Vniuersis xpi. fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presens scriptum intuentibus, salutem in domino Sempiternam. Illustres, inclitasque personas, regie dignitatis consorcio decoratas, decens est circumspeccione prouida pensare merita singulorum, ut quos fidelitatis inconuulse stabilitas et indefessus deuotionis feruor insignit titulis meritorum, eos attollant fauoribus regijs et dignis premiorum renumeracionibus accendant ad sinceritatis opera pociora. Proinde cum venerabilis pater Paulus, dei gracia Episcopus Wespremiensis, et Benedictus, comes Wespremiensis, fideles nostri, Domino Regi, nobis et Regno ob multiplicia probitatis sue merita et diutinos labores, quos pro quiete Regis et Regni sincere deuotionis studio sustinuerunt constanter, sint multipliciter commendati, decens esse censuimus, ut deuocioni ipsorum, et si non condigna, aliqualia tamen remuneracionis premia porrigamus. Scientes itaque ipsum venerabilem patrem in persona Benedicti comitis, fratris sui, remunerari multipliciter et foueri, et ipsum Benedictum comitem induci ad maiora fidelitatis opera, seu accendi, si per nos uideat laboris, ex fidelitate procedentis, premium sibi dari: terras nostras, Munorod et Munkad uocatas, in comitatu Strigoniensi existentes, ipsi Benedicto comiti de consensu et beneplacito domini nostri B., incliti Regis Hungarie, dedimus, concessimus et contulimus, donacionis titulo perpetuo ualiture; volentes, ut ipsas terras ex presentis donacionis nostre robore, tam ipse, quam sui heredes, heredumque successores possidere et habere, ac iure dominijs, semper sibi saluo, ualeant retinere. In possessionem autem ipsarum terrarum, Munoros (sic) et Munkad uocatarum, ipsum comitem Benedictum per Nicolaum de Gerencer, hominem nostrum, coram Strigon. Capituli testimonio fecimus introduci, contradictore aliquo ipsi comiti Benedicto non existente. Cuius eciam et limitationes metarum, quibus per vicinos et commetaneos contradictum non extitit, sicut in ipsius Capituli litteris uidimus contineri, hoc ordine distinguuntur: Prima siquidem meta dicte terre Munkad incipit ab occidente iuxta terram Vrsap sub quibusdam piris; deinde iuxta eandem terram Vrsap tendit ad quendam Berch, ubi sunt due mete, quarum una, que existit ab oriente, est meta terre Munkad, alia vero existens ab occidente, est meta terre vrsap. Inde cum binis metis interpositis iuxta eandem terram vrsap (sic) descendit versus septentrionem usque ad magnam viam, que de vrsey et alijs villis, ibidem existentibus, ducit Strigonium, iuxta quam viam terra vrsap terminatur, et iuxta illa viam, per quam ipsa terra Munkad distinguitur a terra Beren, tendit cum quibusdam certis metis uersus orientem, usque ad terram Epsceu, ubi sunt tres mete angulares. Dehinc iuxta terram Ep-

sceu cum certis metis antiquis, binis et binis, tendit usque ad terram Ogan, ubi eciam sunt tres mete angulares. Post hec iuxta terram Ogan uadit uersus meridiem usque ad terram Kuy, et iuxta illam a parte meridionali procedendo, reflectitur ad partem occidentalem, et redit ad predictam terram vrsap, scilicet ad priorem metam et ibi terminatur. Item cursus metamum terre Monoros talis est: quod prima illarum incipit ab oriente iuxta terram ville Tath, et iuxta illam cum certis metis antiquis tendit uersus meridiem usque ad terram Epsceu, ubi sunt due mete angulares. Inde iuxta terram Epsceu tendit a parte meridionali cum metis interpositis usque ad terram Beren, iuxta quam procedendo uersus occidentem, contiguatur terre Pel. Hinc autem iuxta terram Pel uadit uersus septemtrionem ad quandam viam et illam transeundo, peruenit ad terram Boyoth, ubi sunt tres mete angulares, et iuxta illam terram Boyoth, cum certis metis interpositis a septemtrionali parte, descendit iterum ad orientem usque ad terram That, ubi ipsa terra Monoros a terra That non per metas separatur, sed per quendam limitem, qui uulgariter Mege uocatur, et cum ipso limite redit ad priorem metam, et sic terminatur. Vt igitur huius nostre donacionis series firma et stabilis in posterum perseueret, eidem comiti Benedicto presentes concessimus litteras, Dupplicis Sigilli nostri munimine roboratas; anno domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C. LC<sup>o</sup>. Nono.

E transumto Fenennae Reginae, vide ad a. 1294. 1. Mart. — Edidit Fejér l. c. IV. III. pag. 522.

---

736.

1269. — Rubynus Comes et Archinus, Godinus, Ganpunchar, Hermanus Comes, Mauricius et Elkinus, Jurati Cives Strigon. testantur, quod Margareta, relicta Bartholomaei, terram mariti sui, in Cholnuk existentem, vendiderit Balduino, filio Janini Comitiss, Civis Strigon. et Geles, filio Bonifacii, civis Albensis, pro octo marcis fini argenti.

Wenzel l. c. VIII. 252.

---

737.

1269. — Abbatia B. Mariae V. de campo Strigon., Ord. Cisterc., fundatur.

De Abbatia hac omnia in dubio haerent. Pázmány (Acta et Decr. Syn. Dioec. Strigon. 1629. Appendix II. 105.) et Rosenthal (Actio s. Ord. Cisterc. 11.) simpliciter Abbatiam de Strigon. Campo nominant; Heimb (Not. Hist. de ortu et progres. Abbatiae ad s. Gothard 165.) iam titulum addit B. Mariae Virg.; Paintner vero (ap. Fuxhoffer Mo-



nast. II. 110.) Abbatiam de Campo Strigon. sancti Tisiboti vocat. Omnes hi Scriptores in aera foundationis a. nempe 1269. conveniunt. Quod tamen nos, omnibus fontibus destituti, nec asserere, sed neque impugnare valemus.

### 738.

1270. 5. Mart. — Stephanus iunior Rex Hungariae causam inter Dominicum Comitem de Sáros et Philippum Archiepiscopum Strigon. super quadam insula in fluvio Sajó certamine duelli dirimendam, pugilibus iam diutius dimicantibus, via amica compositam esse testatur.

Nos St(e)phanus, dei gracia Junior Rex Vngarie, dux transilvanie, dominus Cumanorum, tenore presencium significamus vniuersis, quod cum inter Dominicum, comitem de Sáros, ex parte vna, et inter venerabilem patrem Ph(ilippum), dei gracia archiepiscopum Strigon., aule regie Cancellarium, ex altera, Super quadam insula in Soiou, inter villam Pyspuky et inter villam Pogon existente, incipiens in quodam Er, qui exit de Soyo et eadem cadit, in quo uidelicet molendina esse consueuerunt, quam idem Dominicus comes ratione terre Gumuriensis castri, pogon uocate, a nobis eidem concessit, a dicto venerabili patre requirebat, duellum adiudicassemus; adueniente itaque termino, in die et in area duelli, pugilibus parciū inuicem diucius dimicantibus, nobis et barronibus nostris ac alijs quam pluribus mediantibus, talis inter eos compositio extitit ordinata, quod venerabilis pater memoratus, pro quo Leos comes, officialis eiusdem, assumpsit, soluet quinque marcas in termino ad hoc assignato; dicta vero insula cessit in ius et proprietatem dicti venerabilis patris, per ipsum et ecclesiam Strigon. perpetuo possidenda. Datum in Puruzlo in octauis Cinerum, anno domini M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. Septuagesimo.

Sigillum tergo appressum equitem exhibet, vide Pray de Sigillis Tab. VIII. fig. 4. — Orig. ex Arch. Prim. Sec. episcopo Rosnaviensi, tempore erectionis eiusdem episcopatus resignatum, Illmus. D. Georgius Schopper Episc. Rosn. liberaliter nobiscum communicavit.

### 739.

1270. post 5. Mart. — Capitulum Vaciense Philippum, Archiepiscopum Strigon., Dominico, Comiti de Sáros, vi Nri 738. quinque marcas exsolvisse testatur.

GRegorius prepositus Waciensis et Capitulum eiusdem loci vniuersis xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in auctore salutis. Ad vniuer-

sitatis vestre noticiam tenore presencium volumus peruenire, quod cum inter Dominicum Comitem de Sarus, ex una parte, et venerabilem patrem, Dominum Philippum, sancte Strigoniensis ecclesie archiepiscopum, aule regie Cancellarium, ex altera, super quadam insula in Sayo, inter uillam Pispuky et uillam Pogan existente, incipiente in quodam fluuiolo, qui uulgariter Er uocatur, qui quidem exit de Sayo et cadit in eundem, orta fuisset coram Domino Stephano, inclito iuniore rege Hungarie, materia questionis, proponente et dicente eodem comite Dominico, quod ratione terre castri Gumuriensis, ad uillam Pogan pertinentis, quam uillam eidem predictus dominus rex concesserat et donauerat, ad eum predicta insula pertinebat; parte uero prefati domini archiepiscopi ex aduerso penitus denegante; memoratus dominus rex certamen duelli adiudicauit fieri inter partes. Adueniente itaque termino, in quo predictum duellum subiri debuerat, et pugilibus parcium in area duelli inuicem diucius dimicantibus, eodem domino rege et suis baronibus et aliis pluribus mediantibus, talis inter partes compositio interuenit et extitit ordinata, quod predictus dominus archiepiscopus eidem Dominico comiti, certo termino ad hoc assignato, deberet soluere quinque marcas, et sic dicta insula penes eundem dominum archiepiscopum et ecclesiam suam Strigon. iure proprietatis remaneret, ab eo et ecclesia sua possidenda perpetuo et tenenda, prout hec omnia in predicti domini Regis patentibus litteris, eius sigillo signatis, perspeximus plenius contineri. Verum quia comes Leus, officialis sepedicti domini archiepiscopi, eidem Dominico comiti soluit ex parte eiusdem domini archiepiscopi et eius nomine dictas quinque marcas, in termino ad hoc assignato, plenarie coram nobis, nos ad speciale mandatum prefati domini nostri Regis Stephani, in huius rei testimonium predicto domino archiepiscopo et ecclesie sue Strigon. presentes dedimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno ab incarnatione Domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo.

Sigillum, cuius perigraphie detritum, e rubro serico pendet. Orig. ex Arch. Prim. sec. Episcopo Rosnaviensi resignatum est, qui usum eiusdem nobis liberaliter concessit. — Ed. Fejér Cod. dipl. VII. V. 369. 374.

#### 740.

Sine dato. — Bela IV. „per Fidelem nostrum Magistrum Albeum, Archidiaconum (Nitriensem, Canonicum Strigon.) virum utique circumspectum et providum et discretum“ omnes terras Abbatiæ s. Montis Pannoniæ reambulari iubet; „nichilominus precipientes eidem Magistro, specificare et redigere in scriptis condiciones, officia, seu servicia cunctorum hominum, pertinencium ad Monasterium memoratum. — — Prefatus autem Magister preceptum nostrum

adimplens diligenter, terras metatas et condicionem hominum Monasterii sepe-  
dicti, redactas in scriptis, nobis fideliter presentavit.“

Wenzel l. c. II. 1., Fejér Cod. dipl. IV. III. 461., ubi tamen Albertus Archidiac. me-  
moratur.

### 741.

1270. 3. Maii. — Bela IV. Rex moritur et Strigonii sepelitur.

Obiit autem (Bela IV.) anno Domini MCCLXX. V. Nonas Maij, feria  
sexta, in festo inventionis sanctae crucis, in Insula Budensi, et sepultum  
est corpus eius Strigonii in ecclesia Fratrum minorum, constructa ad hono-  
rem Virginis gloriosae, quam ipse Dominus Rex Bela adhuc vivens sumptuoso  
opere et pulcro fecerat incoari, ubi cum Domina Regina consorte sua, Maria no-  
mine, filia Imperatoris Graecorum, et Duce Bela, filio suo carissimo, feliciter  
requiescit. Vir virtutibus plenus, cuius memoria quasi mel dulcorosum usque in  
diem hodie in ore omnium Hungarorum et aliarum plurium nationum sua-  
vescit, cuius corpus Philippus Archiepiscopus Strigon. de ecclesia memorata  
auferri exhumando fecerat contra iura et in sua ecclesia cathedrali indebite tu-  
mulari. Super quo facto coram summo Pontifice causa diutius ventilata, fratres  
minores cum honore maximo rehabere ex integro meruerunt et coram Virginis  
ara gloriosius condiderunt, ubi hii pulchri versus continentur:

Aspice rem caram, tres cingunt virginis aram

Rex, Dux, Regina, quibus assint gaudia trina.

et sequitur:

Dum licuit, tua tum vixit, Rex Bela, potestas

Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honestas.

(His Chronicon Dubnicense addit:)

Hic obiit Bela, populi dux atque medela.

Marci Chron. c. 82. p. CI.; Thuróczy Chron. II. c. 76. — Liber cui titulus: Speculum  
uite beati Francisci et sociorum eius, post a. 1502. editus, (in manco, quod prae manibus  
habemus, exemplari ultima folia desunt) haec breviter ita narrat: „Obijt (Bela) circa an-  
nos 1270. et sepelitur Strigonii apud fratres minores in ecclesia per ipsum regio fundata edi-  
ficio, cuius corpus per Philippum archiepiscopum exhumatum fuit: sed summi pontificis  
mandato fratribus restitutum extitit.“ Contentionem hanc, inter Archiepiscopum et fratres  
minores Paltramus, Consul Viennensis, sic exaggerat: „Et quia vir sanguinum fuit, Ache-  
rontis in olla cum sanguine multorum sepelitur. Fratribus namque minoribus et archiepi-  
scopo pro cadavere regis concertantibus, in ecclesia, loco contemplationis, fit pugna conten-  
tionis, et plures utrobique vulnerabantur, ecclesiaeque pavimenta avaritiae sanguine macu-  
lantur“. (Ap. Pez. I. 717. et Pertz Mon. Germ. SS. IX. 651. 25). Bene Katona (Hist.  
Crit. VI. 512.) observat, narrationem hanc affectus sinistri partem esse. — Monumentum,



in quo conditus fuerat, e rubro marmore, ut Waddingus observat (IV. 418), prope magnam aram, ipse sibi vivus adhuc et sanus posuit. — Quando monasterium hoc erectum fuerit, certo non liquet; iuxta Schematismum Ord. S. Franc. (a. 1851. pag. 6.) iam in litteris Gregorii IX., a. 1234. et 1236. datis, occurrit „Minister Strigoniensis Minorum.“ Si haec vera sunt, monasterium hoc iam ante Belam IV. extiterit, est necesse. Iuxta Waddingum (ap. Katona Hist. Crit. VI. 513.) sodales Ordinis huius Bela IV. solemniter sub vexillo introduxit in Hungariam et quidem, ut Schematismus praeallatus asserit, ad monasterium Strigon., qua occasione, ut Fessler docet (Gesch. d. Ung. II. 913.), ipse rex vexillum praeferebat. Ecclesia monasterii huius iuxta Bonbardi (Topogr. 162) et Ladislaum Turóczi (Ung. suis c. Reg. 165.) a. 1240. exstructa fuit. Quod tamen, consideratis supraallatis, vix subsistere potest; verba enim citata, quod nempe Bela rex, ecclesiam hanc adhuc vivens, fecerat inchoari, manifeste ostendunt, ecclesiam hanc paulo ante obitum Regis exstrui coeptam, nec consummatam vivente illo fuisse. Ante annum tamen 1269. inceptam, imo magna ex parte etiam perfectam fuisse, inde concludimus, quia Bela dux, pariter in ecclesia hac tumulatus, altera huius anni parte obiit. (Katona Hist. Crit. VI. 506. et Kercselich Not. Praelim. 200.)

## 742.

1270. 13. Maii. — Stephanus V. partem tributi Strigon., quae hucdum Comitem Strigon. contingebat, Capitulo Strigon. confert.

Nos Stephanus, dei gracia Rex totius Hungarie, significamus vniuersis, nostras presentes litteras inspecturis, quod partem tributi Strigon., que Strigon. comitem, qui fuisset pro tempore, et comitatum contingebat et ad ipsum pertinebat a tempore, cuius non extat memoria, idest duas partes medietatis totius tributi, quod totale tributum diuidebatur inter Capitulum, Comitem et Sorores non equis porcionibus; quia excepta decima, que preposito sancti Thome prouenit, medietas totius tributi Capitulo ex antiqua progenitorum nostrorum largitione proueniebat, Reliquae uero dimidietatis due partes comiti Strigon., pro tempore constituto, debeatur; Tercia uero dimidietatis sororibus de Insula Strigon. proueniebat; ipsas duas partes comitis et comitatus Strigon., dedimus, donauimus, contulimus et assignauimus dilectis et fidelibus nostris Capitulo Strigon., pro remedio anime venerande memorie domini B. regis, karissimi patris nostri, in perpetuam elemosinam, pleno iure, perpetuo et peremniter possidendas; in quarum duarum parcium tributi possessionem, uel quasi, predictos dilectos et fideles nostros per dilectum et fidelem nostrum Moys palatinum fecimus introduci; promittentes presentem nostram donacionem tam cum aurea Bulla nostra, quam cereo sigillo nostro autentico roborare, cum ab eodem Capitulo fuerimus requisiti. Datum tertia feria ante quindenam apostolorum Phylippi et Jacobi in monte Pestiensis, anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup> septuagesimo.

E transumpto Ladislai IV. Regis, vide ad a. 1288. 18. Apr. — Ed. Katona Hist. Crit. VI. 523., Fejér l. c. V. I. 20.

## 743.

1270. 18. Maii. — Moyses Palatinus Philippum Archiepiscopum Strigon. in munus Comitatus Strigon., Capitulum autem in possessionem tributi, hucdum ad Comitatum pertinentis, introducit.

Nos M. palatinus, comes Supruniensis et Seybiniensis, significamus vniuersis, presentes litteras inspecturis, quod cum dominus noster Stephanus, inclitus Rex Hungarie, comitatum Strigon. venerabili patri domino Phylippo, Archiepiscopo Strigon. et archiepiscopatu suo, tributum uero totum, pertinens ad eundem comitatum, Strigon. ecclesie Capitulo, fidelibus suis, pro remedio anime domini B., clare memorie Regis Hungarie, karissimi patris sui, dederit, contulerit, et tradiderit, ab eis iure perpetuo irreuocabiler possidenda, et nobis preceperit, ut eosdem dominum archiepiscopum et Capitulum suum in corporalem possessionem eorundem comitatus et tributi introducere deberemus; Nos iuxta mandatum eiusdem domini nostri Regis Stephani ipsos in possessionem huiusmodi, nullo contradicente, induximus pacifice et quiete. In cuius rei testimonium presentes nostras litteras dedimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum in dominica proxima post quidenam apostolorum Phylippi et Jacobi, anno dominice incarnationis M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. Septuagesimo.

E transunto Ladislai IV., vide ad a. 1288. 18. Apr. — Ed. Fejér l. c. V. I. 21.

## 744.

1270. 6. Jul. — Capitulum Strigon., socium suum, Mathaeum Custodem, cum tribus parochis Strigon. circa praestandas candelas, transegisse testatur.

Nos Capitulum ecclesie Strigoniensis significamus omnibus, quibus expedierit, presencium per tenorem, quod cum inter magistrum Matheum, Custodem ecclesie nostre, ab una parte, Chedem, Nicolaum et Andream, sacerdotes ecclesiarum sancti Michaelis archangeli, sancti Johannis ewangeliste et sanctorum Cosme et Damiani de villa Monethariorum Strigonien., ab altera, mota fuisset contencio super eo, quo predictus magister M. Custos quemlibet prefatorum sacerdotum de obuencionibus Candelarum dicebat sibi ratione Custodie dare debere in septem festiuitatibus anno quolibet singulam marcam Candelarum, et super hoc ipsi Custodi venerabilis pater, dominus noster, Ph. archiepiscopus Strigon., nobis presentibus, iuramentum indixisset; tandem inter predictas partes, mediantibus quibusdam ex nobis, extitit taliter ordinatum, quod prefatus magister M. Custos predictorum sacerdotum paupertati compaciens, duas marcas Candelarum, quas de septem festiuitatibus in duabus

sibi deberi dicebat, eisdem sacerdotibus remisit et indulsit. Reliquas autem quinque marcas Candelarum quilibet ipsorum sacerdotum preter porcionem, que ipsi Custodi de Candelis, in die festo ecclesiarum eorum debetur, cuius porcionis quantitas inferius est expressa, assumpsit et obligavit se da turum eidem Custodi in quinque festiuitatibus annuatim; scilicet in festo Natiuitatis domini, In festo Resurrectionis eiusdem, In festo Pentecostes, In festo Assumpcionis beate uirginis et In festo Omnium sanctorum. De Candelis autem, que in festo ecclesiarum eorum offeruntur, debent dare Custodi terciam partem, sicut ijdem sacerdotes affirmarunt et assumpserunt coram nobis. Datum in octauis apostolorum Petri et Pauli, Anno domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo.

Sig. tergo fuit appressum, in alio autem exemplari e corrigia pendebat, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 51. Fasc. 1. Nro. 8. et 9. — Extr. Fejér l. c. V. I. 95. — Ed. Cod. Strig. II. 95.

## 745.

1270. 26. Jul. — Stephanus V. Rex conditionariis de Epel, quos unacum villa Capitulo Strigon. contulit, recedendi facultatem denegat.

Nos Stephanus, dei gracia Rex Hungarie, damus pro memoria, quod cum nos uillam nostram, nomine Epel, cum condicionarijs nostris, qui nobis et progenitoribus nostris annuatim vina dare consueuerant, cum eisdem condicionariis, exceptis tribus mansionibus, Borke videlicet et duobus fratribus suis, quos ante donacionem huiusmodi, fidelibus nostris, Capitulo Strigoniensi factam, exemeramus, nostrum eis super hoc priuilegium concedendo, ipsi Strigon. Capitulo, pro remedio anime clare memorie domini B. regis gloriosissimi, genitoris nostri, de perpetuum (sic) dedissemus; tandem condicionarij predicti ad nos accedentes, nobis supplicarunt et fecerunt instancius supplicari, ut ex quo ipsam uillam dicto Capitulo dederamus, saltim eisdem condicionariis de ipsa uilla recedendi liberam licenciam concedere dignaremur. Nos ergo attendentes, quod ijdem condicionarij de dicta uilla Epel erant eidem terre ad dandum inclitis regibus vngarie annuatim certam vini quantitatem astricti et in perpetuum deputati; eis huiusmodi licenciam de ipsa terra recedendi, exceptis predictis tribus mansionibus, duximus penitus denegandam; sed circa predicta Strigon. ecclesiam in beneficijs, eidem exhibendis, crescere cupientes, ac nostram munificenciam interpretatione largissima decorare; predictos condicionarios de ipsa uilla Epel, sicut eandem villam predicto dedimus Capitulo, ita eosdem condicionarios cum eisdem seruicijs et oneribus, quibus antea regibus hungarie, nostris progenitoribus, seruiebant, concedendos ir-



reuocabiliter duximus et donandos; non obstantibus litteris nostris, si quas forsitan eisdem condicionariis concessissemus super ipsorum exemptione, uel nos concedere contingeret in futurum; et nos super hoc ipsi Capitulo nostrum privilegium concederemus (sic), cum ab eodem fuerimus requisiti. Datum in Insula Helunba die sabbati post festum Jacobi apostoli, anno domini M<sup>o</sup>,cc<sup>o</sup>Lxx<sup>o</sup>.

Sig. ut videtur, annulare, tergo fuit appressum. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. Fasc. 1. Nro. 5. — Ed. Cod. Strig. II. 96.

### 746.

1270. 30. Jul. — Stephanus V. in memoriam coronationis suae Capitulo Strigon. villam Epel confert.

STephanus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, vniversis xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in eo, qui regibus dat salutem. Cum ecclesiastice utilitati salubriter de bonis temporalibus congrua consideratione regia prospicit celsitudo, iuri regio per hoc nil decrescit, ymo potius id augetur; cum taliter faciendo, in celis thesaurizari dicatur, ubi nec tynea demolitur, nec fures effodiunt, uel furantur. (P)roinde ad uniuersitatis uestre noticiam harum serie uolumus peruenire, quod nos hac contemplacione permoti, cum post obitum, seu transitum inclite recordacionis domini Regis Bele quarti, karissimi genitoris nostri, plenum ius et regimen totius regni Hungarie iure geniture ad nos deuoluta fuissent, rege regum et domino dominancium largiente; quandam villam nostram, seu terram, nomine Epel, in comitatu Strigoniensi existentem, cum vinitoribus, seu condicionarijs nostris, eidem terre ascriptis, qui progenitoribus nostris et nobis annuatim ad dandam certam vini quantitatem ex honore seruitutis, eis ab antiquo imposite, fuerant deputati; et cum omnibus vineis, iuribus, pertinencijs et utilitatibus ipsius ville, seu terre, fidelibus nostris Capitulo Strigoniensis ecclesie, a qua inuncti sumus et regium suscepimus diadema, ac alia ecclesiastica uoluntaria et necessaria, incliti reges Hungarie recipiunt sacramenta, pro remedio anime eiusdem domini Bele regis, karissimi patris nostri, tenore presencium dedimus et damus, donauimus et donamus, tradidimus et tradimus, ab eodem Capitulo iure perpetuo possidendam; ita, vt ex hac donacione et tradicionem nostra ueri domini ipsius ville, seu terre, ac vinearum, iurium et pertinenciarum, necnon et utilitatum eiusdem effecti, de eadem villa, seu terra, ac condicionarijs suprascriptis ordinandi et disponendi plenam et liberam im perpetuum habeant potestatem, Predictumque Capitulum per Magistrum Andream, specialem domus nostre notarium, in possessionem corporalem predictae ville, seu terre, iurium, vinearum, pertinenciarum,

ac utilitatum ipsius, nullo refragante, fecimus pacifice introduci. Plane facta per nos ipsi Capitulo huiusmodi donacione; condicionarij, seu vinitores predicti ad nos accedentes, nobis humiliter supplicabant et fecerant instancius supplicari, quod ex quo ipsam villam, seu terram dicto Capitulo dederamus; saltem eisdem vinitoribus et condicionarijs de ipsa villa, seu terra recedendi absolutam et liberam licenciam concedere dignaremur. (N)os igitur attendentes, quod iidem vinitores, seu condicionarij de dicta villa Epel erant eidem terre ad dandam nobis et inclitis regibus Hungarie annuatim certam, vt premisimus, vini quantitatem astricti et in perpetuum deputati; eis de villa, seu terra ipsa recedendi huiusmodi licenciam duximus penitus denegandam; ymo circa predicta Strigon. ecclesiam in beneficijs, eidem exhibendis, cresscere cupientes, ac nostram munificenciam interpretatione largissima dechorare; sicut ipsam villam, seu terram predicto dedimus Capitulo; ita eosdem vinitores et condicionarios cum eisdem seruicijs et honeribus, quibus antea nobis et alijs regibus Hungarie, progenitoribus nostris, seruiebant, eidem Strigon. Capitulo irreuocabiliter concessimus et donauimus, quemadmodum est premissum; non obstantibus litteris nostris, si quas forsitan eisdem condicionarijs et vinitoribus concessissemus super huiusmodi ipsorum exempcione, vel nos concedere contingeret in futurum; exceptis tamen de eisdem vinitoribus et condicionarijs, Berka et fratribus suis, cum liberis eorundem, quos ante donacionem, dicto Capitulo Strigon. factam, ab huiusmodi honeribus exemeramus, nostrum eis super hoc priuilegium concedendo. (V)t igitur presens donacio nostra, dicto Strigon. Capitulo facta, robur perpetue firmitatis obtineat, et ne ab aliquo ullo umquam tempore ualeat retractari; presentem paginam eisdem concessimus, dupplicis sigilli nostri munimine roboratam. Datum per manus magistri Benedicti, Orodienensis prepositi, aule nostre vice cancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini Millesimo Ducentesimo septuagesimo. Tercio kalendas augusti, Regni autem nostri anno primo.

Fragm. sigilli e rubro serico pendet. Orig. maiusculis litteris elegantissime exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. Fasc. 1. Nro. 10. — Extr. Fejér l. c. V. I. 33. — Ed. Cod. Strig. II. 97. —

---

747.

1270. 8. Sept. — Stephanus V. Rex „cum olim multiplicata et in eximium redacta cumulum, grata obsequia et meritoria seruicia venerabilis Patris Philippi, Sancte Strigon. Ecclesie Archiepiscopi, et Thome Comitis fratris eiusdem, ac dignis laudum preconiiis attollenda, parentibus nostris, domino

Regi et Regine, nobisque et Regno nostro impensa, ipsorum et nostrum animos inclinarint ad eosdem beneuolencia multiplici prosequendos;“ ideo in favorem Magistri Dionysii, Cancellarii Pincernarum Regalium et fratrum suorum, filiorum Thomae Comitis, ipso Thoma sublato de medio, confirmat Nrum. 711. — Datum in Veteri Pest — — 8. die intrante mense Sept.

Magyar Sion III. 362., Wenzel l. c. VIII. 277.

### 748.

1270. 24. Sept. — Capitulum Strigon. et Nobiles de Ságh super terris Ságh inter se conveniunt, coram Capitulo Vaciensi.

Capitulum Wachyense, Omnibus xpi. fidelibus, ad quos presentes peruenerint, Salutem in eo, qui est vera salus. Cunctorum noticie tenore presencium declaramus, Quod magister Matheus, Custos sancte Strigoniensis ecclesie et Symon, officialis eiusdem ecclesie, vice et nomine Capituli eiusdem, ex vna parte; Egidius filius Rugas, Garman filius Cysar, ac andreas filius Serde, ipsi quidem nobiles de villa Saag, ex altera, coram nobis comparuerunt et exhibitis nobis litteris nostris memorialibus, composicionaliter inter eosdem habitis, proposuerunt oraculo viue uocis, quod super causa, quam ijdem Egidius et socij sui mouerant contra predictum Capitulum super quadam terra sua hereditaria, Saag vocata, ex permissione Incliti Regis Stephani, mediantibus probis arbitratoribus, taliter concordassent, quod media pars predictae terre Saag, super qua litis materia fuit mota, sicut eciam in eisdem litteris nostris vidimus contineri, cessit per arbitratore in Jus et proprietatem Capituli supradicti, in pace et sine aliquo concambio possidere, aliam autem partem ipsius terre prefati nobiles de Saag permiserunt, dederunt et ex sua concesserunt bona voluntate ipsi eidem Capitulo, perpetuo possidendam. Hac tamen condicione interposita, quod ipsi et eorum successores semper et in sempiternum viam habeant per eandem terram ad vsum Siluarum Bersen liberam transeundi. Que quidem terra iacet inter fontem, Bana vocatum, et inter fontem, F'enkw nominatum, et conterminatur terre Monasterij de Boldua. Capitulum uero Strigon. in concambium ipsius terre quandam particulam terre sue, similiter Saag vocate, triplo mensuratam, dederunt et plene contulerunt prenominationis Nobilibus Egidio, Andrea et Garman perhempniter habituram, que particula terre ab oriente a terra ecclesie Strigon. tribus metis separatur, ab aquilone fluuio Ipul distinguitur, ab occidente uero cum terra eorundem nobilium conterminatur, et a meridie terra Mycou de Ganan concluditur, sicque eadem adiacet terra a parte occidentali secus fluuium Ipul iuxta terram et Molendinum Egidij prenominati, certis



metis vndique separata; fluuio tamen Ipul eidem Capitulo libere remanente. Ad hec partes, coram nobis constitute, retulerunt, obligantes se, quod sepedictum Capitulum Strigon. terram, quam dictis dederunt nobilibus, apud eosdem et suos heredes, heredumue successores, ab omni controuersia futuris in temporibus ipsam impetencium defendere et conseruare suis proprijs laboribus et expensis penitus teneantur. Similiter autem ijdem nobiles Egidius et socij sui terram, quam Capitulo Strigon. contulerunt, apud eosdem hac condicione habita conseruabunt. In huius igitur rei testimonium et robur, presentes ad petitionem parcium contulimus, alfabeto compertitas et Sigilli nostri munimine roboratas. Anno verbi incarnati M<sup>o</sup>. ducentesimo Septuagesimo; octauo kalendas octobris. Gregorio preposito, Jona lectore, Andrea Cantore, magistris Paulo Custode, Ceterisque quampluribus, in ecclesia beate virginis marie ministrantibus deuote rerum omnium conditori.

E transunto Ludov. I. a. 1365. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 27. Fasc. 1. Nro. 8. — Ed. Cod. Strig. II. 99., Wenzel l. c. VIII. 323.

## 749.

1270. 22. Oct. — Capitulum Strigon. pro terra emitia in Epel, ius suum quoad Udvarnok, Andreae eiusque fratribus et cognatis cedit.

Capitulum ecclesie Strigon., Omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod cum Andreas, Matheij et Cosmas, filij Mutud, Petrus frater dicti Mutud et Nicolaus filius Mycou, cognatus eorundem, terram suam empticiam, quam in terra de Epel, per dominum Regem nobis collata et donata, se habere dicebant, cum arbustis, que vulgariter Horost dicuntur, et feneto, si que ibi eos contingebant, nobis relinquerint et assignauerint, sicut in priuilegio Magistri et Conuentus Cruciferorum ecclesie sancti Regis Stephani de Strigonio plenius continetur;<sup>1)</sup> Nos omne ius nostrum, si quod habemus in terra quondam Laurencij vinitoris et Feud vdwornici domini Regis, quam in terra, Wdwornuk uocata, terre nostre de Epel vicina, habuisse dicuntur, reliquimus filijs Mutud et Petro ac Nicolao predictis et heredibus eorundem, in concambium terre eorum empticie, si quam in terra nostra de Epel habuerunt. In cuius rei memoriam presentes nostras concessimus litteras, Sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Sixti, Lectoris Strigon., anno domini Millesimo cc<sup>o</sup> LX<sup>o</sup>X<sup>o</sup>. Vndecimo kalendas Nouembris.

A

B

C

Sig. e viridi serico pendeat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. Fasc. 1. Nro. 6. — Ed. Cod. Strig. II. 101., Wenzel l. c. VIII. 317.

1) Vide Nrum. 750.

## 750.

1270. 22. Oct. — Andreas cum filiis et cognatis Capitulo Strigon. pro iure eius possessionario in Udvarnok, terras in Epel cedunt, coram Conventu Cruciferorum Strigon.

Briccius Magister Cruciferorum ecclesie sancti Regis Stephani de Strigonio et totus Conuentus eiusdem ecclesie, omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino. Ad vniuersorum noticiam tenore presentium uolumus peruenire, quod Andreas filius Mutud, pro se, pro Damiano et Endre filijs suis; Mathey et Cosmas, filij dicti Mutud, pro se; Item Petrus, frater eiusdem Mutud, pro se et pro Berka filio suo; Item Nycolaus filius Mycou, coram nobis constituti, dixerunt, quod cum Capitulum Strigon. omne ius suum, quod ipsum Capitulum habuisse dicebant in terra quondam Laurencij vinitoris et feud vduornici domini Regis, sine herede decedencium, existente in terra, Vdwornuk uocata, eis reliquerit et assignauerit, sicut in eiusdem Capituli Priuilegio, exinde confecto, dixerunt plenius contineri; Ipsi terram suam, quam in terra predicti Strigon. Capituli, Epel uocata, se habere dicebant, tam illam videlicet terram, quam cum feneto et siluulis, que uulgariter Horost dicuntur, a quodam homine de Epel, Wendeg uocato, se emisse, quam illam terram, quam a domo Hospitali de Strigonio optentam esse asserebant, et eciam illam terram, quam ibidem per suos progenitores a Georgio et Gereu de Sumudur optentam esse dicebant, dederint, reliquerint et assignauerint eidem Strigon. Capitulo in concambium iuris eorum supradicti. In cuius rei testimonium et memoriam, ad petitionem et instanciam filiorum Mutud et Petri ac Nicolai predictorum, presentes nostras concessimus litteras, Sigilli nostri munimine roboratas. Anno domini Millesimo cc°. septuagesimo. Vndecimo kalendas Novembris.

Sig. e serico violaceo pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. Fasc. 1. Nro. 3. — Ed. Cod. Strig. II. 101., Wenzel l. c. VIII. 325.

## 751.

1270. — Stephanus V. Rex fratribus Ordinis Eremitarum s. Augustini in Mezősomlyó molendinum confert.

Stephanus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Omnibus xpi. fidelibus, tam presentibus, quam futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. proinde ad uniuersorum noticiam, tam presencium, quam futurorum, Harum serie uolumus peruenire, Quod nos diem messionis extreme satagentes nunc

operibus preuenire, in hijs, que ad usus xpi. fidelium et maxime uirorum Religiosorum conferuntur, ob remissionem peccatorum, ac pro salute animarum, nec non et pacificum statum Regni nullatenus promereri dubitando, cum non solum<sup>1)</sup> arma, uerum eciam et per preces pie uiuencium tueatur Regnum et Regium pariter dyadema. Ideo fratribus Heremitarum beati Augustini de mezeusumlow, ac domui sancti Thome martiris, qua domus per karissimum partem nostrum Belam fundata dinoscitur ob amorem diuini nominis, et per consequens per nos, In cuius memoriam et predictae fundacionis firmitatem ut predicti fratres sine ullo dispendio in nostro Regali monasterio ad nostram salutem ac xpi. fidelium possint permanere, Molendinum nostrum Regale, quod ibidem in mezewsumlow habebamus, super fluuio Burzua situm, quod nos antea de quodam Jobagione nostro, dicto K a z, precio comparasse dicimur, dictis fratribus ac domui sancti Thome martiris dedimus, donauimus atque contulimus cum omnibus suis utilitatibus, uidelicet ab oriente cum insula, in qua Capella ad honorem beate Marie uirginis ordinetur, ab insula usque ad ecclesiam Sancti Saluatoris, ab ecclesia sancti saluatoris usque ad magnam uiam de Mezeusumlow, a meridie uero per magnam uiam usque ad pontem, ab occidente a ponte usque ad fluuium, qui dicitur Bord, a septemtrione autem per metam alexi Bani iterum usque ad insulam, cum omnibus suis utilitatibus, uidelicet prato, feto, Silua, nemore, terra arabili, necnon et alijs utilitatibus uniuersis, sub iisdem metis ac terminis, quibus per nos limitata existit, ad perpetue autem nostre Elemosine firmitatem habeant, teneant et possideant iure perpetuo et irreuocabiliter pacifice et quiete. Volentes ergo, quod nec Comes de mezeusumlow, pro tempore constitutus, nec eciam alij eosdem fratres occasione qualibet ipsius molendini presumant molestare. Ut igitur hec nostra salubris donacio robur optineat perpetue firmitatis, nec per quempiam processu temporum retractari valeat, aut in irritum reuocari; presentes concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, orodiensis ecclesie prepositi, aule nostre Cancellarij, dilecti ei fidelis nostri. Anno domini M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. LXX<sup>mo</sup>.

E transumto Caroli Regis a. 1330. In Arch. Cap. Strig. priv. Capsa Augustinianor.

### 752.

1270. — Herch, civis de Bars, molendinum suum vendit Abbatiæ de Gron coram Capitulo Nitriensi.

A.

B.

C.

Vniuersis xpi. fidelibus, quibus presentes littere patuerint, Capitulum Ny-

1) Exmissum: per



triensis ecclesie Salutem in omnium Salvatore. Significamus uobis, quod Herch, ciuis de Bors, coram nobis constitutus, presente Petro et Pynkud filiis suis, ipsisque volentibus, molendinum suum, quatuor paria lapidum molencium continens, circa uillam Bors, sytum in fluuio, Goron nuncupato, curie abbatis Monasterij s. Benedicti de Grana adiacens, Martino Abbati dicti Monasterij, nomine et uice ipsius Monasterij comparanti et ementi, pro quo uidelicet abbate frater Gerardus, monachus de dicto Monasterio et Laurencius, Curialis comes predicti abbatis astiterunt, pro Sedecim marcis argenti, acceptis ab eisdem fratre Gerardo et Laurencio, pro iamdicto Abbate soluentibus plenarie, coram nobis uendidit, iure perpetuo possidendam. Obligando se, quod si per quemcunque dictus Abbas, uel quicunque alius in dicto Monasterio eius successor extiterit, racione prefati molendini processu temporum molestaretur; iidem Herch, ac filij sui tenebuntur tam emendare, quam in omnibus expedire, ipso molendino in iure monasterij, sepius recitati, pacifice permanente. In cuius rei memoriam plenior presentibus concessimus litteras, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Anno gracie M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. Septuagesimo. Ecclesie nostre lectore Magistro Bartholomeo existente.

Sig. detritum e filis cannabeis pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40. Fasc. 1. Nro. 12. — Ed. Cod. Strig. II. 102, Wenzel l. c. VIII. 322.

### 753.

1270. — Nobiles quidam de Sagh terras suas Aegidio, filio Rugas, vendunt coram Conuentu Cruciferorum Strigon.

A.

B.

C.

Conuentus Cruciferorum domus Hospitalis sanctis Regis de Strigonio, Salutem in domino ihu. xpo. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus peruenire, Quod Benedictus sacerdos, Daud, ac Detmarus, filij Stephani, nobiles de Saagh, ab vna; Egidius, filius Rugas de eadem, parte ab altera, coram nobis constituti; idem Benedictus sacerdos est confessus, quod terciam partem possessionis Buza, filij Michaelis de Sagh, pro dote sororis sue sibi deuolutas, cum instrumentis, cum quibus sibi per predictum Buza collatum extiterat, ex permissione Daud et detmari, Egidio filio Rugas predicto pro tribus marcis argenti vendidisset in perpetuum possidenda; que particula terre, vt Daud et Detmarus, filij Stephani, retulerunt, extendit se ad vsum vnus aratri, et est sita iuxta Ecclesiam sancti Martini superius a parte meridiana. Item alias duas partes possessionarie porcionis predicti Buza de Sagh, predicti Daud et Detmar fi-

lij Stephani confessi sunt coram nobis, in perpetuum uendidisse superius nominato filio Rugas, videlicet Egidio, similiter pro sex marcis argenti in perpetuum uendidisse (sic) et vendiderunt coram nobis. Ille uero due partes, quas filij Stephani Egidio filio Rugas uendiderunt, iuxta eiusdem Egidij terram sita esse dinoscitur. Nos igitur per instanciam petitionum parcium presentes concessimus litteras, Sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno gracie M.cc<sup>o</sup>. Septuagesimo.

Sig. sat bene conservatum in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 32. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. II. 103., Wenzel I. c. VIII. 323.

## 754.

1271. 20. Jan. — Philippus Archiepiscopus Strigon. beatam Margaritam, Bela IV. Regis filiam, Sanctimonialem Ord. Praed., solemniter sepelit, exequiasque peragit.

Mykoron jutot volna ez zentseges zuz az eu betegsegenek tyzen harmad napyara, egy zombat napon, completanae utanna, eleutykzokoron, keurnyul alvan fratreuknek es sororoknak sokassaga, Cristus zuletetynek utanna ezer keet zaaz hetven egy eztendeuben, ez zent zaznek kedeg huzon kylenc eztendeueben, februar havanak tyzen euteud napyan <sup>1)</sup>, — — — az eu artatlan lelket, zentseges, meltosagos lelket, ayalvan az eu teremteenek, az eu edesseges kevanatos jegesenek, el nyugovek urban. — — — — Mykoron ez zent zuz kymuleek ez velagbol, legottan meg izeneek mynden clastromokban; — — — ennek felette meg izeneek Eztergamy Fylep Erseknek es egyeb Egyhazy feyedelmeknek; azert mykoron immar kedden el juttek volna az tyztelendeu atyak es urak, Eztergamy Ersek, Vacy Pispék, oBuday Prepost, be menenek az clastromba, hol Zent Margyt azzonnak eu teste vala nemeunemeu nozolyan es fel emele az Ersek Zent Margyt Azzonnak orchayarol az velomot, kyvel befeuttek vala az eu orchayat, es lata az Ersek Zent Margyt Azonnak orchayat fenleny, mykoron az sororok nagy mondhatatlan kesereusegel syrnanak, azonkeppen az fraterok es, jol lehet hogy meeg az Ersek es Pispék, Prepost es mynden vele valo nagy sokassag syratlan nem teurhetyk vala eu nagy aytatossagoknak myatta, chudalkozvan Zent Margyt Azonnak eu nagy zepsegen; de maga az Ersek vigasztalya vala az sororokat es fratreuket mondvan: nem kel tynekteuk syrnotok az eurek Kyrálnak Leanyan, de inkab eureulnetek kel, mert immar az menyey eurek eurekseghnek jutalmat eutet vennyenylvan lagyuk. — — — — Zent Margyt azzonnak eu testenek el temettese ezenkeppen leun: mykoron ez zent zuz ez gyarlo vilagbol ky mult volna, anakutanna harmad napon az Provincialis chinaltata fabol egy igen ereus zekrent es igen ereussen meg vasasztata, ereusehtete yasakal es vas karikakal, en-

1) Intelligit hic XV. K a l. Febr., seu 18. Jan.

neikutanna belle tevek Zent Margyt azzon eu zent testet; ezenkeppen veve Eztergamy Ersek, Vacy Piskek, oBuday Prepost, frateruoknak, sororoknak sokasagaval az zekrent, kyben vala Zent Margyt Azzonnak teste, az eu zent testevel euzve, es vyvek az zent egyhazba, az bodog azzonnak oltara eleyben, az nagy oltar eleyben, nagy tyztessigel, az Ersek feul eulteuzeek Erseky tyztessigel az misere, es meg monda nagy tyztessigel es unneplessel, annak utanna az Ersek eunen maga meg zolgala ez zentsegeus zuznek eu testenek el temetesenek mynden zolosmayat; ezenkeppen veveek az zekrent Zent Margyt Azzonnak testevel euzve es be bochatak az feuldben egy verembe avagy seerben, kyt astanak vala az nagy oltarnak eleutte az eu zent testenek. — — —

Legenda b. Marg. ap. Pray Vita S. Elisabethae nec non b. Marg. 303 — 305. — Legenda Neapolitana eiusdem b. Marg. haec breviter ita narrat: „Mansit igitur a principio noctis post sabatum usque ad sequentem terciam feriam insepultum, continue profundens odorem diuinum, feria vero tertia per manus archiepiscopi Strigon. in arca lignea fuit in quadam fouea ante altare beate uirginis gloriose, ubi nunc adhuc diuina paciencia requiescit, depositum.“ Magy. Sion VI. 324. — Eandem 1271. 18. Jan. mortuam esse, uberius docuimus Magy. Sion. V. 569.

---

755.

1271. 23. Mart. — Conuentus Cruciferorum Strigon., Demetrium vineas suas, in Epel habitas, Capitulo Strigon. vendidisse testatur.

Nos Conuentus cruciferorum ecclesie sancti Regis Stephani de Strigonio, significamus omnibus, quibus expedierit, presencium per tenorem, quod Demetrius, filius Enchyd de Epel, coram nobis constitutus, omnes vineas suas, quas in terra Epel se habere dicebat, confessus est se uendidisse et reliquisse Capitulo Strigon. perpetuo possidendas, et pro eisdem vineis quandam summam pecunie ab ipso Capitulo recepisse. Super quo idem Demetrius nobis supplicauit, ut predicto Strigon. Capitulo nostras litteras testimoniales concederemus. Nos igitur ad ipsius Demetrii petitionem in huius rei testimonium et memoriam predicto Capitulo presentes nostras concessimus litteras, Sigilli nostri munimine roboratas. Datum decimo kalendas aprilis, anno domini Millesimo cc<sup>o</sup>. Septuagesimo Primo.

Sig. e corrigia pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. fasc. 1. Nro. 7., Ed. Cod. Strig. II. 104., Wenzel l. c. VIII. 372.

---



## 756.

1271. 28. Jun. — „Magister Ladizlaus Prepositus, totumque Capitulum Strigon. Ecclesie“, de divisione terrarum „inter Comitem Mychaelem, Magistrum Farkasium et Zoloch, filios Comitis Folcus, de genere Kachin“ peracta testantur. „Presentibus Magistro Syxto Lectore, Valentino Cantore, Matheo Custode, Karachino Preposito Sancti Georgij et Archidiacono Strigon., Renaldo Preposito Sancti Thome, Antonio Preposito Posoniensi, ceterisque Archidiaconis, Canonicis, in Ecclesia Sancti Adalberti Martiris Deo deuote celebrantibus — — quarto kal. Jul.“

Wenzel l. c. VIII. 353.

## 757.

1271. 14. Jul. — Ottocarus Rex Bohemiae inter puncta pacis, cum Stephano Rege Hungariae initae, sequentia recenset:

Si termini hinc inde fuissent auulsi vel mutati, — — Archiepiscopus Strigon. et Episcopus Olomucensis, — — super ipsis terminis et limitibus cognoscent, et id, quod legitime diffiniverint, per censuram ecclesiasticam partes facient observare; hoc adiecto, ut occasione terminorum seu limitum, de quibus dicti Archiepiscopus et Episcopus cognoscent, pacis puritas — — non turbabitur, nec nos cum eodem rege relabemur in guerrarum discrimina recidiva.

Si aliqua graviora per homines Regis Ungarie vel Barones eiusdem attemptata fuerint, sive facta, — — super hiis — — Ph. Strigon. archiepiscopus ex ordinaria iurisdictione, quam omnes Barones et homines regni Ungarie in se prorogaverunt, cognoscet — —; et quod diffiniverit, executioni mandabit, contradictores per censuram ecclesiasticam districtius composcendo.

Si vero, quod absit, Rex Ungarie pacis violator ex quacunque causa inventus fuerit vel turbator, ipso facto incidet in sententiam excommunicationis, quam exnunc — — Archiepiscopi Strigon. et Colocensis, eorumque suffraganei episcopi Ungarie tulerunt in scriptis solempniter.

Archiepiscopus etiam Strigoniensis, qui Ordinarius Regis Ungarie existit, et Archiepiscopus Colocensis, ipsius Cancellarius, ac suffraganei eorundem — — excommunicationis sententiam in scriptis solempniter tulerunt, quam ipse Rex Ungarie ipso facto incurreret, si transgressor pacis existeret. — — Datum et actum Prage. A. d. 1271. 2. Id. Jul.

Puncta haec verbis competenter mutatis, etiam Stephanus V. Rex Hungariae recenset 5. Non. Jul. a. eodem. In litteris his sequentia etiam occurrunt:

Super grauioribus, que ex parte hominum nostrorum contra homines Regis Boemie attemptata fuerint sive facta, Strigon. Archiepiscopus tam ordinaria iurisdictione, quam ex ipsius iurisdictionis in eos, qui eidem Archiepiscopo subiecti non sunt, prorogatione nunc facta cognoscet, et que, iudiciaria maturitate servata, invenerit perperam attemptata, seu facta, — — diffinitiva sententia reformabitur (sic), — — et que diffiniverit, per censuram ecclesiasticam faciet observari.

Theiner Mon. Hung. I. 295—304., Fejér Cod. dipl. V. I. 113., Pray Annal. Reg. Hung. I. 351., Katona Hist. Crit. VII. 547.

### 758.

1271. 3. Sept. — Peturke vineam suam in Epel Capitulo Strigon. vendit, coram Cruciferis Strigon.

Nos Conuentus Cruciferorum ecclesie sancti Regis Stephani de Strigonio, significamus vniuersis, quod Peturke de Epel, coram nobis constitutus, confessus est, quod quamdam particulam vinee sue, quam dixit esse in Epel, in monte, Laz uocato, per quam transit fossatum vinee Capituli Strigon., uendiderit ipsi Strigon. Capitulo perpetuo possidendam, pro tribus fertonibus et vncia argenti, ab eodem Capitulo sibi plene persolutis. Datum tercio die post festum sancti Egidij. Anno domini Millesimo CC<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>.X<sup>o</sup>. Primo.

Sigillum e zona membr. pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. Fasc. 1. Nro. 8. — Ed. Cod. Strig. II. 104., Wenzel l. c. VIII. 373.

### 759.

1271. 12. Sept. — Stephanus V. transcribit et confirmat Nrum. 556.

Stephanus, dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie, Bulgarieque Rex, Omnibus, tam presentibus, quam futuris, presentem paginam inspecturis, salutem in Omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, Quod hospites nostri de noua villa Bystrice prope Lypcham, ad nostram accedentes presenciam, exhibuerunt nobis priuilegium domini Bele, Illustris Regis Hungarie,

feliciis recordacionis, karissimi patris nostri, super forma libertatis ipsorum confectum, Petentes cum instancia, vt libertatem eandem ratam habere et ipsum priuilegium innouando, dignaremur confirmare. Cuius quidem priuilegij tenor talis est:

Sequitur Nrus. 556.

Nos igitur iustis petitionibus hospitem eorundem inclinati, Volentesque ipsos in libertate eadem immutabiliter conseruare, ipsum priuilegium patris nostri confirmamus, dupplicis Sigilli nostri munimine roborando. Datum per manus magistri Benedicti, Orodienensis prepositi, aule nostre Vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri, anno domini M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. LXX<sup>o</sup>. primo, Indicione XIII. II<sup>o</sup>. Septembris.<sup>1)</sup> Regni autem nostri anno secundo.

E transumptis Capituli Strigon. de a. 1338. et 1519. Vide Nr. 556. — Ed. Fejér Cod. dipl. V. I. 164. — Stephanus in huius anni diplomate quodam ait: „eo tempore, quum contra Styrenses exercitum habuissemus“ — (Fejér Cod. dipl. V. I. 106). Katona (Hist. Crit. VI. 589.) erronee: „contra Strigoniensem“ legendo, adiicit: „Quando, quave de causa contra Strigoniensem Stephanus exercitum promouerit, ex annalibus patriis non liquet.“ Alioquin!

#### 760.

1271. — Gregorius Praepositus et Capitulum Strigon. testantur „quod Levas, Comes de Sarov, officialis domini Philippi, venerabilis in Christo patris, Strigon. Ecclesie Archiepiscopi, aule Regie Cancellarij, domini nostri, — — quamdam terram suam empticiam, Keer vocatam, prope Hugog existentem, ad quatuor aratra sufficientem, quam a Cegde, filio Bogdan, emerat, Comiti Budov, proximo suo, pro decem marcis argenti confessus est perpetuo vendidisse. — — Huic etiam contractui venerabilis in Christo pater, dominus Philippus, Strigon. Ecclesie Archiepiscopus, dominus et Prelatus noster, in medio nostri personaliter comparendo, consensum prebuit et assensum eo modo, quod idem Comes Budou de ipsa terra domino archiepiscopo Strigon. in perpetuum semper et vbique, more aliorum nobilium iobagionum memorate Ecclesie, seruire teneatur; quod si facere non curaret uel non posset, extunc pro eadem quantitate pecunie domino Archiepiscopo, uel iobagionibus dicte Ecclesie ipsam terram reddere teneatur.“

Wenzel l. c. VIII. 352.

1) In altero transumpto rectius: secundo idus Sept.



## 761.

Post a. 1271. — Plures Strigonienses per invocationem b. Margaritae Virginis sanantur.

Vir quidam diues et nobilis, Andreas comes, cum uenisset Strigonium, arripuit eum febris continua, grauis plurimum et acuta. Rogauit autem tunc priorem fratrum predicatorum Strigoniensium, ut ei in loco, in infirmaria fratrum, concederet ad manendum, donec dictam egritudinem euasisset. Prior — — libenter concessit. Vexatus igitur fuit febris illius magnis feruoribus quatuor uel quinque diebus. Venit autem in mentem prioris pro liberatione comitis memoria uirginis margarete et accedens ad eum, dixit illi: domine, habeo de crinibus b. margarete, Si placet, portabo de lauatura dictorum crinium uobis dabo. Spero enim firmiter, quod dum de lauatura illa biberitis, uos alleuiatum ab hijs ardoribus sencietis. Annuit nobilis et lauaturam illam cum maxima deuotione accepit. Statimque nocte sequenti febris ex toto cessauit. — — (Leg. Neapolitana. M. Sion. VI. 332.)

Puer quidam decem annorum, filius quondam comitis amiani Strigoniensis, etiam sic in crucibus contractus erat, quod nullo modo poterat ambulare. Amici illius pro eo s. Margarete misericordiam inuocarunt et statim liberatus fuit et libere ambulauit. — — (Ib. 493.)

Vala nemely penitencia tarto azzonyallat Ez t e r g a m o t e s e z v a l a t y z t e l e n d e u a z z o n , a z e u t y z t e l e n d e u v o l t a e r t a z v a r a s b a n s o k a k t u l e s m e r t e t y k v a l a e s e u v a l a a r a n y f o n o , k y n e k v a l a n e v e M e z a . E z p e n i t e n c i a t a r t o z e n v e d e h a r o m e g e z e z t e n d e y g z e u n e t l e n v e e r h a s n a k k e n n y a t , e u f e y e n e k m o n d h a t a t l a n n a g y f a y d a l m a v a l . E z a z z o n y a l l a t , m y k o r o n m y n d e n e u j o z a g a e l k e u l t v e n f e k e n n e y e k , h a l l a e z a z z o n y a l l a t , h o g y Z e n t M a r g y t a z z o n n a k e r d e m e m y a t k o o r s a g o k n a k , b e t e g s e g e n k n e k m y a t t a m e g n y o m o r e h t a t t a k n a k I s t e n n e k j o t e t e l y a d a t n a k . A z e r t t e t e t e u m a g a t z e k e r r e , m e r t e g y e b k e p p e n n e m j u h e t v a l a , e s h o z a t a e u m a g a t a z k o p o r s o h o z . M y k o r o n m e g a z u t o n j u n e , e r z e e u m a g a t m e g k e n n y e b e u d n y , d e m y k o r o n j u t o t v o l n a a z k o p o r s o h o z e s t a p a z t o t t a v o l n a a z e u v e l o m a t , m y n d e n k o r s a g a b o l m e g g y o g y u l a e s v e u n t e u k e l l e t e u s e g e s e g e u t . “ — — (Ap. Pray l. c. 343. — Legenda Neapol. mulierem hanc Reginam, filiam z e f e d e d e S t r i g o n i o , v o c a t . M . S i o n V I . 5 6 9 . )

Vxor cuiusdam ciuis nobilis de Strigonio, qui dicebatur b a n c h u s , cum pregnans esset et appropinquaret tempus pariendi, per quatuor uel quinque septimanas clamabat parturiens et cruciebatur, ut pareret more parturientium contremiscens. Venerat siquidem fetus usque ad partum et uirtus non aderat pariendi. Credebatur a cunctis, quod deberet sine remedio ex partus doloribus expirare. Tunc frater quidam, Jordanus nomine, periclitanti pie compatiens, dedit ei de cilicio, quod fuerat in dorso sancte Margarete. Mulier cilicium penes se tenens, adiutorium s. uirginis implorauit et enixa puerpera puerum, iam non me-

minit pressure propter gaudium, sed puerperij completo tempore, uenit ad sepulcrum s. uirginis, deuote gratias egit, quod liberauerat eam a tantis doloribus et mortis periculo, ac prole concessa, restituerat sanitati. — — (Leg. Neapol. l. c. 570.)

---

**762.**

1272. 21. Jan. — „Magister Sixtus, Lector Strigoniensis, iudex a Domino nostro Stephano, Inclito Rege Hung., super terris vduornicorum suorum per totum Regnum Hung. pro tempore constitutus, — — cum nos pro exequendo precepto Regio ad partes vduornicorum de Keercha venissemus,“ comperit illos in praeiudicium Monasterii de Apacha Somlyo novas metas erexisse, quas proin destrui curavit. — Datum feria quinta in festo s. Agnetis.

Wenzel l. c. VIII. 402.

---

**763.**

1272. 2. Febr. — „Magister Sixtus, Lector Strigon. Ecclesiae, Judex super terris Udvarnicorum a Stephano V. Rege per totum Regnum suum pro tempore constitutus“, cum Gregorio, filio Gil, homine Palatini, ad mandatum domini Regis terras nobilium de Thoty in Comitatu Zaladiensi a terris Udvarnicorum separat. — — Datum in festo purificationis beatae Virginis.

Fejér Cod. dipl. VII. IV. 146. et iterum VII. V. 374. 395. — Has litteras confirmat Ladislaus IV. Rex. 1274. 6. kal. Jun. (27. Maii). Ib. pag. 148.

---

**764.**

1272. 17. Febr. — „Magister Sixtus Lector Strigon., iudex super terris uduornicorum a domino nostro Stephano, Illustri Rege Hung., per totum Regnum suum pro ipso constitutus — —, cum pro exequendo mandato Regio ad Comitatum Vesprimiensem uenissemus,“ causam inter udvornicos de villa Berin et villa Bech decedit. — Datum quarta feria proxima ante Septuagesimam.

Wenzel l. c. VIII. 401.

## 765.

1272. 17. Mart. — Stephanus V. Rex „patentes litteras Magistri Sixti, Lectoris Strigon., pro reuocandis vduarum nostrorum iuribus iudicis per Hungariam ea vice deputati,“ Nro. 762. comprehensas, confirmat. — Datum. XIV. kal. Apr.

Wenzel l. c. VIII. 392.

## 766.

1272. 21. Martii. — Stephanus V. fundacionem monasterii de Chut, a patre suo Bela IV. factam, rati habet et possessiones eidem donatas limitibus circumscribit.

(I)n nomine sancte trinitatis et indiuidue unitatis. (S)tephanus, dei gracia (H)ungarie, (D)almacie, (C)roacie, (R)ame, (S)erue, (G)allicie, (L)odomerie, (C)umanie, (B)ulgarieque Rex, successiue posteritati ad perpetuam rei memoriam salutem in domino sempiternam. (Q)uanto Regalis sublimitas propensiori affectu et attencionis deuocione superna contemplatur, diuina gracia adiuuante, tanto operibus affectum debet producere ad effectum, maxime unicum talamum xpi., ecclesiam videlicet catholicam sublimando, religiosis consulendo, ut sic eterne remuneracionis premium cum temporalis uite subsidio consequatur. (S)ane considerantes, dilectos nobis in dei filio fratres ordinis premonstratensis tanto pocioris antidoto fauoris Regij prosequendos, quanto speciali deuocione eosdem nouimus obsequijs et reuerencie beatissime uirginis, que nostra et Regni nostri est domina et patrona, beatique Eustachij obligatos, ac uberioribus caritatis, que multitudinem peccatorum operit, operibus habundare; ipsos uolentes pro nobis et pro anima domini B. illustris Regis Hungarie, karissimi patris nostri, felicissime recordacionis, apud deum ponere intercessores, monasterium pro eisdem fratribus in Insula Chuth, in honore beati Eustachij, et domos, ac officinas religiose conuersacionis quieti congruentes, disposuimus, sicut predictus karissimus pater noster, clare memorie, disposuerat et ordinauerat, premissa deliberacione Regia ordinare. (E)t quia religiosam uitam ducentibus prona beniuolencia quoslibet catholicos et maxime personas, regali dignitate predictas, conuenit subuenire, ne alicuius necessitatis occasio eos in diuinis desides aut negligentes efficiat, uel robur, quod absit, sancte conuersacionis, subtracto subsidio uite utriusque, infringat, monasterium predictum et religiosam domum de Insula Chuth uoluimus et uolumus, sicut antedictus dominus Rex, karissimus pater noster, uoluerat et ordinauerat, filiacionis iure soli subesse ecclesie premonstrathensis; dotantes idem monasterium pro remedio anime



eiusdem patris nostri et nostre, datis, concessis et collatis eidem villa Narhyd pleno iure, in qua Cumani per prefatum dominum B. regem, karissimum patrem nostrum, fuerant constituti, quam propter plurimos et enormes excessus eorumdem idem abstulerat ab eisdem, cum omnibus uillis et terris, ad ipsam uillam Narhyd spectantibus, videlicet villa Suran, Gyroh, Turmaskuz et Hydheleu, Item terra Luaz, terra wrbanus, terra Seurug, terra Machard, terra Busman et terra Kucha, totisque utilitatibus et pertinentijs suis et omni tributo pontis, quibus ijdem Cumani possidebant et tenebant.

Mete autem earumdem terrarum hoc ordine distinguuntur: Incipit itaque prima meta in terra Luaz — — (cet. prout in litteris Belae Regis Nro. 670. exhibitis, de verbo ad verbum usque ad conclusionem. Tum transumit verba Nri. 669., sed haec, quia ordo textus hic invertitur, hisce exhibemus:)

Preterea contulimus eidem Monasterio beati Eustachij duas uillas, Thothon uocatas, et tres uillas, Guum nominatas, et terram duarum uillarum, Kemey nominatarum, et eciam quandam terram, que Kydkenrus nuncupatur, que hiis metis sunt distincte:

Incipit prima meta ex parte occidentali, que contigua est terre Houcha, Item de septemtrione terra Kuhna ad metam eandem protenditur; Item de terra Burzua a parte occidentali protenditur ad eandem primam metam. Item simili modo terra Boroch protenditur ad ipsam primam metam, similiter terra Boroch protenditur ad ipsam primam metam (sic), quas prenominate terras distingit quoddam flumen, quod Sarwezy nominatur, quarum mete sunt inter flumen nominatum, et de ipsa prima meta occidentali terra Thothon protenditur cum terra Houcha, per quoddam pratum magnum equaliter uersus septemtrionem et per finem cuiusdam silue, Egyr nuncupate, et inde procedit uersus monasterium Houcha, deinde procedit ad duas metas, que sunt circa magnam uiam, que uenit de pezeri et d o b o s et sic transit per medium ipsius uie uersus orientem ad quoddam pratum, et ex una parte ipsius prati est quidam monticulus, sub quo sunt due mete. Item per ipsum monticulum per longitudinem unius iugeris transit similiter uersus orientem et tendit ad tercium pratum et iuxta ipsum pratum protenditur uersus septemtrionem et in fine uille Houche sunt due mete, et de duabus ipsis metis transit per unum pratum ad terram, Gapus nuncupate, et ibi iuxta quandam uiam sunt due mete et exinde procedit ad pukun mege et ibi sunt due mete, videlicet Thothon et pukun. Item inde uenit uersus orientem usque Fonchol et ex inferiori parte ipsius Fonchol incidit in uiam magnam, per quam itur ad uillam Tulg, et iuxta uiam eandem sunt sex mete, uillarum Thothon, Fonchol et Gwn; et exinde protendit uersus orientem et per ipsam uiam aliquantulum eundo, sunt due mete, que faciunt diuisionem Hynarch et Gwn; deinde procedit uersus meridiem et uenit ad

quandam uiam, per quam itur ad Sexge d et ibi sunt due mete ex parte cuiusdam prati, et sic uersus meridiem procedit ad terram Kemey, et sub una salice sunt due mete, quarum una est Hynarch et alia Kemey. Item procedit uersus occidentem per unam lacum et transeundo eam sunt due mete, et exinde peruenit ad domum Zoytur, et retro domum eius super quemdam monticulum sunt due mete; deinde tendit ad uiam, que uenit de Bezer et Dabas, et iuxta ipsam uiam fra (sic) quodam monticulo sunt due mete; et inde per distinccionem cuiusdam fossati usque in magnum flumen Saar iuxta quandam pirum sunt due mete, quarum una est Beseneu et alia Kemey, et per medium fluminis Saar tendit uersus occidentem usque quinque metas, superius nominatas.

Preterea contulimus Monasterio beati Eustachij predicto terram Wduornicorum nostrorum, sitam in Strigonio intra fossatum et extra, circa ecclesiam beati Laurencij et eciam in uico fabrorum, qui possunt in se continere septuaginta fundos curiarum, cum omnibus terris ad eundem pertinentibus, sub eisdem antiquis metis, quibus ijdem wduornici possidebant.

Item contulimus eidem monasterio terram Chuth et terram Kuchula, Monasterij de Serefel, receptas ab eo pro competenti concambio, sub eisdem antiquis metis, quibus idem monasterium de Serefel eas possidebat.

Contulimus eciam quandam terram sepedicto monasterio, Oguz wduornici nostri in Strigonio, prope sanctum Michaellem existentem, cum uineis et terris arabilibus, quas idem Oguz possidebat.

Item contulimus ipsi monasterio molendinum nostrum, quod est in Peith cum duobus fundis curiarum et feneto, quod potest sufficere quinque hominibus ad falcandum uno die, et lignis, que possunt sufficere ad duo dolabra, que Bard nominantur, uno die.

Item ob diuine pietatis clemenciam contulimus eidem monasterio quandam terram wduornicorum nostrorum, Agar nominatam, cum quinque mansionibus wduornicorum, qui super eadem sunt residentes, sub eisdem ueteribus metis et terminis, quibus ijdem wduornici nostri possidebant.

(E)t ne predicti fratres ratione populorum predictorum uniuersorum et singulorum, cuiuscunque condicionis extiterint uel existant, sibi per nos collatorum, litibus et iurgiis fatigentur; ipsos populos a iurisdiccione comitum Castrorum, in quibus castris et comitatibus existere dinoscuntur, exemimus, et harum serie eximimus pleno iure. Volentes, ut in illis casibus, in quibus comites populos aliarum ecclesiarum et nobilium iudicare consueuerunt, nullius alterius, nisi nostro, uel successorum nostrorum, regum iudicio astare teneantur, alijs causis ipsorum, quas uel ipsi inter se mouerint, uel alij extranei suscitauerint contra ipsos, iudicio prepositi decidendis, pro tempore constituti; et hoc dicimus, quod possessiones et terras prenotatas eidem Monasterio cum

eisdem utilitatibus et pertinencijs contulimus, quibus contulerat dominus B., illustris Rex Hungarie, karissimus pater noster, clare memorie sepe dictus.

(V)t igitur tam salubris ordinacionis et donacionis, per nos et dominum B., Regem Hung., patrem nostrum karissimum sepius nominatum, factarum series salua et illibata et irreuocabiliter in posterum perseueret, presentes preposito et fratribus, in ipso monasterio beati Eustachij domino famulantibus, ad perpetuam rei memoriam concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, prepositi ecclesie Orodienensis, aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Venerabilibus domino Philipo Strigon.; Stephano Colocensi archiepiscopis; Lamberto agriensi; Job Quinqueecclesiensi; Phillipo Waciensi; Paulo Vesprimiensi; Thymoteo Zagrabiensi; Petro transilvano; Lodomerio Waradiensi; Dyonisio Jauriensi et Rolandi Boznensi Episcopis, qui in Regno nostro dei ecclesijs prefuerunt. Moys palatino; Joachino Bano tocius Sclauonie; Egidio summo camerario; Nycolao Iudice Curie nostre, tenentibus Regni nostri baronatus. Ano domini Millesimo ducentesimo Septuagesimo secundo. Regni autem nostri anno tercio. XII<sup>o</sup> kalendas aprilis.

Sigillum e rubro serico pendebat. Orig. litteris maiusculis exaratum, in Arch. Prim. Sec. Lad. M. fasc. 1. Nro. 7. — Eddit Fejér l. c. V. I. pag. 216.

### 767.

1272. a. 29. Mart. — Stephanus V. decernit, decimas etiam e collectis lucri Camerae ultra Dravam AEppo. Strigon. competere et Lorando bano, hoc neganti, perpetuum silentium imponit.

Nos STEphanus, Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crovacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex. Pro memoria significamus vniuersis presencium per tenorem, quod inter venerabilem patrem Philippum, archiepiscopum Strigon. et perpetuum comitem loci eiusdem, dilectum et fidelem nostrum, ex una parte, et inter Lorandum banum, cui collectam nostram septem denariorum ultra Drawam pro lucro Camere dedimus et donauimus, super decima ipsius collecte orta coram nobis materia questionis, ipso venerabili patre archiepiscopo Strigon. petente et uendicante, decimas ex ipsa collecta, sibi et ecclesie sue debitas, tum ex priuilegio, tum ex antiqua consuetudine, cuius non extat memoria; Lorando autem negante et asseuerante, de collecta lucri Camere ultra Drawam nusquam archiepiscopum Strigon. decimas aliquas percepisse; quamuis iure communi intencio venerabilis patris archiepiscopi Strigon. iuuaretur, pro eo, quod ei, cui decima Camere per totum Regnum debebatur, per con-



sequens et decima lucri Camere, quod pene tantundem significat, deberi intelligeretur. Ad habundanciolem tamen cautelam et euidenciam manifestiorem, eidem venerabili patri Strigon. archiepiscopo super iure percipiendi et super possessione, uel quasi iuris percipiendi decimas de lucro camere ultra Drawam, probationem duximus indicendam, qui venerabilis pater et per litteras papales, et per litteras felicis recordacionis genitoris nostri luce clarius probauit et ostendit, sibi et archiepiscopatuj Strigon. deberi decimam lucri Camere ultra Drawam <sup>1)</sup>, et archiepiscopum et archiepiscopatum Strigon. in possessione, uel quasi iuris percipiendi collecte lucri Camere ultra Drawam fuisse et extitisse, contradiccione qualibet non obstante. quibus litteris facta nobis plena fide, quod decima lucri Camere ultra Drawam Strigon. archiepiscopo et archiepiscopatuj deberetur, et Strigon. archiepiscopus et archiepiscopatus in possessione, uel quasi percipiendi decimas lucri Camere ultra Drawam semper fuisset et extitisset, sicut et esse debet; ipsi Lorando bano et per consequens omnibus, quibus quouis tempore ipsa collecta lucri Camere ex liberalitate Regia donaretur, uocem contradiccionis quo ad solucionem decime collecte prenotate abstulimus et silencium perpetuum imposuimus. Adiudicantes sentencialiter ipsas decimas lucri Camere ultra Drawam archiepiscopo et archiepiscopatuj Strigon. ex debito persolundas. Ne igitur in posterum super iure percipiendi decimas lucri Camere ultra Drawam questio similis oriri ualeat, uel renasci, archiepiscopo et archiepiscopatuj Strigon. Ad rei memoriam sempiternam et in robur et priuilegium perpetuum, ex certa Sciencia, presentes nostras concessimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, prepositi Orodienensis, aule nostre vicecancellarij. Anno Dom. M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C<sup>o</sup>. LX<sup>o</sup>X<sup>o</sup>. secundo. Regni autem nostri anno secundo.

Sigillum e serico flauo et caeruleo dependebat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. B. Fasc. 1. Nro. 1. — Edidit erronee Fejér l. c. V. I. pag. 251. — Diploma hocce, ut ex combinatione cum Nro. 768. apparet, ante diem 29. Martii editum fuit.

### 768.

1272. 29. Mart. — Lorandus banus decimam lucri Camerae de ultra Drawam a Philippo Archiepiscopo Strigon. mutuo petit.

Rolandus banus venerabili patri Ph(ilippo) dei gracia sancte Strigoniensis ecclesie archiepiscopo et comiti loci eiusdem, dilecto cognato suo, Omnem reuerenciam et honorem. Cum decima collecte lucri camere de vltra Drawam vobis nomine archiepiscopatus debeantur, et a domino Rege firmiter

1) Vide Nrum. 573.

receperimus in mandatis, ut vobis ipsas decimas, sine aliqua diminucione, plene persoluamus et persolui faciamus; Paternitatem vestram ex data nobis a uestra benignitate confidencia, propter presentem nostram indigenciam, affectuosius petimus et rogamus, quatenus ipsas decimas, quas vobis debitas recognoscimus, et quas uobis de mandato regio debemus, hoc anno nobis, sicut pecuniam vestram, concedere et donare velitis, ad releuandum presentes necessitates nostras. aliud non facturi, sicut nos diligitis et diligere intenditis et debetis; nos enim semper vobis in persona nostra et in rebus deseruire intendimus et placere. Datum Bude tertia feria post dominicam Oculi nostri. Anno domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>C. LXX. secundo.

Sig. tergo fuit adpressum. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. B. Fasc. 1. Nro. 2. — Ed. Cod. Strig. I. 65.

## 769.

1272. 1. Maii. — Stephanus V. Rex „viri discreti Magistri Anthonii, Doctoris Decretorum, Archidiaconi de Sasvar et Cancellarii venerabilis Patris Philippi, miseratione divina sanctae Strigon. Ecclesiae Archiepiscopi, eiusdemque loci perpetui Comitis, fidelitates et servitia, quae nobis et regno nostro, maxime in nostris legationibus et ambassariis eundo extra Regnum ad Bohemorum regem illustrem, karissimum affinem nostrum, et alias impendit, iustae considerationis pensantes libramine et equo iudicio intuentes, ac ob hoc volentes eidem dignae remunerationis praemio ex magnificentia regia respondere; ipsi Magistro Anthonio, et per eum fratribus eiusdem, Beled scilicet et Jacincto, nobilibus regni nostri de Pog, ac ipsorum — haeredibus — — quandam insulam iuxta Rabam, vicinam et confinem — terrae ipsorum, quam insulam circumdat flumen Rabae, vallatam duobus magnis fossatis, factis per eosdem et per alios homines eiusdem partis regni nostri,“ confert. — — Datum Kalendis Maii.

Fejér Cod. dipl. V. I. 255.

## 770.

1272. 5. Maii. — Gregorius PP. X. iniungit Archiepiscopo Strigon. et Episcopo Waciensi, ut Nrum. 757. ab ipso approbatum, inuolabiliter faciant observari. — Datum Laterani III. Non. Maii., P. a. 1.

Theiner Mon. Hung. I. 304., Wenzel l. c. III. 279., Extr. Fejér Cod. dipl. VII. V. 374.

## 771.

1272. 20. Maii. — Peturke haeredum solatio destitutus, terram suam in Epel Capitulo Strigon. donat, coram Conventu Cruciferorum Strigon.

Frater Elias, Magister Domus Hospitalis sancti Regis Stephani de Strigonio et totus Conuentus eiusdem domus, Omnibus xi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam tenore presencium uolumus peruenire, quod Peturke, filius Jardan de Epel, coram nobis personaliter constitutus, confessus est, quod cum ipse vnicum habuerit filium et idem in domini Regis et Regni seruicio, videlicet in exercitu, sit interemptus et nunc heredum careat solacio; ipse terram suam hereditariam, sufficientem ad vnum aratrum, uel circa hoc, quam habet in Epel, inter terram Capituli Strigon., pro remedio anime sue et predicti filij sui, in exercitu interempti, dederit, tradiderit et donauerit predicto Strigon. Capitulo cum omnibus vtilitatibus et pertinencijs suis perpetuo possidendam et specialiter dedit et donauit coram nobis et ipsum Strigon. Capitulum in eiusdem terre sue et ipsius utilitatum corporalem et pacificam possessionem in hominis nostri presencia introduxit. In cuius rei testimonium et memoriam, ad petitionem eiusdem Peturke, predicto Strigon. Capitulo super ipsa terra presentes nostras concessimus litteras, Sigilli nostri munimine roboratas. Datum tercio decimo kalendas Junij, anno domini Millesimo cc°. Septuagesimo secundo.

Sig. e zona membr. pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 26. Fasc. 1. Nro. 9. — Ed. Cod. Strig. II. 105., Wenzel l. c. VIII. 411.

## 772.

1272. 12. Jun. — „Magister Sixtus, Lector Strigon., iudex a domino nostro Stephano, illustri Rege Hungariae, super terris Udvarnicorum suorum per totum regnum suum pro tempore constitutus,“ cum „pro exequendo mandato Regio in Comitatum vduornicorum de Sag“ venisset, terram duorum aratrorum de villa Tukurch Alexandro et Chepano, filiis Laurentii, de genere Jak, contra Udvarnicos de villa Buruzd adiudicat. — Datum in die Pentecostes.

Wenzel l. c. VIII. 399. — Extr. Kubinyi Cod. Dipl. Arpad. Pest 1867. 83., Fejér Cod. dipl. VII. IV. 263. — Occurrit porro eius, qua huiusmodi, a Stephano V. constituti, iudicis mentio a. 1273. et 1275. Wenzel l. c. IV. 30., Fejér Cod. dipl. V. II. 276. et VII. II. 23.



## 773.

1272. 28. Jun. — Archiepiscopus, Capitulum et Conuentus Cruciferorum Strigon. litem super metis villarum Szent Pál, Dorogh, Szent István, Szent István király et terrae Bille, coram Iudice Curiae Regiae suscitata, per arbitros componunt.

Nos Frater Elias, magister et Conuentus cruciferorum ecclesie sancti Stephani regis de Strigonio, Significamus, quibus expedit, vniuersis, presentium per tenorem, Quod licet inter venerabilem in xpo. patrem, dominum Philipum, dei gracia archiepiscopum Strigoniensem, eiusdemque loci Comitem perpetuum, super metis ville sue sancti Pauli, et suum Capitulum super metis possessionum (sic) ipsorum, Dorogh vocate, ab una parte; ab altera vero parte inter nos super metis possessionum ecclesie nostre, videlicet sancti Stephani, prope villam sancti Pauli, ac Sancti Stephani regis et terre, Bylle vocate, cuius ecclesia est in honore beate Margarete uirginis, in presencia iudicis Curie regalis litis materia et questionis discordia usque modo fuisset suscitata; tamen quia omnis controversie et discordie finis est pax et concordia, ideo super metis litigiosis predictarum villarum et possessionum, de permissione et uoluntate eiusdem iudicis Curie regalis, ad talem pacis et concordie deuenimus unionem, quod quicquid Comes Dominicus, Ciuis de contrata latina regalis Ciuitatis Strigoniensis, Comes Lorandus de Gywa, Magister Mychael vicecomes Nitriensis, Magister Stephanus filius texew, Comes Jacobus de Tezer et Comes Benedictus nobilis de Nyir, pro arbitris per nos rogati et assumpti, super ipsis metis, deum habendo pre oculis et eius iusticiam, sub penis Centum marcarum, preter porcionem iudicis, per eosdem nobis impositis, arbitrentur inter nos et ipsum dominum Philipum archiepiscopum et suum Capitulum Strigon., modis omnibus teneremur acceptare. qui quidem Comes Dominicus et nobiles supradicti hoc modo inter nos extiterunt ad ipsorum fidem arbitrati in metis villarum predictarum et causa nostra supradicta, quod quia instrumenta nostra et priuilegia de metis dictarum villarum nostrarum non plene informabant, ut exinde idem dominus archiepiscopus et suum Capitulum contentari potuissent; ideo ipsi arbitrij nobis magistro et Dominico Custodi eiusdem ecclesie nostre sancti Stephani regis, eo, quod actores eramus, iuramentum imposuerunt; tali modo, ut ubicunque fide nostra mediante, quemadmodum secundum regni consuetudinem in terris et metis litigiosis iuramenta fieri solent, metas erigeremus; idem dominus archiepiscopus et suum Capitulum ipsam erectionem tenerentur acceptare, alias in Centum marcis contra nos, vt premisimus, preter porcionem iudicis, remanerent ipso facto, ante litis ingressum nobis persoluendis; nos itaque iuxta formam arbitrij dictorum arbitratorum, in octauis ascensionis domini, presentibus dictis arbitris, Iudice,

Juratis de contrata latina regali Ciuitatis Strigon., ad finem ville sancti Pauli accessimus, de ripa parui Danubij directe exundo (sic) ad litus ipsius aque in ipso litore et in latere ipsius litoris iuxta unam uiam antiquam, que gregum uia dicitur, uenientem directe de villa sancti Stephani ad paruum Danobium, ereximus iurantes unam terream metam, in cuius medio vnum erectum lapidem fecimus inponi. Deinde iuxta eandem uiam eundo aliquantulum ad partem ville sancti Stephani aliam terream metam ereximus, in Cuius medio similiter unum lapidem fecimus inponi propter cautelam firmiorem; exinde iuxta eandem parum progrediendo, ereximus terciam metam, in cuius medio pro signo similiter lapidem erectum fecimus introponi. Item quartam metam terream ereximus ad eandem partem eundo prope villam nostram sancti Stephani, similiter cum uno magno lapide, ubi separatur terra ville nostre sancti Stephani a terra ville sancti Pauli et separatur eciam a terra ecclesie sancti Egidij, que dicitur ipsius latine contrate regalis Ciuitatis, et sic cum eodem domino Philipo archiepiscopo Strigon. concordauimus. preterea hijs peractis, cum prenominais arbitrijs et alijs communibus hominibus accessimus ad metas ville nostre sancti Stephani et terre Bille, a parte ville Capituli Strigoniensis, Dorogh vocate, et inuenimus in fine cuiusdam prati longi, a parte ville nostre sancti Stephani, in fine terrarum arabilium et a parte occidentis, quantum ad villam et terram Bille ibidem uicinantem, unam metam magnam antiquam, communiter separentem nobis et ipsi Capitulo, ubi ereximus concorditer cum ipso Capitulo duas metas, in numero (sic) faciunt tres satis magnas, quarum una separat ville sancti Stephani a parte ville predictae, et a parte ville Dorogh que est, separat eidem ville Dorogh, et que est a parte ville seu terre Bille, separat terre Bille. Item ab ipsis tribus metis incipientes, fleximus nos aliquantulum circulando iuxta terram eiusdem ville Dorogh et transiimus quasi ad partem meridionalem directe supra ad latus cuiusdam montis et ibi in latere eiusdem montis inuenimus unam metam terream iuxta vnam magnam viam, que ueniet de uilla Dorogh et uadit in uillam nostram, Taat nominatam, et de voluntate eiusdem Capituli Strigon. iuxta ipsam unam metam ereximus aliam metam terream, que separat ville nostre sancti Stephani regis, a predicta villa Dorogh, que est Capituli, et deinde tenere incipit metas possessio ecclesie nostre sancti Stephani, cum terra cruciferorum ecclesie sancti lazarij, usque ad villam nostram tat currendo cum metis continuis, et sic cum capitulo Strigon. concordauimus in metis et causis nostris supradictis; presentibus eisdem Comitibus dominico, Iorando, magistro Mychaele, Stephano, Jacobo et Benedicto, arbitrijs nostris supradictis. Et quia Ius est, quod cuiuslibet Capituli, vel Conuentus propria littera suo sigillo autentico in negocijs discordantibus et Causis sopitis modo supradicto contra sibi Inuicem partibus con-

cordantibus, maioris est uigoris et forcioris firmitatis, et plus ligat quo ad antedictum iudicem Curie regie et eciam quoad nos metipsos; uoluerunt dicti arbitrij nostri, vt super predicta concordia et ereccionibus metarum, ipsis domino phillipo archiepiscopo et suo Capitulo Strigon. in huiusmodi testimonium nostras litteras privilegiales cum nostro pendenti sigillo daremus, et quod ipsi dominus archiepiscopus et Capitulum suum uberiozem ad cautelam eorum litteras, sigillis eorum consignando, dari facerent et emanari; quorum dictis annuentes, ipsi domino archiepiscopo et suo Capitulo de predicta nostra concordia presentes nostras litteras priuilegiales, sigillo nostro consignando, dari fecimus et assignari per manus predictorum arbitrorum nostrorum; litteras autem ipsius domini archiepiscopi et sui Capituli in eisdem tenoribus, in quibus nos dedimus, sub eorum sigillis nobis uoluimus presentari, quas idem dominus archiepiscopus et suum Capitulum, sub eorum sigillis, in tenore premissis, per manus dictorum arbitrorum nobis assignauerunt, in nostra camera conseruandas; tali condicione interiecta, (quod si li)tem aliquam exinde suscitarer, in centum marcis remaneret parti, litem non suscitant et in concordia perseueranti, ante litis ingressum persoluendis. In cuius rei firmitatem dicti arbitrij hoc ligamen fieri de(creuerunt). Datum feria tertia post quindenae pentecostes, anno domini M<sup>o</sup>. cc<sup>o</sup>. LXX<sup>m</sup>. secundo.

Sig. e corrigia pendebat. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 28. Fasc. 1. Nro. 1.  
— Ed. Cod. Strig. II. 105.

## 774.

1272. 11. Jul. — Gregorius Praepositus et Capitulum Strigon. de venditione partis terrae Jolok litteras per manus Magistri Sixti, Lectoris Strigon. edunt quinto idus Jul.

Wenzel l. c. VIII. 403.

## 775.

1272. 13. Jul. — Stephanus V. Rex transcribit et confirmat Nrum. 752.

Stephanus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Omnibus tam presentibus, quam futuris, presentes litteras inspecturis, salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum tam presencium, quam futurorum noticiam harum serie volumus perue-



nire, quod vir venerabilis, frater Martinus, abbas monasterij beati Benedicti de Grana, ad nostram accedens presencium, obtulit nobis priuilegiales litteras fidelium nostrum, Capituli Nitriensis, datas sen concessas super empcone cuiusdam molendini, existentis in fluuio Goron, in uilla Bors, quarum quidem litterarum tenor talis est:

Sequitur Nrus. 752.

Nos itaque contractum huiusmodi aprobantes, prout eciam primitus per Dionisium, comitem Borsiensem, aprobatus fuerat, secundum quod ipsius littere declarabant et eciam collacionem vnus aree, siue situs curie, per dominum Regem, felicitis recordacionis karissimum patrem nostrum, dicto monasterio in uilla eadem collati, iuxta suarum continenciam litterarum, ratam habentes, presentibus confirmamus, duplicis sigilli nostri munimine roborando; volentes quod abbas predicti monasterij super premissis nec per comitem Borsiensem, quicumque fuerit pro tempore, nec per alios quoslibet valeat ullo unquam tempore molestari. Datum per manus magistri Benedicti, Orodiensis ecclesie prepositi, Aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini. M<sup>o</sup>.cc<sup>o</sup>. Septuagesimo Secundo, Tercio Idus Julij, Regni autem nostri anno Secundo.

Fragm. sigilli e viridi et violaceo serico pendet. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40. Fasc. 1. Nro. 13. — Ed. Cod. Strig. II. 109.

### 776.

(1270 — 1272.) 13. Jul. — Stephanus V. Rex Dionysio Comiti Barsiensi iniungit, ut fundum curiae in Bars cum molendino Monasterio s. Benedicti restituat.

Stephanus, dei gracia Rex Hungarie, fideli suo Dyonisio, comiti Borsien-  
si, salutem et graciam. Cum vnum situm curie in villa Bors et molendinum  
quatuor rotarum super fluuio Goron, in Curia eadem constitutum, iuxta con-  
tinenciam litterarum Domini Regis, karissimi patris nostri et eciam litterarum  
Capituli Nitriensis, reliquerimus monasterio beati Benedicti in Goron perpetuo  
possidere, nostro id nichilominus priuilegio confirmando; Mandamus fidelitati  
tue per presentes, et requirimus diligenter, quatenus abbatem et fratres ipsius  
monasterij occasione molendini predicti vltcrius non molestes, sed precise pre-  
cipimus, quod restituas eisdem, difficultate qualibet non obstante. Datum apud  
sanctum Benedictum in festo beate virginis margarete.

Sigillum tergo fuit appressum. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 1. Fasc. 8.  
Nro. 23. — Ed. Cod. Strig. II. 231.

## 777.

1272. a. 1. Aug. — Stephanus V. Rex Nobiles et conditionarios Ecclesiae Strigon., nobilibus regni semet aggregare volentes, ad consueta seruicia redire iubet, refractarios autem Palatinus Ecclesiae capere et condemnare possit; ita exigentibus privilegiis Ecclesiae Strigon., quae etiam enumerat.

Stefanus, dei gracia Hungariae, Dalmacie, Crowacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, omnibus xpi. fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem in omnium saluatore. Ad vniuersorum noticiam harum serie uolumus pervenire, Quod accedens ad nostram presenciam venerabilis pater Philipus, archiepiscopus Strigon., sua nobis querimonia dolorose orotenus explicauit, quasi nobis inputando, sic dicens: quod quidam nobiles exercituantes ecclesie Strigon. et quidam alij condicionarij, Lewas cum filio suo dyonisio de saroy, et Sentus de alia Saroy, casei dator et aliorum mandatorum obtemperator, necnon Gregorius de Gormoth, asaturarum uolutor et custos kokyne, cum alijs condicionarijs, post mortem Regis Bele, karissimi patris nostri, felicitis memorie, derelicta sancta matre ecclesia Strigon., eorundem seruicijs consuetis postpositis, libere et effrenate currere cupientes, moliantur in regni nobiles agregari, cum tamen ipsi et ipsorum socij a tempore sancti regis Stephani et suorum successorum semper ecclesiam Strigon. seruierunt et ab ipsius seruitute non potuerunt disgregari. Petens nos mente deuota et humili precum cum instantia, quod Strigon. ecclesiam in suis libertatibus et Juribus, per sanctos reges datis et concessis, dignaremur conseruare, et predictos nobiles et condicionarios compellere ad consueta seruicia ecclesie exhibenda, et penam inponere de eorum infidelitate, ne de cetero talia facere presumptant. Nos igitur ipsius venerabilis patris querulosa petitione audita, perquisitis et indagatis ab omnibus regnicolis nostris, vna cum prelatibus et Barronibus, Comitibus et nobilibus regni nostri comperimus, fore matricem ecclesiam omnium ecclesiarum in regno nostro, et validioribus libertatibus gratulari. Inuenimus etiam eandem Strigoniensem ecclesiam dignitatem palatinatus habere et auctoritatem Iudicandi super omnes nobiles ecclesie sue in quibuscumque causis et causarum articulis, infideles nobiles suos ulciscendi, fures et latrones suspendendi, si in ipsius territorio deprehensi fuerint, tramite Juris obseruato; et siquidem nobiles ipsius ecclesie quoquo modo iuris ordine interficiantur ratione delicti per ipsorum Iudicem, uel alium ex casu; ipsorum possessio non ad Iudicem suum uel alienum, sed ad ecclesiam Strigon. deuoluetur, si occisus non habuerit sibi succedentem, quia perpetuis seruicijs ecclesie sunt deputati. Quapropter sentencialiter decreuimus, quod omnes, tam nobiles, quam condicionarij suo archiepiscopo Strigoniensi fideliter obediant et consueta seruicia

exibeant et nusquam alias in regno nostro alicui possint famulari; qui si contrarium fecerint et ecclesie servire noluerint, ipsorum Palatinus liberam habeat facultatem ubicunque capiendi et condemnandi eosdem. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam concessimus <sup>1)</sup>, duplicis sigilli munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, Orodienensis prepositi, aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. septuagesimo secundo, Regni autem nostri anno secundo.

Sigillum e serico rubro et viridi pendebat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. R. fasc. 1. Nr. 3. — Ed. Fejér l. c. V. I. pag. 226. et extr. pag. 187. et iterum extr. VII. V. 375.

### 778.

1272. a. 1. Aug. — Stephanus V. Rex transumit Nrum. 637.

Stephanus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, Omnibus xpi. fidelibus, presens scriptum inspecturis, salutem et perpetuam pacem. Justis petencium desiderijs animum condescendere tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, dummodo id, quod petitur, iuri non preiudicet alieno. Proinde ad uniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, Quod Comes Andreas de Byztirchebana ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis priuilegium karissimi patris nostri Bele, felicitis recordacionis Regis Hungarie, confectum super quadam silua et terrainter Byztirchebanam et Lypsche existentem, petens cum instancia, vt nos ipsum priuilegium ratum habere et nostro dignaremur priuilegio confirmare. Cuius inquam priuilegij tenor talis est:

Sequitur Nrus. 637.

Nos igitur ad petitionem ipsius Comitiss Andreae fauorabiliter inclinati, prememorata Siluam et terram sub eisdem metis et terminis, quibus antea extitit limitata, eidem et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus dedimus, donauimus et contulimus perpetuo et irreuocabiliter possidendam. In cuius rei memoriam, perpetuamque firmitatem presentes sibi dedimus litteras, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Benedicti, Orodienensis prepositi, aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno domini M<sup>o</sup>. c<sup>o</sup>c<sup>o</sup>. Septuagesimo Secundo, Regni autem nostri anno secundo. Venerabilibus patribus Philippo Strigoniensi; Stephano Colocensi, aule nostre Cancellario; Johanne Spalatensi archiepiscopis; Lamperto agriensi;

<sup>1)</sup> Emansit: presentes litteras.



Briccio Chanadiensi; Job Quinqueecclesiensi; Philippo Vaciensi, aule domine Regine Cancellario; Paulo Vesprimiensi; Tymotheo Zagrabiensi; Lodomerio Waradiensi; Dyonisio Jauriensi et Petro transsilvano episcopis, ecclesias dei feliciter gubernantibus. Moys palatino, Comite Suprunensi, Judice Cumanorum; Nicolao Judice Curie Regie, Comite Symigiensi; Egidio magistro Thawarnicorum, Comitum Poseniensi; Jouahino Bano tocius Sclauonie; Matho (sic) Woyuode transsilvano, Comite de Zonuk; Laurentio bano de Zeurino, Comite de Doboka; Petro magistro dapiferorum nostrorum, Comite de Guechke; Alberto magistro Agasonum, Comite de Zybinio; Phylippo magistro Pincernarum; Paulo Bano, Comite Bachiensi; Georgio magistro Thawarnicorum domine Regine, Comite Castri ferrei; Ponich bano, Comite Zaladiensi; Mychaele Comite Nytriensi, et alijs quam pluribus, Comitatus Regni tenentibus et honores.

E transumpto Capituli Strigon. a. 1338. In Arch. eiusdem Capituli publico Capsa 34. fasc. 6. Nro. 1. — Erronee Wenzel l. c. III. 272.

---

779.

1272. a. 1. Aug. — Stephanus V. Rex villam Henepuez, iuxta testimonium Capituli Nitriensis, praesentibus duobus fratribus Minorum, Abbati S. Benedicti de Grona. 1270. legatam, confirmat.

Extr. Fejér Cod. dipl. V. I. 260.

---

780.

1272. a. 1. Aug. — Stephanus V. Rex transmittit metales inter Civitatem Strigon. et villas Tat et Tokod.

Extr. Fejér Cod. dipl. V. I. 260. Probabilius Nrum. 773. intelligit.

---

781.

1270—1272. — Ad sepulcrum b. Margaritae Virginis „presente clare memorie rege Stephano et uenerabili patre domino philippo, Archiepiscopo Strigon., ac nobilium, aliorumque multitudine copiosa, dum missa solemner cantaretur“ hominis cuiusdam manus arida sanitati restituitur.

Legenda Neapolitana M. Sion VI. 492.

---

## 782.

1272. 19. Sept. — Ladislaus IV. Rex committit A. Praeposito Budensi, ut Moniales de insula Budensi, quibus Stephanus Rex „omnes vineas Gyan et Rubini filij Saperes, civium Strigoniensium, qui heredum carentes solacio decesserunt, in territorio uille et ciuitatis Strigoniensis existentes“, contulerat, in possessionem earundem introducat. — Datum in insula Beate Virginis secunda feria proxima post Exaltacionem S. Crucis.

A tergo adnotatur: „Quod Rex Ladizlaus dedit vineas aliquorum ciuium Strigoniensibus (erronee pro: Strigoniensium, vide Num. 783.) sororibus de Insula (nempe Budensi) in Colnuch.“ — Wenzell. c. IX. 6.

## 783.

1272. 28. Sept. — Magistratus Strigon. vineam in Csolnok Gean mercatori ratione debiti viginti septem marcarum adiudicat.

Arcynus Comes, Judex de vico Latinorum Strigoniensi, Godynus, Olkynus, Rubinus paruus, Gyletus, Cunch et Hench Comites, ceterique ciues de Strigonio. — — cum Gean pinguis, mercator de Ganth contra Rennerium conciuem nostrum mouisset causam coram nobis super viginti et septem marcis finiti argenti, — — dictus Rennerius — — se teneri recognouit. Predictus autem Gean — — concessit inducias quatuor terminorum. — — Sed quia ipse Rennerius — — soluere non curauit, nos vineam eiusdem Rennerij, in territhorio monthanorum de Cholnuk, adiacentem inter vineas sororum Monasterij Beate virginis de Insula Budensi, assignauimus secundum consuetudinem et libertatem Ciuitatis nostre pro predictis viginti et septem marcis finiti argenti Gean mercatori memorato. — — Postmodum autem ipse Gean eandem vineam pro eisdem viginti et septem marcis — — uendit Conuentui sororum predicti Monasterij de Insula Budensi. — — Datum in octaua b. Mathei Ap. et Evang.

Wenzel l. c. VIII. 414.

## 784.

1272. 20. Nov. — Magister Sixtus Lector Strigon. possessionem suam Hetény Archiepiscopo, Valentinus Cantor autem possessionem suam Kiskesz Altariae s. Margarethae conferunt, ea conditione, ut possessiones hae, si Capitulum s. Stephani Protomart. erectum fuerit, illi cedant, quam ordinationem Ladislaus IV. Rex confirmat.

Ladizlaus, dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie,

Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex, omnibus xpi. fidelibus, tam presentibus quam futuris, presencium noticiam Habituris, Salutem in omnium saluatore. Sumpme bonum est inter eruditos corde creatorem reuereri, et quod possidet in mundo, non sibi ascribere, sed appropriare potencie dei, prout est, et omnium conditori, Qui enim de sudore laborioso aquisitis in tempore aliquid misericordie optulerit, sperans in recompensacionem temporalium eterna possidere, pro minimo, veritate docente, centuplum accipiet et vitam eternam possidebit. Hinc est, Quod constitutis coram nobis venerabili patre domino Philippo, eadem gracia archiepiscopo Strigon. locique eiusdem Comite perpetuo, ac discretis viris, magistris Sixto lectore et Walentino cantore de Capitulo eiusdem ecclesie, supplicantes nobis humiliter predicti Lector et Cantor, quod possessiones a glorioso Rege Bela, felicis memorie, quas pro fidelibus seruicijs eorum eis perpetuo condonarat, videlicet magistro Sixto lectori possessionem Hetyn, iuxta quandam possessionem ecclesie Strigon., sibi contiguam, et magistro cantori possessionem Kyskezu vocatas, iuxta Kezu maiorem, ambas in Comitatu Komarumiensi situatas, tradiderat et contulerat, ea libertate et condicione, quod cuicumque vellent, in vita pariter et in morte, donare, vendere, legare, aut quouis colore alienare, liberam haberent alienandi facultatem; vt nos eisdem ex superhabundanti gracia hoc idem concedere dignaremur et ea, que de ipsis possessionibus facerent coram nobis, nostro priuilegio, super eisdem emanato, faceremus confirmari. Qui quidem nostris adhibitis consensibus, nobis presentibus, taliter ordinarunt: Quod magister lector possessionem suam aquisitam, Hetyn nominatam, cum omnibus suis utilitatibus, pertinencijs, terris arabilibus, piscaturis et fenetis, ac quibuslibet alijs, prout in litteris Regis Bele, beate memorie, plenius continentur, dedit, donauit et legauit, quasi in testamento vltimato, beato Adalberto et sue ecclesie Strigon., in persona archiepiscopi et suis successoribus perpetuo et irreuocabiliter possidendam, cum omni plenitudine sui Juris. Hoc non pretermisso, quod ad h edificacionem loci iam assumpti pro Claustro beate anne archyepiscopus, qui est, vel qui pro tempore fuerit, semel tantum et non pluries, viginti marcas pro eterna elemosina post mortem ipsius lectoris soluere teneatur. Litteras vero priuilegiales Regum Bele et Stephani, super eadem villa Hetyn optentas et datas, promisit archiepiscopo Strigon. reddere sine diminucione, et si quas ex ipsis non restitueret, vel casualiter perdere contingeret, vigore carerent, si coram quouis Iudice contra ecclesiam Strigon. fierent presentate. Nichilominus hoc adiecto, quod idem Magister Sixtus lector eandem possessionem Hetyn, donec sibi vita comes fuerit, non tanquam proprietarius, sed tanquam vsuum fructuum percipiens, amodo in posterum donatam ab archiepiscopo possidebit, nec aliquid vltra de eadem habebit ordinare. Item magister Walentinus cantor de eadem possessione sua aquisiticia, Kyskezu nominata, taliter ordinauit, quod eandem beatiss-



sime virgini Margarete et eius aree (sic), in ecclesia kathedrali Strigon. fundate, duobus sacerdotibus magistralibus, missam pro defunctis celebrantibus, perpetuo et irreuocabiler cum suis utilitatibus condonauit, litteras autem, super possessione predicta optentas, priuilegiales Regum Bele et Stephani, feliciū recordacionum, coram nobis reddidit et tradidit magistris aree prenotate. Adiecerunt eciam, quod si dominus archiepiscopus illam intencionem salubrem, quam unacum Capitulo suo in lucem deduxerant, uellet et posset perducere ad effectum, uidelicet quod duodecim Canonicos in ecclesia processionali, seu Capella sancti Stephani prothomartiris collocaret et sufficientibus redditibus eandem ecclesiam, coad (sic) sustentacionem duodecim Canonicorum dotaret et ditaret; sic tamen, ut decursis seu protelatis temporibus eorundem Canonicorum, inibi collocandorum, sustentacio uite diminucionem non reciperet et canonici, in eadem ecclesia sancti Stephani prothomartiris locati et fundati, in oprobrium cleri non mendicarent hostiatim, et eorundem Canonicorum hospicia iuxta eandem ecclesiam s. Steph. prothomart., vbi beatissimus Rex Stephanus sanctum nomen suum proprium et natiuitatis sue pronunciacionem per os s. Stephani prothomartiris, omnipotentis dei veri nunciij, recepit, collocata, sita et fundata remanerent, perpetuo duratura, ne iidem Canonici hospicia querendo, inciperent diuagari et per hoc officia diuina remanerent incompleta; propter que volumus et nunc similiter ordinamus, quod si ista fieri contingat temporibus venerabilis patris domini Philippi, archiepiscopi Strigon., nostri Prelati moderni, aut curculis temporum aliorum, tempore prelatorum Strigon. ecclesie, volumus, quod possessiones iam prenominate ad usum eorundem canonicorum s. Stephani prothomart. et utilitatem, ad sustentacionem eorundem, ad honorem dei et matris gracie, ac exaltacionem nominis sancti Stephani prothomart. deuoluantur, possidende perpetuo et irreuocabiler, nemine contradicente ac resistente. Hoc eciam in medium deducto, quod due aree, excepto ara maiori, de duabus partibus, vna a parte meridionali, que sit fundata in honore beate virginis Margarete, alia a parte Septemtrionali, que sit fundata et fabricata in honore Omnium sanctorum, ac pro remissione omnium peccatorum, vbi continue misse celebrentur inconcusse, Premissis ordinacionibus non obstantibus; si hec fieri contingat protelato tempore, possit archiepiscopus, qui pro tempore fuerit, vigore presentium litterarum omnia adimplere. Si autem prorogato tempore hoc fieri non contingeret propter negligenciam aut inpotenciam, ut canonici in ecclesia s. Stephani prothomartiris non collocarentur per ipsum venerabilem patrem nostrum Philippum archiepiscopum, aut successores suos archiepiscopos; tunc primam ordinacionem, donacionem et quasi vltimatam testamentariam legacionem iam factam, in suis terminis quibilibet volumus permanere. Nam ad augmentacionem honoris ecclesie s. Stephani prothomartiris hec fieri volumus et ad deposi-

cionem honeris et grauaminis ad iuuamen. Hoc eciam declarato, quod porcionem hereditariam, quam habet idem magister Sixtus lector cum fratre suo in eadem villa Hetyn, in toto, cum omnibus terris arabilibus et fenetis ad unum aratrum sufficientem, eidem fratri suo, si supervixerit et heredes habuerit, suis heredibus concessit et dedit possidendam. Si autem sine herede decesserit, cum sit etate satis annosus, tunc eidem ecclesie sancti adalberti pleno Jure, sicut et aquisite, deuoluentur, perpetuo possidenda. Nos igitur eorum petitionibus auditis et pensatis, ac visis priuilegijs felicissime recordacionis Regis Bele et perlectis, vidimus et intelleximus, quod pro eorum seruicijs meritorijs, fideliter sancte Corone impensis, et a gloriosis parentibus nostris eisdem datis et confirmatis, annuimus et concessimus omnem ordinacionem, donacionem et tradicionem, maxime ob animarum salutem, vt de predictis possessionibus, Hetyn videlicet et Kezu, in Comitatu superius annotato existentibus, prout est premissum, et ordinatum, perpetuo duraturum. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam litteras nostras concessimus, dupplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus magistri Nicolai, ecclesie albensis Transilvane prepositi, aule nostre vicecancellarij, dilecti et fidelis nostri. Anno dominice incarnationis Millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, duodecimo kalendas decembris, Indiccione quintadecima, Regni autem nostri anno primo.

Sigillum e rubro, flavo et caeruleo serico pendeat. Orig. in Arch. Prim. Sec. Lad. C. Fasc. 1 Nro. 2. — Edidit Fejér l. c. V. II. pag. 43., partem vero Pray Hier. I. pag. 3. sub a) et Katona Hist. Crit. VI. pag. 620. — Litterae hae per Capitulum Jauriense a. 1345. sic commemorantur: „iuxta ipsius Magistri (Sixti) Lectoris donationem et testamentariam dispositionem.“ Fejér Cod. dipl. IX. I. 320.

### 785.

1272. 28. Nov. — Gregorius Praepositus et Capitulum Strigon. transcribunt Nrum. 783. quarto kal. Dec.

Wenzel l. c. VIII. 404. — Hic Gean mercator dicitur „de Ganth dicto Pyng,“ certe erronee pro: pinguis. Vide Nrum. 786.

### 786.

1272. 7. Dec. — Philippus Archiepiscopus Strigon. transcribit et confirmat Nrum. 783.

(P)hilippus, miseracione diuina sancte Strigon. Ecclesie archiepiscopus et comes loci eiusdem, vniuersis, presentes litteras inspecturis, salutem in domino. Equitati conuenit et est consentaneum rationi, ut quandocumque noster expetatur assensus, accomodemus eum iuste prestolantibus et auctoritate nostra, quod legitimum fuerit, confirmemus. Proinde nouerint vniuersi, quod Gan pin-

guis, mercator de Ganti, cum comite archino villico Strigon. et quibusdam aliis ciuibus eiusdem loci ad nostram accedens presenciam, nobis priuilegium predictae ciuitatis super quadam vinea, que fuit Renerij ciuis Strigon., confectum, exhibuit, petens humiliter cum predictis a. comite et ciuibus a nobis, ut ipsum priuilegium dignaremur nostra auctoritate munire. Cuius est priuilegij tenor talis :

Sequitur Nrus 783.

Nos igitur ipsius Gan mercatoris et dictorum comitis archini et sociorum suorum iustis petitionibus, sicut congruit, annuentes, predictum priuilegium, quod comperimus non Cancellatum, non abolitum, non abrasum, nec in aliqua parte sui tam in carta, quam in sigillo viciatum, ipsum presentibus nostris litteris de verbo ad uerbum inseri iussimus, idem priuilegium auctoritatis nostre robore confirmantes. In cuius rei testimonium presentes litteras concessimus, sigilli nostri munimine roboratas. Datum Strigonij in crastino beati Nicolai, anno domini Millesimo Ducentesimo Septuagesimo Secundo.

A tergo manus coeua adiecit: Priuilegium de winea Chulnuch, quam emit filia Pauli, uxor Benedictj, de genere Bolnuch. — Sigil. e serico rubro dependens, praelatum infulatum sed entem, dextra benedicientem, laeva pedum tenentem exhibet, epigraphe: † S. Minus. Ad cas. (causas?) Phil. Dei. Gra. Strigon. Archiepi. — Orig. in Arch. Aerarii Reg. Hung. Acta Bud. Mon. fasc. 2. Nro. 4. — Wenzel l. c. VIII. 397.

### 787.

1272. — Philippus Archiepiscopus Strigon. iussu Gregorii PP. X. in miracula b. Margaritae, Regis Belae IV. filiae, inquirat.

Mykoron Zent Margyt meg holt volna es fenleneek choda teteleukel, Istvan Kyrál jdeeben, ez Istvan kyrál, ky vala ez Zent Margyt azzonnak batya, keulde keuveteuket Gergel Papához, alazatosan keunyeregveen, hog mykoron az mendenható ur Isten — — — ez tyztelendeu zent zuznek myatta, Zent Margyt Azzonnak erdemenek myatta, anne nagy sok chodakat myelkeudeut, hog eu neky segedelmeet nem hivnya egyeb zenteuknek keuzette, igen meltatlan: azert meltolatneek eu zentseges atyasaga zenteuknek keuzyben zamlalnya. Halvan Papa Istvan kyrálnak alazatos keunyergesseet, kegesen meghalgata es paranchola Papa Eztergamy Fylep Erseknek es Vacy Pispeknek es Bakony apat Urnak, hog el junenek bodog Azzonnak clastromához nyulaknak zygeteben, maas keppen bodog Azzon zygeteben, es megtudakoznanak nagy ereus byzon-sagnak es nagy hytnek alatta Zent Margyt azzonnak jozagos myelkeudetyreul, erkeulchyreul es choda teteleyreul. Mykoron eljutteneek volna ez tyztelendeu atyak es Urak Papanak parancholatya zerent, nagy zerelmel tudakoznak vala az eu zentseges eletyreul es lelek eutet nagy chudalatos zentseges eletu zent-



nek, mykeppen eu neky eleteben meg vagy on irvan. De maga mynek eleutte ez jambor Eztergamy Fylep Ersek el vegezte volna Zent Margyt Azzonnak zentseges eletynek byzonsag veteleet, annak eleutte halallal eleul vetetek, meg hala.

Legenda b. Marg. ap. Pray l. c. 314. — Inquisitio ergo haec paulo ante mortem Philippi Archiepiscopi circa finem a. 1272. adornata fuerit. — Legenda haec huius inquisitionis etiam alibi meminit, dum nempe soror Candida infirma visionem suam de tribus Sanctis, sibi astantibus, testimoniumque de santitate b. Margaritae coram Philippo Archiepiscopo perhibituris, enarasset, adstantes sorores responderunt: „Az te latasod nem hevsagos latas, de seut byzonsagos dolog, mert mastan it vagy on Eztergamy Fylep Ersek es tudakozik Zent Margyt Azzonnak zentsegereul.“ Ib. 318. — Idem testatur Innocentius PP. IV. a. 1276. his verbis: „Dudum ex parte clarae memoriae regis Hung., felicis recordationis Gregorio Papae — — fuit humiliter supplicatum, ut, quum Omnipotens — — — meritis recolendae memoriae Margaritae Virginis, sororis seu sanctimonialis monasterii Virginis gloriosae de insula Danubii, Ordinis Praedicatorum, Vesprimiensis dioecesis, cuius corpus in eodem monasterio requiescit, tot et tanta miracula operetur, quod ipsius inter caeteros non invocare suffragia sit indignum, ipsam aggregare sanctorum catalogo dignaretur; — — Archiepiscopo Strigon. et — — episcopo Vaciensi ac — — abbati de Baccon — — dedit — in mandatis, ut de veritate morum et virtute signorum — — sibi — — fideliter intimarent. Deinde autem, dicto Archiepiscopo, re ad haec integra permanente, naturae debitum persolvente, — — Varadiensem — — Episcopum — — subrogavit.“ — Katona Hist. Crit. VI. 691. — Fejér Cod. dipl. V. II. 349.

## 788.

(1272.) — Sixtus, Cantor Ecclesiae Strigon., privilegium Mariae Reginae per Capitulum Albense transcribi petit.

Discretis viris et dominis karissimis, Capitulo honorabilis ecclesie albensis, magister Syxtus scolasticus et Cancellarius ecclesie Strigon., paratam ad ipsorum obsequia uoluntatem. Discrecionem uestram cupio non latere, quod inter alias terras, quas michi in uilla Heten, de comitatu Kamariensi, Strigon. Diocesis, pie memoriae dominus Bela Rex pro meis contulit seruicijs, Domina Maria, Regina illustris, karissima coniunx sua, terram Reginalem, quam in dicta uilla habuerat, similiter michi contulit et Donauit, a me et meis Heredibus possidendam perpetuo et tenendam, prout in ipsius Regine priuilegio, exinde confecto, quod uobis nunc misi, colligere poteritis euidenter, quas donationes dominus Rex et Regina, qui nunc sunt, et utinam semper uiuant, suis confirmatorijs priuilegijs munierunt. Cum igitur eandem terram quondam Reginalem, reseruato mihi vsu fructu eius, quoad uixero, archiepiscopatus Strigon. donauerim et contulerim, in ipsum eiusdem terre dominium transferendo; supplico prudencie uestre, quatenus uisis litteris meis, inspecto nichilominus predicto Donatiuo priuilegio Reginali, super huiusmodi donacione, predicto archi-

episcopatus per me facta, vestras patentes testimoniales litteras, non obstante mei absentia corporali, nostri gracia, sine difficultate qualibet concedatis, idem Reginale priuilegium, mihi per latorem presencium remittendo.

E Nro 789. Edidit Fejér l. c. V. I. pag. 275.

### 789.

1272. — Capitulum Albense ad preces magistri Sixti, Lectoris Ecclesiae Strigon. transcribit Nrum. 671.

Capitulum ecclesie albensis, Omnibus xpi. fidelibus, presentes litteras inspecturis, salutem in domino sempiternam. Ad uniuersorum noticiam tenore presencium volumus peruenire, Quod Zolad, seruiens Discreti viri, magistri Sixti, lectoris Strigon., litteras eiusdem domini sui nobis exhibuit in Hec uerba:

Sequitur Nrus 788.

Nos igitur petitioni et uoluntati ipsius magistri Syxti satisfacere cupientes in premissis, ipsum Reginale priuilegium, per predictum Zolad nobis exhibitum, presentibus de uerbo ad uerbum inseri fecimus, cuius tenor talis est:

Sequitur Nrus. 671.

Vnde nos eiusdem Reginalis priuilegij transcripto nostre vniuersitatis sigillum duximus apponendum. Datum anno domini M<sup>o</sup> cc<sup>o</sup> septuagesimo secundo. magistro Demetrio ecclesie nostre preposito, Myke Cantore, Feliciano Custode, Sebastiano decano existentibus.

Sigillum detritum e serico viridi et albo pendet. Orig., in quo locus pro dato diei vacuus remansit, in Arch. Prim. Sec. Lad. C. fasc. 1. Nro. 3. — Commemorat Fejér l. c. V. I. pag. 276. in nota. Ed. Cod. Strig. I. 67.

### 790.

(1268—1272.) — Conuentus de Ság h Martinum, Abbatem S. Benedicti, contra Philippum, Archiepiscopum Strigon., quod plurimas Monasterii sui possessiones occupasset, nec omnes adusque restituisset, protestatum fuisse testatur.

Nos Conuentus ecclesie de Saag, damus pro memoria, quod vir religiosus, dominus Frater Martinus, Abbas Monasterij sancti Benedicti de iuxta fluium Gron, in sua et sui Conuentus personis ad nostram personaliter veniendo presenciam, nobis per modum protestacionis significare curauit, quod reuerendissimus in xpo. pater, dominus Philippus, Archiepiscopus ecclesie Strigoniensis, post recessum impiorum tartarorum de Regno Hungarie, plurimas possessiones et possessionarium (sic) porciones, ipsorum domini abbatis videlicet et Conuentus sui, et per consequens predicti Monasterij ipsorum, potencialiter occupasset, de quibus quasdam restituisset, quasdam vero, videlicet decem mansiones nau-

tarnum in superiori parte possessionis, **Kakath** vocate, cum terris trium aratrorum, mensure regalis, ad easdem mansiones pertinentibus, in strigoniensi, item possessionem **Wdwarth** cum terra **Quadráginta** aratrorum, similiter regalis mensure, ac propria eorum curia ibidem existente, in **Camariensi** Comitatibus, necnon possessiones **Nimthi**, **Sewlus**, **Chewku** et **Berzenche** vocatas, ac intra metas dicti Monasterij existentes, necnon omnes decimas ipsius Monasterij, pro se et suo Capitulo detinuisset minus iuste et indebite, in dampnum et detrimentum ipsorum valde magnum; factaque huiusmodi protestacione, eundem dominum Archiepiscopum et suum Capitulum, ac alios quoslibet ab occupacione, detencione, vsum fructuum, ac vniuersorum vtilitatum earundem possessionum et possessionarium porcionum, ac decimarum percepcione, percipique faccione, seque ab intromissione in easdem, quoque modo facta, vel fienda, vice et nominibus sui, predictique Conuentus sui, inhibuit contradicendo et contradixit inhibendo coram nobis. Datum feria sexta proxima ante festum beati Bernabe Apostoli. Anno domini **Millesimo ducentesimo LXXVI<sup>o</sup>**. (sic).

Sig. exteriori margini fuit adpressum. Orig. negligenter exaratum, in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. I. fasc. 5. Nro. 41. — Breuissime extr. Fejér I. c. V. II. 374. Ed. Cod. Strig. II. 120. — Cum Philippus Archiepiscopus mense. Dec. a. 1272. mortem obierit, in dato diplomatis huius manifeste aberratum est. Martinus Abbas, cuius hic mentio iniicitur, primum a. 1268. comparet (vide Nrum. 723.). Ergo intra a. 1268—1272. diploma hoc exarari debuit.

### 791.

(1268—1272.) — Martinus, Abbas s. Benedicti, Philippum, Archiepiscopum Strigon., ab occupatione et detencione plurium possessionum inhibet, coram Conuentu Zoboriensi.

Nos Conuentus Monasterij beati ypoliti martiris de Zobur, damus pro memoria, quod vir religiosus, dominus frater Martinus, abbas Monasterij sancti Benedicti de Juxta Gron, in sua et sui Conuentus personis, ad nostram personaliter veniendo presenciam, nobis per modum protestacionis significare curauit, quod Reuerendissimus in xpo. pater, dominus philippus, Archiepiscopus Ecclesie Strigoniensis, post recessum ipsorum Tartharorum de Regno Hungarie, plurimas possessiones et possessionarias porciones ipsorum, domini abbatis videlicet et Conuentus sui, et per consequens predicti monasterij ipsorum, potencialiter occupasset, de quibus quasdam restituisset, quasdam vero, videlicet decem mansiones nautarum in superiore parte possessionis, **Kakath** vocate, cum terris trium aratrorum, mensure regalis, ad easdem mansiones pertinentibus, in Strigoniensi; Item possessionem **Odward** cum terra **quadráginta** aratrorum, similiter regalis mensure, ac propria eorum Curia, ibidem existente, in **Camariensi**, necnon possessiones **Nempti**, **Zeules**, **Chenke** et **Berzence** vocatas, in **Borsiensi** comitatibus habitas, ac intra metas dicti Monasterij existentes, pro se detinu-



isset minus iuste et indebite, in dampnum et detrimentum ipsorum ualde magnum; factaque huiusmodi protestacione, eundem dominum Archiepiscopum et alios quoslibet ab occupacione, detencione, usum fructuum ac vniuersarum vtilitatum earundem possessionum et possessionariarum porcionum percepcione, percipique faccione, seque ab intromissione in easdem, quoquomodo facta uel fienda, vice et nominibus sui, predictique Conuentus sui, inhibuit contradicendo et contradixit inhibendo coram nobis. Datum feria sexta proxima ante festum beate Barbare virginis et martiris. Anno domini Millesimo ducentesimo Lxx. VII<sup>o</sup>. (sic).

Sig. tergo fuit appressum. Orig. in Arch. Cap. Strig. priv. Lad. 40. Fasc. 1. Nro. 15. — Ed. Cod. Strig. II. 125. — Diploma hoc ex iisdem rationibus, quemadmodum Nrus. 790., intra a. 1268—1272. exarari debuit.

### 792.

1272. post 18. Dec. — Philippus Archiepiscopus Strigon. diem supremum claudit.

Philippus in huius anni diplomatibus saepius occurrit. 7. Dec. adhuc litteras edidit (Nr. 786.). Tum commemoratur 1. et 2. huius mensis die (Fejér Cod. dipl. V. II. 51. 53. 56. et Wenzel l. c. IX. 4.), ultimum compareret 15. kal. Jan., seu 18. Dec. (Wenzel l. c. IV. 9.); cum autem sedes Strigon. 2. iam Januarii anni 1273. vacare dicatur (Fejér l. c. V. II. 71.), circa finem Dec. mortem obire debuit. — Attentionem hic meretur diploma quoddam Stephani V. Regis, in quo Philippus adhuc Archiepiscopus nominatur, quodque ita signatum est: „Anno Dom. 1272. indictione 15., kalendis ultimis Januarii, regni autem nostri anno secundo“ (Fejér l. c. V. I. 177). Expressio haec: „kalendae ultimae,“ ut diplomatici norunt, vaga est; nonnumquam enim diem, quo kalendae incipiunt, ergo hic 14. diem Dec., seu 19. kal. Jan., denotat; alias iterum diem designat, qua kalendae finiunt, seu ultimum mensis diem, ergo hic 31. Dec., seu pridie kal. Jan.; attamen cum Stephanus Rex iam 1. Augusti mortuus fuerit, diploma hoc nec 14. nec 31. Dec. edere potuit. Sed nec appositi regiminis anni dato diei conveniunt; a mense enim circ. Maio tertius iam regiminis eius annus currebat. Bene tamen annus hic regiminis secundus diei 31. Dec. anni 1271. correspondet, manifesteque ostendit, Stephanum regem, more tunc communiter recepto, annum a 25. Dec. anni praecedentis inchoasse; adeoque diploma praesens licet a. 1272. signatum sit, secundum modernam computationem editum est 31. Dec., ultimis nempe kalendis Jan. anni 1271. Male ergo Fejér illud ad a. 1272. ponit; proinde nec Philippum vitam ad 31. Dec. a. 1272. produxisse e diplomate hoc adstrui potest.

## XXIX.

## VACAT SEDES.

1272. post 18. Dec. — 1273. circ. Febr.

Mortuo Philippo, Ecclesia Strigon. „exigente diri temporis prauitate, aduersitatum procellis seuius concussa, ad exinanicionem virtutis extreme et quasi ad irreparabilis desolacionis discrimen malignorum incursibus miserabiliter est perducta...<sup>1)</sup> Malum hoc plurimum auxerunt minae et terrores, quibus Canonici Strigon. in libera electione impediti erant, tum enata exinde infausta discordia, qua iidem duos successive, tum duos ad semel Archiepiscopos elegerunt, Rexque Ladislaus IV., ut erat in omnibus inconstans, priores duos electos successive adprobans, diuturnae contentioni ansam praebuit, ecclesiamque ipsam ad extremum periculum perduxit. Electos hos sedes romana, ut videbimus, numquam adprobavit; quare hoc e respectu Péterffy Ecclesiam metropolitanam mortuo Philippo in annum sextum Pontifice destitutam fuisse, recte asserit.<sup>2)</sup> Attamen sententia haec, spectatis Regum nostrorum iuribus, nullatenus acceptari potest, „etsi enim, ut Schier apposite ait, fuerint tempora, quibus in varias terras alieni submittebantur Episcopi; Hungaria tamen ius suum semper tuita est, ut nullum agnosceret Ecclesiae Pastorem, quem Rex, aut Administrator Regni, non iussisset vel adprobasset.“<sup>3)</sup> Quia autem ambos hos electos Rex, ut diximus, adprobavit, regiisque in diplomatibus subscripti comparent, eousque a nobis Archiepiscopi Strigon. habendi sunt, donec a Papa expresse reiecti non fuerunt.

Quousque Ecclesia Strigon. post mortem Philippi vacaverit; scriptores non conveniunt; sic Schmitth „Nicolaum non continuo primis mensibus Metropolitam creatum“ ait.<sup>4)</sup> Kollár autem sic opinionem suam depromit: „Certum est fide vetustorum diplomatum, Philippo Strigon. Archiepiscopo e vivis erepto, successisse post menses aliquot Nicolaum II.“<sup>5)</sup> Katona tandem Schmitthio sic respondet: „Ego vero censeo, primis anni huius (1273.) mensibus ecclesiam Strigon. non vacasse, statimque post Philippi mortem Nicolaum ei suffectum esse.“<sup>6)</sup> Quid hac in re sentiendum, quomodoque successores Philippi sibi suc-

1) Fejér Cod. dipl. V. II. 367.

2) Conc. I. 91.

3) Gregorius Lodomerii Successor. pag. 5.

4) Arch. Strig. I. 135.

5) Hist. Dipl. Jur. Patr. 171.

6) Hist. Crit. VI. 644.

cesserint; fide diplomatum alibi iam edocuimus.<sup>1)</sup> Excussis nunc denuo omnibus, quotquot ex aetate hac adusque luce publica donata sunt, diplomatibus, cum certitudine adstruere possumus, Ecclesiam Strigon. primis mensis Januarii a. 1273. diebus pastore orbatam fuisse; nam in diplomatibus, diebus 2. 9. 10. et 12. mensis Jan. editis, sedes Strigon. vacare dicitur.<sup>2)</sup> Reliquis diebus mensis huius et toto mense Februarii nihil hac de re occurrit; 6. autem Martii iam Nicolaus comparet. Id ergo solummodo certum est, sedem hanc non ultra 6. Martii vacasse. Vacaverit tamen ultra 12. Jan., quia in duobus Ladislai IV. diplomatibus, absque dato diei editis, ast primo regiminis sui anno signatis, sedes haec pariter vacare dicitur.<sup>3)</sup> Diplomata haec ante 1. Aug., quo die secundus regiminis annus inchoabat, imo, ut ex praedictis ultro sequitur, ante 6. Martii, quo die iam Nicolaus comparet, edi debuerunt; ergo ni dicamus, diplomata haec etiam ante 12. Jan. edita fuisse, vacantiam sedis ductu horum ulterius extendere possumus, quod etiam ob discordiam Canonorum verosimilius videtur. Vacaverit ergo Ecclesia Strigon. mensibus Jan. et Febr.

1) Az esztergomi érsekek 1272–1279. Magyar Sion I. 9.

2) Fejér Cod. dipl. V. II. 71. 120. 74. 78., Wenzel l. c. IX. 11.

3) Fejér l. c. V. II. 85., Wenzel l. c. IX. 26.





# INDEX PERSONARUM, LOCORUM AC RERUM.

UNUS NUMERUS PAGINAM NOTAT, EX DUOBUS PRIMUS PAGINAM, SECUNDUS DOCUMENTUM INDICAT.

## ABBREVIATIONES.

Ab. = Abbas, Abbatia.  
AD. = Archidiaconus.  
AE. = Archiepiscopus.  
Agr. = Agriensis.  
Alb. = Albensis.  
Ap. = Apostolicus.  
Ben. = Benedictus.  
